[illegible]

[illegible] Patrocal

[illegible]robli

In Nomine Dni

universis et singulis

Quorum interest et quo

modolibet interesse po-

terit

Grodnam Sci Ordis

Camaldulensium

Ano 1779

Die 29 Maj.

Ora [illegible]

ENCHIRIDION
PIARUM MEDITATIONUM IN DOMINICAS AC FESTA TOTIUS ANNI:

Nec non

QUADRAGESIMÆ, QUATUOR-TEMPORUM, aliasque præcipuas

FERIAS.

Item de Christi Domini vita ac Passione, de SS. Rosario, de Beneficiis Divinis, de Peccatis, de quatuor novissimis, aliisq; permultis quolibet anni die ad libitum usurpandis.

Opus perutile, non solùm sanctioris ac perfectioris vitæ studiosis; quin etiam Parochis ad concinnandas in promptu familiares ad plebem, exhortatiunculas paratissimum.

Authore Primùm JOANNE BUSÆO *Soc. Jes. Theologo.*

Nunc demum permultîs Meditationibûs suprà alias editiones auctum, ac præsertim nonnull ad exercitia Spiritualia seu Recollectiones per quinque, octo, vel ultra dies, accomodatum, & secundùm ordinem Dominicarum ac Festorum Breviarii Romani digestum, à multis mendis typi purgatum, ac in duas partes cum suo indice, distinctum.

Opera ac studio P. A. C. M.

Juxta Exemplar Parisiense

Cum permissu Superiorum.

REIMPRESSUM.

CRACOVIÆ, typis in Palatio Episcopali, Dominicô Rosenmüller, Factore suæ Celsitudinis.
M. D. CC. LV.

REIMPRIMATUR.

Dominicus Kiełczewſki, Canonicus Vicarius & Officialis Generalis Cracovienſis.

AD LECTOREM.

HAbes, Candide Lector, *non immutatum quidem re-ipsa hunc piarum Meditationum* Busæi *Libellum: sed (quod optabat jam pridem pietas tua) meliori ordine instauratum, & ad Breviarii Romani regulam concinnatum, adjectis ad id non minùs sexaginta sex Meditationibus, quarum etsi non omnes omnino necessarias, saltèm plerasq; perutiles esse facilè judicabis. In aliquibus etiam nonnihil ad Authoris mentem ac sensum elucidandum, & affectum Lectoris faciliùs inflammandum videbis passim esse suffectum atque interjectum.*

Quinetiam adjici curavimus in gratiam tyronum Synopsim quamdam orationis mentalis ad mentem Beati Francisci Salesii Episcopi Genevensis, utpote omnium utilissimam ac facillimam, non quòd re vera aliud ab ipsa Busæi *meditandi ratione præscribat; sed quòd illam ipsam familiariùs faciliùs exponat.*

Porrò præter meditationes singulis diebûs Dominicis ac Festis totius anni, necnon Quadragesimæ, Quatuor Temporum aliisq; præcipuis Feriis, & Communi Sanctorum assignatas, desumi poterunt in alios dies nonnullæ ex aliis Meditationibus secunda parte contentis pro temporis vel uniuscujusque oportunitate; sicque suppetunt in singulos dies diversæ totô ferè annô Meditationes.

Quod ad exercitia Spiritualia attinet, si ipse velis iis vacare, vel alios in iis dirigere, consules quæ ad id sub finem secundæ Partis hujus Libelli adnotantur, de his Optime Lector, *te præmonitum volui, ut omnia pro tua benignitate æqui bonique consulas, Vale.*

PRÆFATIO AUCTORIS
AD
PIUM LECTOREM.

De modo rectè meditandi.

HAbes, PIE LECTOR, in hoc Enchiridione, utì spero, affatim materiæ pro instituenda Meditatione: sed fortè modum quoque & rationem rectè fructuoseq; meditandi à me reposces. Nec injuria, quia sicut eximia est hujus spiritualis exercitii nobilitas & præstantia, ità peculiarem quamdam curam & peritiam, quò cum utilitate tractetur, requirit. Exstant de hoc modo duo erudita & accurata, duorum Patrum Societatis nostræ scripta: alterum R. P. Francisci Arias Hispani, in tractatu secundo *de Profectu Spirituali*: alterum R. P. Bartholomæi Riccii Itali in instructione *de meditandi modo*, nuper Latinitate à me donatum, & typîs Maguntinîs expressum. Verùm, quia vel illorum non suppetit copia, vel non vacat omnibus ob prolixitatem perlegere, breviter hic in Epitomen redigam quæ ab utroque fusissimè pertractata fuêre. Ac 1. exponam quid nomine Meditationis intelligatur: 2. quæ sint ejus partes: 3. quæ adjumenta, ut cum spirituali fructu perficiatur.

Quid sit Meditatio.

MEDITATIO, quam alii Orationem mentalem appellant, est pia & affectuosa rerum divinarum alia-

aliarumve consideratio, quæ hominem ad laudandum Deum, ad virtutes Christi Sanctorumq; sectandas, ad bonum amplectendum, & fugiendum malum efficaciter promovet. Vocavi *affectuosam*, quia non tam in actione intellectûs, quàm in affectione voluntatis consistit, quatenus ejus beneficio ad amorem Dei, odium peccati, & rerum caducarum contemptum promovemur. Unde Propheta Regius in hoc orandi genere exercitatus dicebat: *In meditatione mea exardescet ignis*: hoc est, fervor animique promptitudo excitabitur, ut fugiam noxia, & amplectar utilia; ut negligam temporalia, & persequar æterna. Hoc commentandi exercitio Christus cum discipulis noctes insomnes in deserto & montibus duxit. Hoc Beata Virgo Maria apud Beatum Lucam in corde suo conferebat, quæ à Christo dicta audierat. Hoc omne vitæ tempus S. Joannes Baptista in eremo, & post eum innumeri Anachoretæ sinè fastidio traduxerunt. Hoc usi sunt Sancti omnes, Basilius, Hieronymus, Augustinus, Benedictus, Bernardus, Franciscus, Dominicus, Ignatius, Xaverius, & quotquot fuerunt insigni Sanctitate & rerum cœlestium contemplatione admirabiles.

De partibus Meditationis.

Partes Meditationis sunt quatuor: Præparatio, Repræsentatio, Consideratio, & Colloquium vel Petitio.

I. Præparatio est, quâ homo se ad meditandum componit. Cujus necessitatem Sapiens Ecclesiastes cap. 18. hìs indicat verbîs: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasì homo, qui tentat Deum.* Si enim cum Rege, Episcopo, vel alio Principe

viro acturus, primùm præmeditaris, quibûs verbis uti velis; quantò magìs id faciendum, quandò cum Deo in meditatione es collocuturus?

Præparatio autem hæc duplex est: remota & propinqua, *Remota* est, prælegere pridie Meditationis Materiam. 2. eam simul atque manè evigilas in mentem revocare. 3. Cogitationes omnes & curas de studiis aliisq; negotiis temporalibus excludere. Meditatio siquidem mentem postulat quietam & tranquillam. *Propinqua* verò est, cùm jamjam inchoanda est Meditatio, 1. se aquâ benedictâ, si præstò sit, aspergere, & signô Crucis munire. 2, uno passu à Meditationis loco ad spatium Dominicæ Orationis, Salutationisq; Angelicæ consistere, & firmiter tibi persuadere te coram Divinæ Majestatis throno, quem omnes Sancti circumstant, ut cum Deo colloquaris, compariturum. 3. reverenter in genua velut coram Deo prolabi, & mox humiliter postulare ab eo gratiam, omnes vires actionesq; animi ad suæ Divinæ Majestatis gloriam referendi. Poteris quoque, si velis, Beatæ Virginis, Angeli Custodis, vel Sanctorum, ad quos afficeris, auxilium implorare. Potes etiam Meditationis puncta, si memoriâ fortè exciderint, relegere.

II. Præsentatio vel imaginatio est, quâ sibi homo ante punctorum considerationem repræsentat, id est ob oculos ponit locum, personas, earumdemque actiones in mysterio Meditationis expressas. Ut si mediteris de crucifixione Christi, imagineris te montem Calvariæ, Cruci Christum affigi, infinitam hominum turbam circumstare, sicut à Pictoribus depingi solet. Similiter, si mediteris de morte, fingas te aspicere teipsum, vel alium in lectulo decumbentem, pallidum & morti vicinum. Hæc enim

enim repræſentatio valet, non ſolùm ad cavendas animi diſtractiones, ſed etiam ad concitandum affectum doloris, compaſſionis, metûs, & ſimilium, etſi in hac imaginatione diu hærendum non eſt, ſed tantùm quamdiu ſentis te piè moveri ad amorem, pœniténtiam, lætitiam, vel aliud. Quòd ſi materia Meditationis ſit de re in qua nulla ſit circumſtantiarum, ùt loci vel perſonarũ repræſentatio, ſtatim à præparatione tranſeas ad conſiderationes.

III. Conſideratio verò, eſt operatio intellectûs, quâ homo ſedulò expendit omnia, quæ in ſingulis punctis continentur, cum deſiderio inde fructum aliquem ſpiritualem carpendi. Maximè autem diſcurrit, & ratiocinatur circa circumſtantias, ut ſi meditetur de aliquo puncto Paſſionis Domini, attendat. Quis ſit qui patitur? nempe Filius Dei, Conditor cœli & terræ. Quid patiatur? nempe cruciatus maximos. Pro quo? nempe pro te vili & ingrata creatura. Qua de cauſa? nempe ad te liberandum à damnatione æterna.

IV. Colloquium vel Petitio. Ubi enim ſedulò quæ in punctis continentur, expedieris, & te ad amorem, dolorem vel alium affectum moveris & accenderis, facilè occurret quid per colloquium à Deo petere debeas. Ordinariè autem petere potes majus lumen, Deum & te ipſum cognoſcendi, peccatorum remiſſionem, dolorem de iiſdem, perturbationis animi expugnationem, in literis & pietate progreſſum, demùm virtutes omnes, quæ Deo te reddant gratiorem. Poteſt autem hoc colloquium inſtitui, vel ád Deum, vel ad ſingulas Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonas, vel ad Chriſtum crucifixum: ad Beatam Virginem quoque, alioſve Sanctos Patronos, imò & ad hos omnes. Schema harum omni-

 mni-

mnium partium habes in Meditationibus de quatuor Novissimis.

De adjumentis ad rectè meditandum idoneis.

Primùm est locus idoneus, id est ab omni strepitu remotus, juvat etiam, si sit obscurus.

2. Tempus certum & stabile, quod citra justam causam non immutetur. Horæ autem aptissimæ ad meditandum sunt matutinæ, ante inchoata studia, vel alia negotia. Convenit autem in Meditatione expendi integram horam, vel certè mediam.

3. Situs corporalis modestus & devotus, ùt genibûs flexîs. Quòd si diu non potes, pedibûs insistas, ità tamen ut ad genuflexionem paulò pòst redeas. Convenit aliquando ad exemplum Christi, maximè si magnus aliquis motus insurgat, prono corpore ad breve tempus meditari. Denique is situs usurpandus est, qui plùs juvet attentionem & devotionem.

4. Ut si quo in puncto senseris spirituali sensu vehementiùs moveri, non illico transilias ad aliud: sed in eo nonnihil immoreris, donec gustui satisfeceris. Et si ante percursa tria Meditationis puncta hora elabatur, non sis sollicitus ad cætera progredi: poteris enim id facere sequenti vice, repetitìs breviter iis, in quibus gustum spiritualem sensisti. Imo sæpe utile est, unam eandemque Meditationem, variatô tantùm colloquiô, repetere.

5. Quia vis Meditationis potiùs in exercitatione affectûs quàm intellectûs posita est, scire debes hunc affectum ordinariè debere esse levem, quia diutiùs continuari potest, & capiti pectorive noxius non est. Quem Divinâ gratiâ adjutus facilè excitabis sedula consideratione Personarum Sanctis-

ctiſſimæ Trinitatis, Chriſti, Beatæ Virginis, & circumſtantiarum, non verbîs, ſed cordis affectu dulciter eos alloquendo. Quo affectu Angeli Divinæ Majeſtatis Conſpectu ſuſpenſi continenter canunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

6. Si autem Deus aliquando immittat tibi vehementiorem affectum, v.g. ut prorumpant lachrymæ, humiliter eum admitte, & quamdiu Deus dederit, continua. Sed hic diuturnus eſſe non debet, maximè ſi ſponte à te concitatus ſit, nè lædatur caput, prodeſt autem plurimùm hic affectus in quibuſdam caſibus. 1. Si Confeſſionem generalem de tota vita, vel de toto anno facturus, optares te excitare ad contritionem veram & perfectam, quam Theologi dicunt valere ad expiandam omnem culpam & pœnam. 2. ſi quando gravi tentatione contra fidem, caſtitatem vel vocationem pulſeris. 3. quando adverteres te in ſtudio pietatis vel vocationis tuæ omnino refrixiſſe. 4. ſi quando aggrediendum eſſet opus magnum ad Dei gloriam, multîs difficultatibûs implicatum.

7. Quòd ſi contingat inter meditandum omni guſtu ſolatioq; deſtitui, non ideo animum deſpondeas. Si enim tuâ culpâ id acciderit, quia imparatus in Meditationem irruiſti; humilia te, culpam agnoſcendo, & brevì ſequetur ſerenitas. Si verò non tuâ culpâ, cogita permiſſum à Deo, vel ut diſceres guſtum illum non ſtudio noſtro parari, ſed dono Dei obtineri, vel ut Deus probaret an ex puro Dei amore ſanctum hoc opus, & non conſolationis tuæ causà exerceres. Itaque tempore deſolationis dic: *Ego non incœpi hanc Meditationem meam propter meum ſolatium, ſed ex mero amore Dei: Quare eandem ex eodem amore perficiam.*

8. Si verò multîs agiteris diſtractionibûs, nec ideo obrumpe Meditationem: ſed cogita, ſi obrepant te invito, nullum admitti peccatum. Tantùm ubi adverteris te diſtrahi, reſiſte illis, licèt ſæpiùs redeant: neque enim minùs grata erit ob hunc laborem Meditatio tua, quàm ſi cum devotionis ſenſu eam perfeciſſes. Prodeſt etiam in hac pugna proſilire ad colloquia & ſubmiſſè agnoſcere te tuîs viribûs nihil poſſe: vel etiam graviter te accuſare tamquam mortalium ignaviſſimum, qui non poſſit etiam ad breve tempus cum Deo loqui, & illico ſenties auxilium Divinum.

9. Denique non parùm ad fructuoſam Meditationem inſtituendam valet, ſi Deum in omnibus actionibus tuis, ùt verè eſt, cogites præſentem: ſi crebrò per diem jaculatorias uſurpes orationes, ſi libellos ſpirituales libenter lectites, ſi crebrò ſacram Menſam, Confeſſione facta, accedas, ſi familiaritate piorum utâre, ſi ſenſus externos, ac imprimìs linguam coërceas, ſi charitatis & pœnitentiæ exercitia diligas, ſi bona propoſita in Meditatione facta opere compleas.

RATIO MEDITANDI,

Seu Synopsis Orationis Mentalis, ad mentem, seu methodum Beati Francisci Salesii Episcopi Genevensis expressa.

Oratio mentalis tribûs partibûs constat.

- Præparatione, quæ tres actus continet, puta.
  1. Sistere se coram Deo.
  2. Postulare gratiam benè precandi.
  3. Rem, de qua meditandum est, sibi ob oculos ponere.
- Meditatione, quæ alio nomine corpus orationis dicitur: & hæc itèm tres actus habet.
  1. Discursu ac Considerationibûs uti in rem propositam.
  2. Pios affectus elicere.
  3. Proposita statuere, vel de bono agendo, vel de malo vitando.
- Conclusione, quæ tres etiam actus habet.
  1. De progressu orationis gratias Deo referre.
  2. Quæ proposueris eidem offerre.
  3. Postulare gratiã præstandi quæ proposueris.

Peracta oratione, texendum sibi sertum seu corolarium quoddam spirituale quod subinde subodoreris.

EXPLANATIO HUJUS TABULÆ,

Seu Synopsîs Orationis mentalis ad mentem Beati Francifci Salefii Epifcopi Genevenfis exaratæ.

PARS PRIMA.

PRÆPARATIO.

§. 1.

De Divina Præsentia.

Ratio fiftendi fe coram Deo, hæc eft, fi præfens exhibeatur uno ex his quatuor modis.

1. Si intimè præfentem rebus omnibus, atque adeò cœlum ac terram implentem concipias: ac te velut fpongiam maris inftar undequaque ambientem ac pervadentem.

2. Quasì cordi noftro fingulari quadam ratione, puta per gratiam adftantem, atque ipfum quodammodò animantem.

3. Si Chriftum Dominum tibi exhibeas cœlitus omnes homines intuentem, ac in te nominatim oculos conjicientem.

4. Si eundem tibi adftantem effingas fub humana forma gravi quadam majeftate confpicuum, vel fub Sacratiffimo Altaris Sacramento latitantem.

Conciliata uno ex his modis Divinâ præfentiâ, eliciendi funt tres actus fequentes, fidei, humilitatis & adorationis: *procumbendum fubinde in terram, vel faltèm prolabendum in genua, inftar vilis cujufdam mancipii coram Rege, vel rei coram Judice, vel diffipatoris filii coram patre, vel aliô quovis modô, prout feret Meditationis ratio.*

§. 2.

§. 2.

De Divini auxilii invocatione.

AD *postulandam à Deo bene precandi gratiam.*

1. Implorandum S. Spiritûs auxilium, corde vel ore, puta hoc ℣. *Veni Sancte Spiritus* &c. vel aliâ simili precatione.

2. Ad id etiam oranda Beata Virgo, Custos Angelus, Patronus, imò & Beatus Joseph, aliique cœlites pro singulari cujusque devotione, ac rei propositæ occasione.

3. Ad faciliùs etiam impetrandum quod petis, eliciendus *propriæ diffidentiæ actus*, alius verò *fiduciæ in Deum*, ac *perfectæ conformationis* cum Divina illius voluntate.

§. 3.

De repræsentatione rei meditandæ.

FIt hæc *repræsentatio* duplici ratione.

1. Cùm res ipsa sensibûs potest percipi, estq; visibilis, ùt in Mysterio Nativitatis, Crucifixionis, & aliis similibus, si fingas te adesse loco ubi res ipsa gesta est, vel geri intrà septa loci ubi es, & ante conspectum tuum, vel omnia fieri in animo nostro.

2. Si res verò in sensum non cadit, quomodò se habent virtutes aut vitia: satis est, si *rei propositionem* ac *divisionem*, & *quo fine* potissimùm mediteris, attendas; hoc apprimè mandandum memoriæ.

Nota perutile esse actum fidei elicere circa id, quod ex Scriptura meditandum proponitur.

PARS

PARS SECUNDA.

MEDITATIO SEU CORPUS ORATIONIS.

§. I.

De Considerationibus.

NOtandum eſt puncta conſideranda poſſe pluribûs modîs dilatari ac ampliari.

1. Vel adhibitîs interrogationibûs, v. g. Unde hoc? cur iſtud? quid hoc eſt? quinam ille? & ſimilibûs. Et adhibitîs reſponſionibûs ad iſta ſuppetit ampliſſima materia in oratione diſcurrendi, & veritatem aliquam certò certiùs perſcrutandi, tum ad virtutis ſtudium, tum ad peccati fugam.

2. Allatîs tum authoritatibûs, tum exemplîs, ſimilitudinibûs, antitheſium appoſitione, aliîſve argumentîs ex ſacra Scriptura potiſſimùm & Sanctis Patribus depromptis.

3. Perpendendo ſingula verba ſententiæ cujuſdam, & diſcùrſum adhibendo, v.g. Tu mihi lavas pedes, &c. *Tu*! Deus cœli ac terræ, &c. *mihi*! miſerrimo ac deterrimo peccatori, *lavas*, quod eſt ſervi ac viliſſimi mancipii: pedes ſordîſſimos ac fædiſſimos. O egregium humilitatis ac dilectionis documentum! Juvat igitur prorumpere in actus profundiſſimæ humilitatis & ad vilia quæque miniſteria ſe animare.

4. Reflexione, utendo diſcuſſione quadam, quoad nos, hôc pactô. Credis hoc? num laboras hôc vitiô; an eſt in te hujus virtutis ſtudium? an hoc te afficit? ad hoc es nè paratus? & ſic de cæteris.

Porrò, ut meliùs conſtet qua ratione ſint ejuſmodi conſiderationes dilatandæ, ſcire juvat, ſi res ipſa ad meditandum propoſita ſenſibilis ſit, ùt crucifixio, &c. fieri ut plurimùm hôc pactô. 1. diſcutiendo

endo sigillatim omnes circumstantias, puta personam, tempus, locum, finem, media, atque adeò rationem ac modum, adhibitis ad hoc hîs vel similibûs quæstionibûs : *quis, quid, ubi, quibûs auxiliîs, cur, quomodò, quandò* : v.g. Circa crucifixionem, *quis patitur*? Christus Dominus Dei Filius : *quid patitur*? verbera, spinas, crucem : *cur?* ut nos redimat : & sic de aliis quæstionibus, quas vide secunda parte hujus Libri sub initio Meditationum de Passione D. N. JEsu Christi.

Aliàs auscultando quid nobis dicatur, quasì accepturi inde aliquid consilii vel documenti.

Aliàs pensitando quid fiat, dicaturve; imò verò quid fieri, dici cogitarive potest?

At verò cùm res ipsa sensu percipi nequit, cujusmodi sunt *virtutes ac vitia, vel attributa ac perfectiones Divinæ*, puta misericordia, sapientia, omnipotentia, &c. dilatantur ut plurimùm Considerationes, discutiendo, 1. rem ipsam, *an sit?* disquirendo, quæ sit illius natura ac definitio? 2. *quæ illius causæ*? 3. *qui affectus*? vel clariùs adhibita methodô D. Episcopi Genevensis, quoad virtutes ac vitia, perpendendo. 1. *definitionem*, cogitando quid sit ipsa virtus aut vitium? 2. quæ *differentiæ vel indicia*? 3. *quinam affectus*? 4. *quibûs mediîs* sit comparanda : quæ omnia ad duo potissimùm reducuntur, ad rationes seu motiva comparandæ hujusmodi virtutis, vel vitii extirpandi, & ad media ad id convenientia.

§. 2.

De Affectibus.

NOtandum affectus ùt plurimùm in oratione fieri solitos, esse. 1. amoris Dei, 2. odii ac detestationis peccati, 3. desiderii futuræ beatitudinis,

4. ti-

4. timoris inferni, 5. gaudii spiritualis, 6. tristitiæ ac aversionis peccati, 7. spei in Deum, 8. conformitatis cum Divina voluntate, 9. adorationis, 10. confusionis suiipsius, 11. compassionis erga Christi dolores & cruciatus, 12. contritionis de peccato, 13. gratiarum actionis. &c.

2. Moveri posse eosdem affectus. 1. *Colloquiis*, quasi Deum interpellando, vel aliquam ex personis Divinis, vel ipsum Christum, Deiparam Virginem, Angelos tum bonos, tum malos, atque adeò Cœlites ipsos sive nominatim, sive generatim; vel animam nostram, aut corpus; vel personas ipsas propositum mysterium ingredientes; creaturas omnes, sive animatas, sive sensu carentes; unam aut plures vicissim. 2. *Orationibûs jaculatoriis* pluribûs, vel unâ atque eâdem subinde ac multoties repetitâ, prout de Divo Augustino legimus: *Noverim te, Domine, noverim me*: vel cum Beato Francisco: *Domine, quis es tu? quis ego?*

3. Sensuum applicatione, vel sibi res ipsas de quibus agitur, ob oculos ponendo, vel quasi audiendo, palpando, olfaciendo vel gustando, &c.

4. Diversîs interjectionibûs, ac per modum exclamationis, v. g. Heu mihi Domine! ô utinam! væ mihi! ô bone Deus! ah me miserum! quid feci! & similibûs.

5. Denique signô aliquô pietatis externô, puta pectus tundendo, terram deosculando, Crucem vel Crucifixi imaginem amplectendo, in precationes vocales prorumpendo, pensando singula verba, cœlum intuendo, &c.

§. 3.

De resolutionibus ac proposito.

Fieri solent resolutiones ac proposita interdum circa

circa præcipua munera erga Deum, proximum, ac nosipſos: interdum verò de iis, quæ nobis maximè deſunt vel obſunt, puta de pravis affectibus ac propenſionibus, peccandi occaſionibus, impedimentis ad virtutem, ac progreſſum ſpiritualem, vel virtutum ad ſtatum noſtrum conducentium defectu, *&c.*

2. Sub initio communes, ac generatim fieri debent, puta Deum redamandi ac colendi; ſed ſub finem peculiares eſſe debent, tum quoad objectum, tum quoad circumſtantias. Quoad objectum, puta hôc vel illud peccatum emendandi, hunc vel illum virtutis actum eliciendi, talem occaſionem vitandi, obicem iſtum profectûs ſpiritualis amovendi: quoad circumſtantias verò, hoc vel illud faciendi, tamdiu, tali die, horâ, locô, hac vel illa ratione, hôc vel illô modô ac mediîs, *&c.*

3. Animadvertendum totum orationis fructum in his peculiaribus propoſitis eſſe ſitum, quibûs neglectîs exiguum, imò verò nullum ex oratione fructum referri,

4. Non eſſe multiplicanda in eadem oratione propoſita: duo vel tria ùt plurimùm ſufficere, imò verò unicum, ſi bene fiat, pluribus aliis præpollere.

5. Conducere itèm, ſi peracta oratione ſcriptis mandentur, adjectô præcipuô motivô ad hanc vel illam praxim nos impellere.

TERTIA PARS.
CONCLUSIO.
§. I.
De gratiarum actione.

DEO exhibendæ ſunt gratiæ, quòd ab illo pii affectus & bene agendi conſilia ac propoſita proveni-

veniant, & si secus fiat, ac ejusmodi donorum auctor non agnoscatur, gratias ac dona meritò subtrahit, vel quæ paratus erat dare, non tribuit.

2. Ad id invitari possunt res omnes creatæ, maximè Beatissima Virgo, Custos Angelus, *&c.* ut id rectiùs fiat.

§. 2.

De Oblatione.

HIc secundus actus non minùs valet ad impetrandum à Deo postulata, quàm gratiarum actio, si magna cum humilitate ac fiducia fiat: non enim de muneris dignitate dubium esse potest, cùm Deo rem à se acceptam, atque adeò opus suum referimus.

2. Juvat etiam illi offerre precationes, ac aliorum bona opera: præsertim verò Sacrificium, habita ratione vilitatis atque infirmitatis propriæ, nè labefactari illa contingat, quæ ipse bene operatus est in nobis, confitentes nos indignos esse quidquam ex nobis, quasi ex nobis offerre.

3. Laudabile etiam est Beatissimam Virginem, vel Angelum Custodem interpellare ad hanc oblationem nostro nomine præstandam.

§. 3.

De Petitione.

HIc actus est quasi tota ratio essentialis orationis, cui etiam soli magis incumbendum quàm duobus præcedentibus simul. 1. ad faciliùs obtinendum petitionis effectum, juvat exhibere Deo rationes, ob quas postulatis annuat: atque imprimis bonitatem illius ac misericordiam, Omnipotentiam,

Chri-

Christi Domini merita. 2. pollicitationes præstandi quod petimus, & præcepta nobis imposita postulandi. 3. necessitates ac miserias prope innumeras. 4. infirmitatem omnimodam, fiduciam nostram & conformitatem Divinæ illius voluntati. 5. interponere insuper Deiparæ Virginis, tutelaris Angeli, Sanctorum, ac præsertim Patroni intercessiones ac merita, aliorumvè quorum aliqualis est mentio in re proposita, vel circa quos subest nobis aliquod pietatis studium; imò verò proderit etiam non nobis tantùm gratias hujusmodi, verùm aliis etiam in genere, tum singillatim postulare, &c.

Notandum verò.

1. Si datô signô sit abeundum, nondùm absoluta oratione, proposita, ac resolutiones peculiares breviter esse efformandas, deinde breviter esse eliciendos tres supradictos actus Conclusionis: nunquam enim sunt omittendi, præsertim postulatio.

2. Interdum in ipsa serie orationis posse tres istos actus multoties efformari: imò necesse, si res ipsa, vel devotio ac animi fervor postulare videntur, maximè gratiarum actionem ac petitionem.

§. 4.

De corollario spirituali.

Consistit hæc corollarii ratio in nonnullis affectibus ac præcipuis resolutionibus, quæ per modum orationis jaculatoriæ in summulam rediguntur, & quibus toto illô die uti, seu ocupari liceat, etsi præstaret, si ad id aliquis versiculus ex Psalmis, aut sacri Textûs sententia in usum venire posset. Ad rectè autem sacrum hunc fasciculum

compingendum, juvat exiguum in orationem examen præmittere, quô possit dignosci, an bene vel malè cesserit oratio, postulariq; à Deo venia de culpâ admissâ, vel exhiberi gratiâ de peracta feliciter oratione.

2. Ut feliciùs cedat oratio, juvabit ferculum hoc spirituale identidem subodorari, hoc est, jam conceptis resolutionibus magìs ac magìs instare: v.g. 1. cùm statim ab oratione est ad aliud transeundum. 2. antequam ad aliam orationem appellas animum. 3. ad cujusvis horæ signum extra orationem. 4. cùm diutiùs aberasse distractione aliqua deprehenditur animus.

3. Nec satis esse putandum est, si subinde refricentur animô propositæ virtutis actus, nisi ad praxim venias, quoties se dederit occasio, v.g. si modestiam statui servare, curabo diligentèr ut ambulando ad modestiam gressus omnes, gestus & oculos componam.

Porrò notandum.

Rei ordinem postulare, ut nonnihil de præparatione remota ante proximam, de qua jamjam dictum est, quasì de prima orationis parte diceremus: sed quia hujus Libelli auctor satis superque in suo Proœmio disseruit, satis esse existimavi ad illud Lectorem remittere: nihilominùs perspecta hujus præparationis necessitate, & hâc non præmissâ, exiguum ac prope nullum fore orationis fructum, operepretium duxi, hìc illam fusiùs, non quoad initium, sed quoad finem singulari quadam ratione explicare per modum præmoniti cujusdam singularis, ut diligentiùs expendatur. Itaque cùm exigui non sit momenti, dicam breviter quid sit.

§. 5.

§. 5.

De præparatione remota ac sejuncta.

PRæparatio sejuncta ac remota fit, tempore orationem ipsam præcedente, puta à generali examine vespertino ad orationem crastinam: & duo potissimùm spectat: 1. præparationem rei quam mediteris, ac animi, ut rectè fiat.

Quod ad rei seu subjecti præparationem attinet: 1. prælegenda est res ipsa, & bene animo comprehendenda. 2. finis observandus, quò tendat vel quò sit dirigendus, præconcepta jam animo præcipua resolutione, quæ inde elicienda est. 3. disponenda summatim puncta, puta motiva, judicia, rationes ac media, *&c.*

Quod ad præparationem animi attinet, mediîs positivîs & negativîs utendum. Negativa sunt, 1. amandatio peccati vel illius affectûs ex animo, prævia contritione atque adeò etiam confessione, si necessitas vel opportunitas tulerit: peccatô enim à Deo, quem adimus per orationem, disjungimur, 2. omni sollicitudine, aliîsq; impedimentîs orationis tranquillitati obstantibûs, sese abdicare.

Media positiva sunt, 1. secessus ac recollectio interna, animum ad rem de qua mediteris, vel aliud quidvis pium applicando. 2. recollectio externa: strictissima silentii observatione, compressa omni oculorum evagatione, pacificè, benignè ac tranquillè reliqua omnia agendo. 3. pura intentio, seposita omni vanitate, curiositate & humana consideratione, in hoc unum incumbendo, ut seclusa omni commoditate ac satisfactione propria, soli Deo placeamus, & illius gloriam intendamus. Hoc præceptum tanti videtur esse momenti, ut expedi-

ret subinde etiam orationis tempore renovari ac iterari.

PRÆMONITUM PRÆNECESSARIUM.

CÆterùm, certò certiùs tendendum, præscriptas omnes meditandi rationes ac formulas parùm profuturas, nisi Dei gratia intercedat: non enim industria humana sufficit ad producendum pium aliquem affectum, nisi aspirante Spiritu Sancto, cùm ipsa oratio sit donum Dei, quod pro libitu dispertitur, maximè verò humilibus ac simplicibus: cum simplicibus enim est sermocinatio ejus: & ut tentationis Dei & diabolicæ illusionis non esset expers, qui orationi vacare præsumeret, non cooperando ipsi Deo per actus aliquos facultatum animæ, ac sinè aliquo duce; sic esset summæ arrogantiæ ac impietatis tribuere propriæ industriæ pios affectus ac resolutiones in oratione conceptas. Quamobrem, si feliciter nobis cessit oratio, soli Deo tribuendum, utpote tanti muneris Largitori, quô nos alioquin indignissimos voluit, pro sua benignitate, cumulari.

IN-

INDEX CAPITULORUM.

Quæ in prima parte hujus Libelli comprehenduntur.

MEDITATIONES IN DOMINICAS ET FESTA D.N. JESU CHRISTI.

Nec-non Quadragesimæ, Quatuor-Temporum, aliásque præcipuas Ferias.

PARS PRIMA.

DOMINICA I. ADVENTUS.

De signis Judicii extremi. Luc. 21.

1. *DIxit JEsus discipulis suis: Erunt signa in sole, luna, & stellis, arescentibus hominibus præ timore,* &c. Considera 1. Cur statim initio Adventûs ad celebrandum felicem summi Regis in hunc mundum per Incarnationem ingressum instituti, Ecclesia nobis terribilem ejusdem Regis postremo Judicii die, Adventum exhibeat? nisi forsan ut districti hujus Judicii metu consepultos vitiis peccatores excitet ad amplectandas virtutes necessarias; quibus Redemptionis nostræ fructus dignissimos promereri valeant, atque adeò imminentes ac debitas delictis suis pœnas hoc postremo die declinare. Hæc idcirco plerosque incessit cogitatio ac inter cæteros

D. Hieronymum, qui ſemper inſonare ſibi ajebat terribilem illam vocem, Surgite mortui, venite ad Judicium. 2. Perpende quàm horrenda futura ſint iſtius Judicii ſigna: nam inter cætera, ſtatim Sol obſcurabitur, Luna erit ſangvinea, ſidera ità conflagrabunt, ut è Cœlo in terras cecidiſſe videantur, tantus denique erit hominum ſtupor, ut inuſitato terrore perculſi contabeſcant: porrò ſi tam horrida futura ſint prævia Judicii iſtius ſigna, quale Judicium ipſum futurum putas, ubi à diſtricto Judice etiam de verbo otioſo exigenda eſt ratio, & ſuprema in peccatores detonanda ſententia?

II. *His fieri incipientibus, Reſpicite & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Conſidera primò, quòd boni tunc monentur ſperare & gaudere, quando maximæ ſunt afflictiones, quia illorum eſt, per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Quò impij magìs dolent de futuris imminentibus malis, eò piis magìs eſſe gaudendum de impendentibus bonis: & ideo Judicii dies piis non erit horribilis, ſed jucundiſſimus, pro quo certamine coronabuntur. 3. Conſidera, quòd tunc incredibile gaudium piis afferet redemptio ipſorum, hoc eſt: liberatio corporis à morbis, inordinatis paſſionibus, omnique corruptione, deinde ab omni tentatione dæmonis & mundi, metúque damnationis. 4. Illud gaudium venturum de Cœlo, ut ſcias nullum ſolidum gaudium eſſe expectandum in terra.

III. *Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores, cùm producunt fructum, ſcitis, quoniam propè eſt æſtas. Et vos cùm hæc fient, ſcitote, quia propè eſt regnum Dei.* Conſidera Dominum præcedentia ſigna conferre cum arboribus pullulantibus, ut dicas tantò pulchriores fore creaturas poſt Judicium,

quan-

quantò arbores in æstate florentes, sunt aridis in hyeme venustiores. 2. Nota, tum nos esse regno cœlorum proximos, cùm instar arborum bonarum floremus, & fructibûs abundamus.

DOMINICA II. ADVENTUS.

De S. Joanne Baptista in vinculis. Matth. 11.

I. *JOannes in vinculis auditìs Christi operibûs, mittens duos de Discipulis ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Considera Joannem licèt vinctum non de sua liberatione, sed de discipulorũ salute sollicitum, ut rectè in fide & vita sancta instituantur, ut discas in afflictionibus nihil de consvetis precibus aliisq; officiis pietatis detrahere. 2. Joannem non misisse, quòd ipse dubitaret de Christo, an esset Messias, sed ut ignorantiæ missorum consuleret, & per conspecta miracula eos ad Christũ traheret, sciens se brevi moriturum, ut discas, cùm per te non potes, vel audes monere vel docere, debere saltèm per alium.

II. *JEsus respondit: Nunciate Joanni, quæ audistis & vidistis, cæci vident &c. pauperes evangelizantur, & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Considera, Christum non fateri palam se esse Messiam venturum, sed tantùm se opera facere, quæ in Scriptura tribuuntur Messiæ, ut discamus neminem facile se debere commendare; sed id tantùm dicere ad Dei gloriam, quod satis est ad salutem alterius promovendam. 2. Docere quemvis superiorem & magistrum, ut priùs facto præstent, quod volunt subditis mandare per verba: Christus enim hìc maluit factìs quàm verbìs respondere. 3. Nota, Christum ocultè corripere discipulos Joannis, cùm ait: *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me*: nam ob zelum in magistrum nondum credebant in Christum; ut numquam palam ocultos peccatores confundamus,

ſicut & aliàs Chriſtus cum Juda fecit, quem diſcrete arguit, quia ſecretum erat illius peccatum.

III. *Illìs abeuntibùs, JEſus dixit ad turbas: Quid: exiſtis videre, Arundinem ventô agitâtam? mollibus veſtitum Prophetam? imò plus quàm Prophetam.* Conſidera, Chriſtum non laudaſſe Joannem coram diſcipulis, tum ut notam adulatoris effugeret, tum ut nè ex laudibus occaſionem raperent, licèt ſinè cauſa, eum Chriſto præferendi, ut diſcas coram hæreticis & improbis, prudenter & parcè de laudibus Sanctorum loqui, nè calumniandi anſam arripiant. 2. Conſidera, hìc authoritatem veſtitus laudari, & Eremitarum, aliorúmque Religioſorum duram vitam probari: contra verò improbari moll s & pretioſas veſtes. 3. Conſtantiam auſteritati & paupertati conjungi, quia nulli conſtantiores ſunt in fide & veritate tuenda contrà mundum, ejuſque principes, quàm qui mundum ejuſque opes & pompam ſeriò contempſerunt. 4. Turbis & ſimplicibus hominibus ſæpè vitas quoque aliorum Sanctorum privatim & publicè recenſendas.

DOMINICA III. ADVENTUS.

De Judæorum legatione ad Joannem. Joan. 1.

1. *MIſerunt Judæi Sacerdotes & Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum, Tu quis es?* Conſidera cur tanti nominis fuerit Sanctus Joannes, nempè quia ejus nativitas fuit admiranda, quia à puero in eremum ſeceſſit, ibique duram vitam, ſoli Deo vacans, uſque ad virilem ætatem egit, quia pœnitentiam prædicabat, veritatis & juſtitiæ amantiſſimus; ut diſcas tales virtutes imitari, ſi ad perfectionem Chriſtianæ vel Religioſæ vitæ aſpiras. 2. Conſidera vitæ ſanctitatem non ſolùm apud Deum, ſed etiam apud improbos & hæreticos ſuſcipi, & inho-

no-

nore haberi: erant enim isti legati ex Pharisæis, ut paulò inferiùs dicitur, qui erant inter Judæos quasi hæretici.

II. *Et confessus est, quia non sum ego Christus, nec Elias, nec Propheta. Ego sum vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias.* Considera summam humilitatem Joannis: nam cùm potuisset, si voluisset, reputari Christus, noluit tamen id fieri, imò noluit haberi Elias & Propheta, cùm verè posset: nam Christus Matth: 11. vocavit eum Eliam, & Joan. 1. plùs quàm Prophetam: ut discas humilis esse, nec de iis quæ verè habes, ut nobilitate generis, doctrinâ & sanctitate, te jactare; sed hæc omnia celare, quamdiu sinè mendacio fieri potest. 2. Considera eum importunitate missorum coactum indicare, licèt valde obscurè, se esse eum, de quo locutus esset Isaias: sed quantus erat ille? *Vox* inquit, *clamantis in deserto*, nova humilitas. Quid enim vanius vel fragilius voce, quæ statim maximè in deserto loco prolata, evanescit? Verè autem erat vox, quia toto corporis habitu, totáque vitæ conversatione nihil aliud, quàm clamabat, & invitabat homines ad pœnitentiam, & dirigebat viam ad Christum. Hinc discimus non ore tantùm, sed vitæ piæ exemplô etiam prædicari veritatem.

III. *Quid ergo baptizas, instant illi, si non es Christus, nec Propheta? Respondit: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, cujus ego non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere.* Considera Sanctum Joannem perstare in humilitate, secundùm illud Eccl. 3. *quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Sciens inter virtutes, ùt alicubi Augustinus docet, illam esse primam, mediam & ultimam, ac ideo maximè imi-

tandam. Conſidera, ſicut Joannes humili reſponſione, inſidioſas iſtorum quæſtiones evaſit, & Chriſti gloriam defendit, ſic ſola humilitate laqueos omnes dæmonis te poſſe evadere, ùt docuit Sanctus Antonius. 3. Etiamſi non cogitemus vel neſciamus, tamen in medio noſtrûm ſtare JEſum obſervantem quid agamus.

Feria quarta Quatuor Temporum. Vide infrà Medit. in feſto Annuntiationis B. Mariæ, 25. Mart.

Feria ſexta Quatuor Temporum. Vide infrà Medit. de Viſitatione B. Virginis, 2. Julii.

SABBATO QUATUOR-TEMPORUM.

De prima prædicatione S. Joannis Baptiſtæ. Luc. 2.

1. *ANnô quintô decimô imperii Tiberii Cæſaris*, &c. *factum eſt verbum Domini ſuper Joannem in deſerto.* Conſidera 1. cur notat Evangeliſta miſſum eſſe D. Joannem, Tiberio Imperatore regnante? puta ut conſtaret hoc eſſe tempus à Prophetis prænuntiatum, ſicque faciliùs Judæi ac infideles arguerentur, & Chriſtiani aliàs dubitabundi, firmiùs in fide myſterii Incarnationis ſtabilirentur. In Evangelio expreſſam haberi mentionem eorum hominum, qui tunc temporis rerum adminiſtrationem gerebant, puta Tiberii Imperatoris, Herodis, Annæ, Caiphæ, & aliorum nefariorum alioquin hominum, ut immenſa Dei bonitas perfecta eſſet, quippe qui remiſſionem peccatorum iis eo ipſo tempore vulgaret, quô graviùs offendebatur. 3. D. Joannem nonniſi accerſitum à Deo prædicationis munus ſuſcepiſſe in deſerto, ut diſcant concionatores, non ad id ſua ſponte vel ambitu, faſtu aliquo, curioſitate, alióve pravo affectu animum eſſe appellendum, ſed explorata priùs Dei voluntate in ſeceſſu, vel

vel saltèm fusîs sæpè ad Deum precibûs, & adhibitô insuper prudentis viri consiliô.

II. *Prædicabat in deserto baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, &c. dicens : Ego vox clamantis in deserto, &c.* Considera 1. D. Joannem etsi ab utero sanctificatum, vitam egisse in deserto, ut peccati occasiones vitaret : nos verò, qui toti in peccatis nati sumus, iisdemque quotidiè inquinamur, præsumimus inter ipsas Deum offendendi occasiones degere, imò plerûmque exquirere. 2. D. Joannem non in populosis urbibus prædicare, & de sola pœnitentia agere, ut concionatores suô exemplô doceret, apud rusticanos ac plebejos homines verba facere & majores suggestus non ambire, atque adeò sublimia & curiosa in concionibus non agitare, sed ad auditorum captum sese accomodare. 3. Concionatorem vocem clamantem in deserto esse, cùm verbis opera non respondent, animúsque illius pravîs affectibûs ac vitiîs exæstuat, quemadmodùm deserta loca feris abundare videmus.

III. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas : & videbit omnis caro salutare Dei.* &c. Consid. 1. Christum Dominum velle nos esse bene dispositos ad verba illius bene audienda, ac illam præparationem optare, ut nullus in nobis vanitatis ac superbiæ collis assurgat, nec torporis & acediæ vallis deprimatur. Nulla denique intentionis obliquitas, nulla odii asperitas, nec proximi contemptus obsistat. Ejusmodi igitur defectus perstringamus, & sic in adventum suum bene præparatos Salvator inveniet. 2. Perpende Salvatorem ipsum, suo in mundum ingressu præparationis hujus rationes suppeditasse, viamque nobis ad felicitatem redemptio-

nis gratiâ suâ, doctrinâ, exemplóque virtutum humilitatis præsertim, obedientiæ, patientiæ & charitatis complanasse. Pudeat te igitur tam parùm de adventu illius profecisse, qui gravaris viam illam inire, quam tot pueri ac puellæ alacriter peragrarunt, Christíque martyres facti sunt.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

De prima prædicatione D. Joannis Baptistæ in idem Evangelium. Luc. 2.

I. ANnô *quintô decimô Imperii Tiberii Cæsaris*, &c. Consid. 1. hos omnes de quibus hìc fit mentio, etsi Imperatores nonnulli, Reges alii, alii Provintiarum Duces ac Præfecti, summi Sacerdotes alii, magni aliàs fuerint nominis, ac summam rerum consecuti, jampridem tamen desiisse; ut discas vilifacienda esse nomina ac eximias dotes, quas vani homines tanto in pretio habent. 2. Hos optimates, quorum hìc nomina recensentur, sistendos aliquando coram eodem Judice ac tribunali nobiscum, & cùm minimo de plebecula. Heu quàm parvipendenda eximia illa nomina apud Deum! qui hodie Imperatoris nomine appellatur, atque adeò Regis, Principis ac Sacerdotis, *&c.* optaret, vel servi ac pedissequi nomen habuisse, & viri boni ac Christiani nomen optinuisse. *Vocabit Deus*, ait Job. cap. 34. *Reges apostatas ac Duces impios.*

II. *Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto.* Consid. 1. solitudinis ac eremi commoda. Illic enim Deus loquitur, illic singulari quadam ratione cum D. Joanne egit: non in ædibus Zachariæ, quantumvis religiosi ac sancti nec in Herodis Palatio; sed in deserto factum est verbum Domini super Joannem. 2. Divum Joannem ùt primùm perspectam habuit Dei voluntatem, ex solitu-

tudine migrasse, ut ad Jordanem pœnitentiam prædicaret: undè constat, cùm Deus ex tranquillitate ac solitudine nos vocat ad actionem & rerum tractationem, ei obtemperandum esse, cùm ubique saluti vacare liceat; in mundo æquè ac in solitudine.

III. *Prædicavit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Considera 1. Nullum esse convenientiùs concionatoribus Evangelicis Dei cultum ac proximi salutem spectantibus argumentum, quàm pœnitentiam: ab ea Christus Dominus & Apostoli sumpsere prædicationis exordium. 2. Attende quàm utique sit nobis necessaria pœnitentia: non enim illâ tantùm Jordanis incolæ, sed universæ orbis nationes opus habent, non utique civitatem ullam aut opidum, imò nedum familiam aliquam privatam, ac domum etsi religiosam ac piam reperias, quam ad pœnitentiam adhortari, non sit utile ac necessarium; quandoquidem ubique suppetit quod arguas ac emendes. *Si dixerimus* (inquit Joannes) *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* 3. Perpende ipsa pœnitentiæ emolumenta: cùm enim sit ad peccatorum veniam obtinendam instituta, cur tam sera est in nobis? quid cunctamur? numquid compendiosum ac utile contractis nominibûs absolvi? Statue igitur quamprimùm pœnitere, confiteri, peccatorum occasiones propulsare, ac plenè Deo satisfacere.

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

De Nativitate Christi. Luc. 2.

1. B*Eata Maria cum Joseph sponso suo à Nazareth proficiscitur Bethleem (descendit autem & Joseph à Galilæa in Bethleem: ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante)* Considera utriusque obedien-

tiam & humilitatem. Maria enim exiſtens mater Regis Regum, non dedignatur cum tanto periculo (ſciebat enim ſe proximam partui) obedire Regi terreno & gentili, deinde patientiam in ferendis itineris longis laboribus, & quàm pia inter ſe miſceant colloquia: 2. Conſidera eos in Bethleem, id eſt domum panis ex Galilæa, id eſt volubilitate profectos, ut inſcriberentur in catalogum familiæ David: ut diſcas, te deſertis tranſitoriis & volubilibus hujus mundi deliciis, ſæpè ad eandem menſam panis vivi, qui deſcendit de Cœlo, debere accedere quo nomen tuum inſcribatur catalogo Sanctorum in Cœlo.

II. *Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret, & non erat eis locus in diverſorio.* Conſidera, quomodò Beatus Joſeph, cùm ſub veſperam Bethleem intraſſent, obeat domos, ut locum quietis inveniat: quantò angore percellatur, dum non invenit, cùm ab omnibus repellitur. Vide & Beatam Virginem per cæcas tenebras errantem partim, partim præ defatigatione in ſaxo aliquo ſedentem & dolenter expectantem, ſi quis fortè miſereatur. 2. Conſidera, quomodò poſt plateas omnes anguloſque decurſos cogantur in ſemiruptum ſtabulum vel ſpeluncam obſcuram, in qua noctu à pauperibus locari ſolent beſtiæ, divertere. 3. Expende, Beatam Virginem ſimul atque ſtabulum intravit, mox advertiſſe hunc eſſe paradiſum ſecundò Adam præparatum, hoc Regium eſſe Palatium Chriſto naſcituro erectum, hìc eſſe thronum Regium, ex quo verus Salomon veram ſapientiam in humilitate & inopia fundatam docere debuit.

III. *Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præſepio.* Conſidera, Bea-

tam

tam Virginem, cùm magnam partem noctis, orationibûs & sanctîs suspiriîs consumpsisset, tandem stupore sapientiæ Dei & gaudiô incredibilî abreptam ex purissimis uteri visceribus, sinè ullo dolore, salvis virginitatis claustrîs, Infantulum JESUM genuisse. 2. Considera, conspectô Infantulô, quanta lux mox oborta sit in stabulo, quàm suavis Angelorum concentus auditus, quanta lætitia secuta Beatam Virginem & Joseph, quomodò certatim in oscula puelluli irruerint, quàm suavibûs vicissim ocellulîs puer eos aspexerit. Quàm promptè Beata Virgo materna officia mox exhibuerit, panniculîs pauperculîs eum involvendo, pectori astringendo, purissimo lacte nutriendo. 3. Considera, non in pulvino molli, non in cunis; sed in vili, duro & frigido præsepi infantem collocatum: hæcque omnia non alia de causa à Deo facta, quàm ut confunderet sapientiam hujus sæculi, docerétque non esse vera bona, quæ mundus admiratur, sed paupertatis amorem, perpessionem afflictionum, & omnium rerum despicientiam.

II. PARS MEDITATIONIS.

De Pastoribus, ibid.

1. PAstoribus revelatur Christi Nativitas per Angelum, (*Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator*) &c. Considera Angelum Domini acceptâ licentiâ à puerulo JESU, non ad Reges vel sapientes, sed ad simplices & vigilantes super gregem Pastores mitti, qui sua humilitate & vigilantia id meruerunt: *Cum simplicibus enim*, ait Sapiens, *est sermocinatio ejus*, &, *Qui manè vigilaverit ad me, inveniet me*. 2. Considera Christum summum Pastorem priùs sua luce illustrare superiores & Pastores aliorum, quàm subditos, ut subditi libentiùs si-

ſinant & eorum nutu dirigi maximè noctu, id eſt in majoribus fidei & morum difficultatibus. 3. Perpende quod dicit, *Natus eſt vobis Salvator*: Puer enim natus eſt nobis, ait Iſaias, & filius datus eſt nobis. Quô donô quid poteſt eſſe præſtantiùs?

II. *Et hoc vobis ſignum, invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Conſidera quod ſignum Angelus det, ut Chriſtus inveniatur in corde noſtro, nimirùm ut ſicuti infantes, ſimus expertes peccati & doli. 2. Si neceſſario tantùm amictu & victu contenti ſimus. 3. Si duritiem lecti, & alias auſteritates non refugiamus. 4. Conſidera quantô gaudiô paſtores perfuſi fuerint hôc nunciô, quàm citò deſertîs ovibûs in Bethleem ſe contulerint, quàm humiliter Chriſtum natum adorarint, quàm piè manus pedeſque ejus oſculati, quæ munuſcula paſtoritia obtulerint, quantum puerulus ſimplicium hominum conſvetudine, quô potuit modô, illis arridens, oblectatus fuerit. O felices paſtores, quibus fas fuit videre, quod tot Reges & Prophetæ optarunt videre, & non viderunt!

III. *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Conſidera, quid glorioſius eſſe potuerit, quàm in loco tam vili & abjecto triumphum agere cœlites, aërem ſvaviſſimo concentu complere. Sed ſi expendas quantæ dignitatis perſona ſit infantulus iſte pauperculus, nempe Filius Altiſſimi, facilè intelliges eum dignum omni veneratione & gloria: ſi verò cogites cauſam hujus abjectionis, nempe peccata noſtra, non miraberis hanc humiliationem. Per hanc enim & aliam longè majorem ſecutam uſque ad mortem crucis, reconcilliati ſumus Deo, & pax æter-

æterna donata omnibus hominibus bonæ voluntatis, hoc est: qui voluntatem suam parati sunt conformare Divinæ, ejúsque præceptis obedire. 2. Considera quanto cum gaudio Angeli reverterint in cælum, totámque Hierusalem cœlestem novô nunciô exhilararint: ac denique quomodò anima Beatæ Virginis, hîs omnibûs notatîs & auditîs, statim non lætitiâ liquefacta fuerit.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVIT.

Erant Joseph & Maria mirantes. Luc. 2.

1. E*Rant Joseph & Maria mater* JESU *mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Considera, miratos fuisse parentes tam mira dicta & facta circa puerum, cùm in puero nihil viderent singulare, quod non omnibus infantibus commune esset: ad te docendum, quòd etsi corporeîs oculîs nihil videas eorum, quæ credis, esse tamen fidem adhibendam Ecclesiæ, hoc est: tot Sanctîs Patribûs testificantibûs, quid sit credendum. 2. Considera mores Christi infantis, & ad eos tuos quoque compone, quia infans factus non fuisset, nisì aliquid in ejus infantia imitatione dignum foret. Et dictum Christi est: *Nisì efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum:* & Beati Petri: *Quasi modò geniti infantes lac concupiscite.*

II. *Simeon dixit ad Mariam: Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur, & tuam animam transibit gladius.* Considera, Simeonem hìc inter summa gaudia vaticinari de afflictionibus futuris tum Christo tum matri: ut intelligamus in hoc mundo non esse pura gaudia, sed multas tribulationes expectandas, si velimus esse veri discipuli Christi. 2. Hôc nunciô & excitatam fuisse Beatam Virginem ad multa cum filio

suo

ſuo perferenda, & participem gloriæ illius factam, quæ erat pati & mori ex obedientia Patris. Tam nobiles enim ſunt afflictiones pro Chriſto toleratæ, ut Chriſtus, ſicut eam maximè dilexit, ità etiam voluerit eam præ omnibus hominibus affligi, ac gladium crucis tranſire animam ejus: undè & martyr martyrum à Sanctis vocatur.

III. *Puer autem creſcebat & confortabatur, plenus ſapientia, & gratia Dei erat cum illo.* Conſidera in puero JESU quatuor hìc laudari: 1. Quòd plenus eſſet ſapientia rerum omnium, divinarum & humanarum, & ideo Doctore non egebat. 2. Quòd plenus eſſet gratia apud Deum & homines, quippè ab omni macula peccati immunis, & omnibus virtutibus doníſque cœleſtibus ornatus. 3. Quòd quotidie creſceret, ut corpore, ità variîs ſapientiæ effectibûs prodendis. 4. Quòd majores ſemper vires ſpirituales accipere videretur: Ut diſcas & tu quotidie in his virtutibus progreſſum facere, quia in virtute non progredi, eſt regredi & deficere.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

Luc. 2.

1. *Circumciſus eſt puer.* Conſidera 1. ſummam Chriſti humilitatem, quòd voluerit haberi peccator, cùm non eſſet (nam propter peccatum originale tollendum circumciſio inſtituta erat) nos autem cùm ſimus peccatores, nolumus haberi. 2. Obedientiam, quòd Legi, cui non erat ſubjectus, parere voluerit: erat enim Dominus omnium, & venerat, ut Legem illam tolleret. 3. Charitatem, quòd tam citò cœperit pro noſtra ſalute profundere ſanguinem. 3. Exemplum, ut pravos affectus, & occaſiones peccatorum, maximè autem pu-

gnantium contra castitatem circumcidamus, licèt sinè labore & dolore id non fiat.

II. *Vocatum est nomen ejus* JESUS, *quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.* Perpende qua de causa vocetur JESUS, id est Salvator, cùm permittat se circumcidi, quasi egeat salute, nempe ob nimiam erga nos charitatem, voluit etiam cum suo incommodo nobis prodesse, profusione sui sanguinis nos à dolore liberare & salvare: voluit non otiosè hoc nomen, licèt à Deo inventum, & ab Angelo annunciatum, usurpare, sed summo labore Passionis, mereri. Unde & Apostolus, Philipp. 2. dicit: *Propter quod exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Cogita quàm venerandum sit hoc nomen, quippè in quo *flectuntur genua cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Est enim nomen Filii Dei, quatenus homo factus est. Deinde quàm svave & salutare sit. *Omnis enim, qui invocaverit nomen* Domini, ait Propheta Joël 2. *salvus erit.* 3. Considera te non esse sequacem JESU, nisì etiam studeas per labores & passiones fieri Salvator aliorum.

III. *Redditus est matri suæ puer, quæ illi compatiebatur de sanguinis visa effusione.* Cogita 1. plorâsse puerum JESUM in circumcisione, non tam propter dolorem, quàm ob causam doloris, id est, tua peccata: ocellulosque suos conjecisse in matrem, ut ex svavi ejus aspectu aliquod caperet solatium. 2. Perpende quanto dolore maternum pectus, conspectîs lacrymîs & sanguine pueruli, fuerit obrutum, quot lacrymas ipsa fuderit, dixeritque potiùs corde, quàm ore: o dulcis JESU! quid est hoc? ante octo dies vidi te in præsepio plorantem & trementem, & hodie

die video te sangvinem pro mea salute profundentem. O quomodò crescit in dies charitas tua!

IN FESTO EPIPHANIÆ.

De tribus Magis Regibus. Matth. 2.

I. TRes *Magi Reges ad puerum* JESUM *adorandum venerunt, stella duce, ità attestantes (Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum)* Considera 1. Summam charitatem pueri JESU, qui omnes homines vocat ad salutem, è vicino quidem infimos pastores per nuncium Angelum: è longinquo divites & nobiles per indicium stellæ, illos ex Judæis, hos ex Gentibus, & quemque per congrua media, ut Magos peritos Astrologiæ per stellam. 2. Obedientiam Magorum, qui ad tam parvum indicium credunt, & constanter etiam in urbe Hierosolyma coram Herode audent quærere, ubi sit Rex Judæorum natus? Vide quantô gaudiô iter peragant, quantas gratias Deo agant. Expende, an tu inspirationi divinæ tam citò pareas.

II. *Procedentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Considera 1. Magos supplices in terra prostratos priùs adorare Christum, & deinde offerre munera: priùs offerre seipsos, corpus & animam puero JESU, quod munus longè fuit gratissimum. Sic olim Deus primùm respexit ad Abel, deinde ad munera ejus. Et tu quoque priùs offer Deo cor, & voluntatem tuam, deinde verò operum bonorum fructus. 2. Offerre aurum Christo ùt Regi, thus ùt Deo, myrrham ùt homini mortali: & tu tria offer JESU, aurum charitatis, super omnia eum diligendo; thus devotionis, omnia ad gloriam ejus faciendo; & myrrham mortificationis, passiones & cupiditates frænando, Religiosus si sis, offer aurum

rum' per votum paupertatis, omnem proprietatem refugiendo; thus per castitatem, corpus Deo consecrando; & myrrham per obedientiæ votum, voluntatem subjiciendo voluntati superioris. 3. Considera quanta consolatione puer JESUS, Reges, data benedictione, porrectis ad osculum manibûs, & pedibûs dimiserit. Quantóque gaudiô Beata Virgo & Joseph exultarunt.

II. *Responsô acceptô in somnis, nè redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in Regionem suam.* Considera Magos, quia tam liberales in Christum fuere, totos se cum thesauris suis offerendo, nihilque de fide, ob vilitatem & paupertatem parentum, detrahendo, novâ gratiâ per miraculum ornari, nè redeant ad Herodem, id est, nè malorum consvetudine damnum capiant: ut discas quando tu liberaliter te tuáque obtuleris Deo, Deum vicissim te non derelicturum, nec passurum ut mundi societatem requiras in maligno positi, sed potiùs facturum, ut per aliam viam mundo contrariam, id est paupertatis, contemptûs tui & mortificationis ac crucis, tendas in regionem tuam, idest paradisum cœlestem, unde omnes exulamus.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

De ascensu Christi in templum, annô duodecimô. Luc. 2.

1. N*Atus* JESUS *annos duodecim, è Nazareth profectus Hierosolymam.* Considera quanta devotione Beata Virgo cum JESU & Joseph quotannis iverit Hierosolymam ad celebrandum Pascha, cùm feminæ ad id non tenerentur, minùs puer JESUS: ut discas multa facere, ad quæ non teneris, & libenter loca sancta, precandi causa, licèt remota adire. 2. Cogita te videre puerum JESUM Junctis manibûs, & post eum Beatam Virginem & Josephum ardenter

& multîs horîs orantes. O utinam ex illo ferventium precum igne, una ſcintillula incideret in orationum noſtrarum frigus!

II. *Remanſit illic neſciîs parentibûs.* Conſidera intimum dolorem Beatæ Virginis, quando domum repetens veſperi non invenit ſuum JESUM, quem putabat eſſe cum Joſeph: quot gemitus ambo ediderint, quot lachrymas fuderint, neſcientes quò ſe verterent, quia erat nox; ſed nec cibum, nec ſomnum ea nocte ſumpſerint. 2. Cogita, cùm te volueris divino cultui dedicare, vel inſpirationi divinæ ſatisfacere, poſſe parentes, ſi reluctentur, eorúmque conſilia, deſerere. Tunc enim Deo magìs obediendum quàm hominibus. Deinde Chriſtum aliquando etiam piis, ſe, ſuáſque conſolationes ſubtrahere: ut diſcas ſollicitè eum, ejúſque gratiam cuſtodire. 3. Vide Chriſtum in aliquo angulo templi illa nocte ardenter orantem, de die verò, vel orantem, vel pia loquentem inter pueros, vel panem oſtiatim emendicantem.

III. *Poſt triduum eum invenerunt in templo: ſedentem inter Doctores: & ipſe illis cauſam moræ percontantibus, reſpondit: (Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.)* Cogita quomodò Beata Virgo, in reditu ab omnibus obviis quærat de filio, eóque conſpectô, quantum gaudium obortum cum lacrymis: quomodò irruerit in oſcula, nunc ipſa, nunc Joſeph, quas querelas depoſuerint. Quomodò viciſſim eas ſolatus! Quantùm Doctores illum laudârint coram ipſis! 2. Diſce Chriſtum inveniri in templo, non inter cognatos & carnales homines. Diſce & humilitatem, ut non pudeat alios audire, & interrogare, quæ neſcis.

DO-

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

De nuptiis in Cana Galilææ. Joan. 2.

I. *INvitatus fuit Christus, cum discipulis suis ad nuptias.* Considera 1. Humilitatem Christi, qui non dedignatur ire ad nuptias inopum: defecerat enim iis vinum. 2. Mysterium, quia matrimonium est Symbolum conjunctionis Christi cum Ecclesia, cujus tu es membrum: ut scias, sicut post nuptias sponsa non potest ampliùs divelli à sponso, sic, nec te à Christo, eóque magis, si per votum castitatis eum in sponsum elegeris. 3. Scopum Christi: ideo enim adiit nuptias, ut fructum & temporalem & spiritualem his afferret.

II. *Deficere vinum mater Christum monuit:* (*Vinum non habent.*) *Et ministris dixit: Quodcumque dixerit vobis, facite.* Considera 1. sicut olim Beata Virgo per suam humilitatem dicendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum,* Luc. 1. causam dedit summo miraculo Incarnationis, ut Deus fieret homo, sic nunc per charitatem causam dedisse primo Christi miraculo, ut aqua fieret vinum. 2. Si sollicita fuit non solùm de defectu universali per adventum Messiæ tollendo, sed & de particulari harum nuptiarum: sollicitam quoque fore de tuis defectibus corporalibus & spiritualibus tollendis, si eam invocâris. 3. Quòd ità sit sollicita de nobis, ut velit nos etiam cooperari. Nam dicit ministris: *Quodcumque &c.* Cooperamur autem, si libenter faciamus quidquid Christus nobis inspirârit, si voluntatem nostram cum divina in omnibus conformemus.

III. *Aquam in vinum convertit* (*Et manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.*) Considera hoc primum miraculum Christi, typum esse ultimi miraculi facti ante Passionem in institutione

Sanctæ Eucharistiæ, quando panem in Corpus suum, vinúmque in Sanguinem convertit: ut discas huic potiùs sacro convivio, quàm illi nuptiali prophano sæpè interesse. 2. Considera te verum imitatorem Christi fore, si ità inter homines verseris, ut aquam primò in vinum convertas, id est: peccatores coneris facere justos, bonos meliores: deinde omnia ad gloriam Dei, non tuam agas: Et si aliorum sis magister ac superior, discipulos & subditos, tuâ doctrinâ & sanctitate reddas in fide firmiores, & amore Dei ferventiores.

MEDITATIO II.

I. *Dicit Evangelista (& mater* JESU *erat ibi) id est in nuptiis.* Considera illam ibi fuisse, antequam Christus advenisset. Cur verò prævenit: nisi ut operam suam illis offeret in parandis nuptiis, & ut incitaret ad Christum invitandum? hoc est, ut charitatem perfectam, corporalem & spiritualem erga eos declaret. 2. Ubi Beata Virgo est, vel colitur, ibi continuò adesse Christum cum suis Sanctis. Non potest filius abesse à matre, nec magister à discipulis. Gaude ergò si in sodalitate Beatæ Virginis verseris, vel singulari devotione eam colas: nam sperare potes Christum tibi cum omnibus Sanctis affuturum.

II. *Dixit eis* JESUS (*implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas usque ad summum.* Considera 1. licèt miraculum ex sola Dei virtute pendeat, Christum tamen nostrum quoque conatum postulare, quamvìs difficultatem nonnullam habeat conjunctam: erant enim maximæ hydriæ. Deinde conatum nostrum esse debere non qualemcunque, sed perfectum, quia ministri implêrunt eas ad summum: unde vulgò dicitur, Deum nemini deesse suâ gratiâ, si faciat quod

in se est. 2. Eos habere hydrias sex implendas, animam, corpus, intellectum, voluntatem, sensus internos, & externos, *thesaurum enim gestamus*, ut ait Apostolus 2. Corinth. 4. *in vasis fictilibus*: sed implendæ sunt aquâ contritionis & lacrymarum, ut convertantur in vinum gratiæ. *Cor enim contritum & humiliatum Deus non despicies*, ait David Psalm. 50.

III. *Architriclinus dicit sponso: Omnis homo primò bonum vinum ponit, deinde quod deterius est.* Considera, mores hominum mundi, contrarios esse moribus & legibus veri Sponsi Christi; illi enim primò vinum bonum suis in hac vita apponunt, id est voluptates, honores & opes: deinde verò deterius, nempe crucem conscientiæ, desperationem, damnationem æternam. Christus verò commendat suis paupertatem, fletum, crucem, tribulationes in hac vita, deinde verò thesauros magnos in cœlo ac æterna gaudia. Vide tu quos velis sequi! Beatus Augustinus certè Christum maluit quàm mundum, cùm diceret: *Hic ure, hic seca Domine, modò in æternum parcas.*

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

De Leproso, & Centurionis servo. Matth. 8.

1. LEprosus, *adoratô Christô, dixit: (Domine si vis, potes me mundare.* Considera 1. Christum post descensum ex monte, in quo multa dixerat de dilectione proximi, jam venire ad praxim, & exercere illam: ut discas doctrinam debere respondere cum vita. Diligere enim debemus proximum non tantùm verbô, sed opere & veritate, ùt loquitur Beatus Joannes. 2. Vide quid faciat Leprosus, ut impetret sanitatem: Humiliat se, fidem suam magnam, opere adorationis, protestatur, agnoscit, & fatetur

se Leprosum, solique divinæ voluntati se committit, dicens: *Si vis, potes*: ut discas tunc orationem tuam fore efficacem, si humiliter petas, & cum resignatione, ut tantùm voluntas Dei fiat, sive sanus, sive infirmus esse debeas: fortè enim hic Leprosus, si infirmus non fuisset, Christum non quæsisset.

II. *Et extendens* JESUS *manum, tetigit eum dicens: volo, mundare.* Considera 1. Christum, cùm verbô posset, tactu tamen voluisse eum sanare: ut doceret te non debere abhorrere à pauperibus vel ægris, quando potes eos juvare. Sanctus Martinus & Sanctus Franciscus leprosos osculati sunt. Sanctus Elzearius, & Sancta Margareta Regina Scotiæ, etiam pedes eis lavêre: Et eadem ratione nec desistere à scelestissimis hominibus juvandis. 2. Cogita & te fieri leprosum, quando animam tuam sinis vel unô peccatô mortalî, vel multîs imperfectionibûs fœdari, & ideo te indigere etiam tactu frequenti Sanctissimæ carnis Christi in Sancta Eucharistia.

III. *Dixit* JESUS *mundato* (*Vide nemini dixeris, vade ostende te Sacerdoti & offer munus.*) Considera, quantopere piis cavenda sit vana gloria, quæ, sicut umbra corpus, ità solet sequi bona opera; cùm JESUS, nec timuerit se peccaturum, & potiùs debuerit promulgare hoc suum opus. 2. Quòd pudere nos non debeat peccata etiam turpissima & gravissima confessario vel patri spirituali patefacere, ut oratione, consiliô & imposita satisfactione, perfectè à lepra peccati liberemur. 3. Bonum esse, gratum erga Deum animum, testari, etiam munere externo, offerendo illud in templo, vel gratias pro beneficiis acceptis Deo agendo. Deus enim ideo sibi cupit aliquid de tua substantia dari, vel à te crebras gratias agi, ut tibi plura dare possit.

II.

II. PARS.

De Centurione.

I. IN *urbe Capharnaum, Centurio dixit* JESU, *servum suum jacere paralyticum, & malè torqueri.* Considera 1. charitatem Centurionis, etiam pro vili servo solliciti: & Christi humilitatem, qui non dedignatus illum, respondit: *Ego veniam & curabo eum:* ut discas, si superior sis, etiam viles subditos non respuere: & si non sis, exemplô Christi, promptè eis, cùm potes, succurrere. 2. Expende, num tu quoque sis paralyticus: primò enim servus peccati es & passionum, si eas non expugnes. 3. Jaces in lecto, si affectu sis immersus rebus mundi. 4. Et paralyticus, si in peccato mortali, quia nihil potes operibûs bonîs mereri. 5. Malè torqueris, si excruciet te in aliqua re conscientia, & nimia sollicitudo rerum temporalium.

II. *Respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus ut intres sub tectum,*&c. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, dicens huic: Vade, & vadit.* Considera, Centurionem eô ipsô quòd indignum se reputat, factum dignum, ut Christus intraret non domum, sed cor ejus. Vide quot virtutes hìc declaret. Humilitatem, dum indignum se putat Christi præsentiâ. Fidem, dum credit, absentem, verbô posse sanare. Sapientiam, dum à nemine doctus agnoscit Deum, Dominum omnium creaturarum, cui creaturæ facilius obedire ad nutum debeant, quàm famuli sui sibi. O fides eximia! non gentilis, sed Christiani; non militis mundi, sed Christi.

III. *Christus miratus tantas virtutes in homine gentili, prædixit multos gentiles ubique convertendos, filios autem regni, id est Judæos, ejiciendos in tenebras exteriores, ubi*

erit fletus & stridor dentium. Considera 1. Christum miratum ejus virtutes, non quòd ignoraret, sed ut declararet quanti faciendæ sunt in eo, qui omnium rerum divinarum est ignarus. 2. Ut disceres non attendere Deum ad statum, an Judæus, quis sit vel gentilis, religiosus vel sæcularis, sed ad veras virtutes. 3. Considera, non quia Christianus, Beatæ Virginis sodalis vel spiritualis es, ideo te securum de salute; sed si humilitatem, charitatem, aliásque Centurionis virtutes imiteris. Quò enim plura dona à Deo accepisti, hoc graviùs punieris, si usus eis bene non fueris.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

De sedata maris tempestate. Matth. 8.

I. *DOrmiente Christo coorta est in mari vehemens tempestas.* Considera, Christo dormiente in navi, Angelos descendisse de cœlo, ut accidit Jacob Patriarchæ dormienti in Bethel, Gen. 28. 2. licèt in navi Ecclesiæ, vel Religionis cum Christo sis; tamen ideo te non immunem fore à tentationibus dæmonis, mundi & carnis, imò magis obnoxium. *Omnes, qui piè vivere volunt*, ait Apostolus 2. Tit. 3. *persecutionem patientur.* 3. Christum tum dormire, & permittere nos tentari, quando nos in fide imperfecti & tepidi in divino servitio sumus, 1. Ut agnoscamus nostram infirmitatem. 2. Ut ejus auxilium invocemus. 3. Ut cooperemur & faciamus quod in nobis est. 4. Ut plùs mereamur certando. 5. Ut consolatio sequatur major post superatam tentationem.

II. *Excitarunt eum à somno territi discipuli, quos de fidei levitate arguit: (Quid timidi estis modicæ fidei?)* Considera, quanta consolatio sit homini Catholico vel spirituali, dum scit secum esse Christum, maximè

ximè si crebrò communicet; quia in qualibet tribulatione potest ejus auxilium invocare. 2. Cogita meritò Christum discipulos arguere de nimio timore & modica fiducia, quia omnes, etiam qui pii esse cupimus, in eo ferè delinquimus, quòd nimis timidi simus, ùt v. g. nè rideamur ab aliis, vel nimis pusillanimes, in gravi tentatione superanda sumus, nec plenè in divina gratia confidimus; & ideo nec proficimus.

III. *Ventis & mari praecepit, ut conquiescerent, & facta est tranquillitas: unde obstupentes homines dicebant: (Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei.* Considera, quàm admiranda sit Dei potentia, quòd omnes creaturae, licèt rationis expertes, ac etiam furiosum mare, ad nutum obediat; solus verò homo ad imaginem Dei factus, rationis compos obedire aliquando nolit. Hoc enim magìs est stupendum quàm illud. 2. Quanta Dei sit bonitas, ut licèt culpabiles simus saepè & immorigeri, tamen statim atque opem ejus imploraverimus, sedet tempestatem tentationum daemonis, mundi & carnis. 3. Considera in hoc consistere perfectionem obedientiae creaturae erga Creatorem, subditi erga superiorem, quem locò Dei habet, ut statim nulla mora interposita obediat, & imperata exequatur.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

De bono semine & zizaniis. Matth. 13.

I. *SImile est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.* Considera regnum Dei esse intrà nos, ùt dicit Christus: ager est anima nostra, quam primò aratro contritionis proscinde. 2. Semen boni propositi de vita vel vitio emendando in eam injice. 3. Orationibûs ferventibûs & lachry-

chrymîs irriga. 4. Mortificatione quotidiana ſſubjice, donec moriatur mundo: nisi enim granum mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, 5. In dies proficere ſtude, ut cùm ſemen ad maturitatem ſpicæ venerit, in hora mortis illud in horreum vitæ æternæ miniſtrîs Angelîs colligas.

II. *Cùm dormirent homines, inimicus ſuperſeminavit zizania, & abiit.* Cogita ſimul atque bonum aliquod propoſitum feceris, non defuturas tentationes illi contrarias. *Tentatio enim eſt vita hominis ſuper terram,* ait Job: & *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum,* Act. 14. Cauſa eſt, ut plùs mereamur, & ſimiles ſimus Chriſto multa paſſo. 2. Cogita eò magìs tibi vigilandum, quòd tres inimicos habes capitales inſomnes, dæmonem, carnem & mundum. Vigilabis autem, ſi quotidie per examen conſcientiæ notes an aliqua zizania ab illis tibi immiſſa ſint in cor, id eſt: cogitationes repugnantes tuo bono propoſito; eáſque ſtatim eradica, nè ſi diutiùs hæreant, poſteà cogaris extirpare & triticum ſancti propoſiti. 3. Adverte inimicum, ubi ſuperſeminavit, abire & deſerere agrum: hoc enim proprium eſt mali ſeminatoris, ut deſerat animam, & relinquat conſcientiam triſtem; boni autem, ut lætam & pacatam reddat.

III. *Tempore meſſis meſſores zizania in ignem projecêre, triticum autem collegêre in horreum.* Conſidera, meſſores eſſe Angelos, ùt Chriſtus exponit; & malos quidem zizania noſtra, id eſt: mala opera annotare, bonos verò bona, & in fine vitæ ea producere, in conſpectum æterni Judicis, ut juxtà ea judicemur, 2. Cogita quamdiu in hac vita es, te poſſe eſſe meſſorem, quoties examinas conſcienti-

am,

am, aut confiteris Sacerdoti, ut sic zizania seminata ex corde tuo extirpes. Si enim nos hìc judicaverimus, non utique post mortem judicabimur: si hìc illa igne pænitentiæ combusserimus, ibi non conjicientur in ignem inferni.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

De grano sinapis. Matth. 13.

1. *SImile est regnum cœlorum grano sinapis, quod seminatum in agro, minimum quidem est omnibûs seminibûs. Cùm autem creverit, fit arbor, ità ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.* Considera 1. Regnum cœlorum, hoc est Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem grano sinapis assimilari. 1. Quoad rem ipsam quòd exigua admodùm fuerit initiô; solâ enim Deiparâ, Apostolìs ac paucìs Christi discipulìs constabat; posteà verò tantis est aucta incrementis, ut multas Christianorum myriades habuerit, atque habitura sit. 2. Quantum ad caput, Christum videlicèt, qui in sua Incarnatione, Nativitate, vita, passione, atque adeò morte ipsa, ità exiguus atque abjectus fuit, ut non homo, sed vermis atque opprobrium hominum, ac propè dicam nihil esse videretur. Attamen nemo nescit quantùm exaltatus fuerit, accepisséque à Patre Nomen, quod est super omne nomen, eique in cœlo & in terra meritò summos honores exhiberi. 3. Quoad membra; puta Christianos ac præsertim justos, qui parvi quidem habentur apud homines: nemo enim illos non spernit ac persequitur, ut omnium peripsema: ipsi tamen apud Deum magni fiunt, & propter eximias illorum virtutes ac dotes, tum in hoc sæculo, tum in futuro, magno in honore ha-

habentur; ità ut mundi etiam optimates de ipsorum gratia ac benevolentia solliciti esse videantur.

II. Considera, Ecclesiam adhuc grano sinapis esse similem, quoad rationes, quibûs in ipsa administranda Deus utitur, quarum praecipuae sunt, divinum illius verbum, Sacramenta ac virtutes. 1. Divinum illius verbum, sive scriptum, sive expositum, sive in mentem injectum parum esse videtur, & apud sapientes hujus saeculi in contemptum adducitur: nihilominùs, si vel exigua illius pars in corde radices egerit, mira operatur; contemptum divitiarum, honorum ac voluptatum, atque adeò rerum omnium svadet ad unum Deum in Religione possidendum, sufficiente ad id vel unius cujuspiam exemplô, ut de DD. Antonio, Francisco, aliísque religiosae vitae auctoribus constat. 2. Sacramenta etiam specie quidem vilia sunt & exigua. In Baptismo, v.g. quid praeter exiguum aquae videas? in Eucharistia, quid praeter panis ac vini accidentia? in Extrema infirmorum unctione nonnihil olei, & sic de caeteris: attamen tanti manant effectus, ut nec tota hominum universitas ad minimum ipsorum valeat accedere. 3. Dotes ipsae Christianae, & ipsa Evangelii axiomata exigua adhuc in ipsa existimatione hominum sunt, puta fides in Christum crucifixum, quae quidem est Judaeis scandalum, ac Gentibus stultitia: paupertas spiritûs, patientia, simplicitas, & his similia: haec omnia pro nugis à mundi sectatoribus habentur, & tamen si vel una ex his dotibus animo insederit, ipsum ad perfectae felicitatis ac sapientiae culmen attollit.

III. Considera, ex dictis inferri, sectandam esse imprimìs humilitatem, quae apprimè granô sinapis signi-

gnificatur, & in omnibus exiguos fieri, si magni tum gratiâ in hac vita, tum gloriâ in futura esse velimus: quemadmodùm enim granum istud. 1. exiguum est. 2. missum in terram absconditur, 3. corrumpitur, & quasi ad nihilum redigitur. 4. germinat, crescit, & fit arbor. 5. innumera alia grana producit, ac demùm cœli volucribus umbram ac secessum præstat: ità qui humilitate pollet. 1. sibiipsi vilescit. 2. ipsum sua humilitas latet. 3. se mortuum mundo, ac nihilum reputat. 4. proficit virtutibus, & eximiam sanctitatem consequitur. 5. reliquæ virtutes, quasi ex radice procedunt. 6. ac demum Angeli; atque adeò Angelorum Rex mentem ipsam incolunt, ac in deliciis habent. Quid plura? de ejusmodi anima hæc Evangelii verba comprobantur, nempe, qui se humiliat, exaltabitur, & quidem gratiâ in hoc sæculo, & gloriâ in futuro.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

De operariis in vineam missis. Matth. 20.

I. COnsidera cur Ecclesia hoc die Alleluja, Gloria, & alia cantica læta omittat usque ad Pascha: nempe, quia dies sunt luctus, & pœnitentiæ agendæ ob peccata totô annô, vel vita, quæ ultra septuaginta annos vix durat, commissa. Cujus typus fuere septuaginta anni Babylonicæ captivitatis. Quia autem in pœnitentia labor subeundus est, ideo de operariis Evangelium proponitur.

II. Considera operarios variîs horîs diei mitti in vineam à Domino, quia alii, ad fidem vel statum spiritualem, initio, alii in medio vel fine vitæ vocantur. Itèm ad vitam æternam, alii juvenes, alii senes, sed nul-

nullus mercedem accipit, nisì strenuè laboret; & perseveret usque ad finem. 2. Cogita, vineam tuam esse animam tuam, vel proximi; cujus cultu, ut vitam æternam merearis. 1. Vites sedulò amputa, id est superflua rescinde. Habentes enim quod edamus, & unde vestiamur, contenti esse debemus. 2. Alliga ad stipitem, id est Christum, implorando ejus gratiam, sinè qua nihil possumus facere. Liga vinculis boni propositi, regularum sodalitatis, vel votis religionis, si id Deus inspirat. 3. Expone Soli, & libenter fer pondus diei & æstus, hoc est, magnô animô esse Deo serviendum, ac bonis operibus ferventer ac perseveranter incumbendum; cùm certum sit, maledictum esse, qui facit opus Dei negligenter, ac fervidos à Deo esse compensandos. 4. Impingva pingvedine crebræ confessionis peccatorum & Sanctæ Eucharistiæ: *Pingvis enim est panis Christi*, Joan. 6. vitam sustentans in æternum.

III. Considera novissimos ultimâ horâ vocatos eandem mercedem accepisse cum primis, ut discas Deum profectum nostrum non metiri diuturnitate temporis, quo ei servimus, sed ex studio verarum solidarúmque virtutum, pura intentione, & zelô magnô ac fervore, deinde quotidiano profectu, contemptu profundo sui & mundi, conformatione voluntatis nostræ cum voluntate divina in omnibus, adversis æquè ac prosperis. Unde videmus miraculis claros factos, etiam qui brevi tempore sanctè vixerunt. 2. Cogita de illa Christi conclusione, *Multi vocati, pauci electi*, quam meritò timere debes, nisì paucis bonis te adjungas, id est angustam viam, de qua Math. 7. dicitur, quòd pauci eam ingrediantur, teneas.

DO-

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

De semine in terram jacto. Matth. 13.

I. JESUS *ad turbas dixit* (*Exiit qui seminat seminare semen suum.*) Considera Deum, qui nos ad laborem in vineam vocat, etiam semen suum, id est, gratiam & auxilia per varia media, quo bonitatem paternam erga nos declaret, communicare per pulchritudinem cœli & creaturarum, per legem scriptam in cordibus vel conscientiis, conciones, lectionem, inspirationem, exempla, legem Ecclesiæ, regulas cujusque statûs, vim Sacramentorum, monita parentum & præceptorum, morbos, bella, *&c.* Tu vide, an omnibus usus fueris, & si nullis, fore te inexcusabilem: Vide an bene usus fueris his omnibus; sin minùs, scias à Deo rationem exigendam, nec te habiturum quod respondeas, si ob id pœnis æternis te addicat.

II. *Et aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud inter spinas.* Considera semen bonum agro cordis tui per dicta media injectum, tribus de causis posse reddi infructuosum. 1. Si ad conciones, & alia media, vel non seriò attendas, vel non animô proficiendi, aut ad te pertinere non putes, aut contemnas. 2. Si attendas quidem, sed cor durum & petrosum retineas, ut nolis veteres occasiones delinquendi mutare, metu confusionis, irrisionis, vel afflictionis secuturæ. 3. Si paratus quidem sis ad omnia facienda, sed animô nimiùm intentus sis, opibus congerendis, domesticæ rei curandæ, venationi aliisque recreationibus, studiis literarum profanis vel sacris, ut excellas aliis. Hæc enim immoderata cupiditas, quasì spinæ, suffocat spiritum pietatis, ut orandi meditandi, te mortificandi, *&c.*

III.

III. *Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Considera 1. terram bonam, esse cor bonum & optimum, ùt Christus exponit: Nihil enim gratiùs est Deo, quàm si ei seminanti offeras cor tuum, id est bonam voluntatem. Unde Prov. 3. dicit, *Præbe fili mi, cor tuum mihi.* Offer ergò, ac roga, ut illud inflectat quô velit. Cor bonum eos offerre, qui parati sunt Dei præcepta & Ecclesiæ servare, nè excidant ex gratia Dei. Optimum autem, qui parati sunt non tantùm declinare à malo, sed etiam facere bona, ad quæ ex præcepto non tenentur, deinde & mala, id est tribulationes, voluntarias pœnas, opprobria, & mortem pro Christo sustinere.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

De Passione Christi, & cæco. Luc. 18.

I. CHristus *prædixit duodecim discipulis passionem suam, (& ipsi nihil horum intellexerunt.)* Considera 1. ab Ecclesia hoc Evangelium proponi, ut te deterreat à licentia peccandi, quæ solet esse hìs diebûs, cùm mundus prorsus insanit & cæcus est: nihil enim efficaciùs à peccato retrahit, quàm meditatio tam diræ Passionis. 2. In transfiguratione tres tantùm discipulos interfuisse, nunc verò omnes assumi, quia proprium est verorum discipulorum Christi ferre crucem & multa pati. 3. Ipsos nihil intellexisse, quia carni & mundo omninò contrarium est, contemni, conspui, flagellari, crucifigi, & è luto peccati resurgere.

II. *Cæco mendico clamante, licèt turba vellet eum tacere, stetit* JESUS, *eum duci ad se jubet, petit quid sibi fieri velit.* Considera 1. cùm volueris vitam emendare, vel sanctius vitæ genus amplecti, statim tibi

tibi reluctaturum mundum, carnem & dæmonem: sed tuum esse, exemplô cæci non curare, sed fortiùs clamare. 2. Dum persistimus in bono proposito, superatis difficultatibus statim adesse auxilium divinum, & Christum stare, nósque ad se advocare, licèt cæci & mendici simus, id est: omni virtute destituti & peccatîs obsiti, modò ex parte nostra parati simus ad sordes vitæ anteactæ vel defectus pristinos deserendos.

III. *Cùm cæcus à Domino tantùm petiisset ut videret, mox vidit, eúmque secutus est magnificans Deum.* Considera, tam bonum esse Dominum, ut beneficia sua velit nobis dare, non tam secundùm suam quàm nostram voluntatem & petitionem; nempe ut sic dona sua, fiant etiam nostra merita. Unde alibi dicit: *Petite & accipietis.* 2. Cæcum non opes, licèt esset mendicus, sed tantùm visum petiisse: ut discas non honores, opes, voluptates petere, quia potiùs excæcant, sed tantùm visum, id est cognitionem Dei & tui, tuarum imperfectionum, & vanitatum mundi, notitiam præsentiæ Dei, & novissimorum. 3. Cæcum visu recepto secutum Christum, & gratias egisse: ut discas, tibi talem vitam post conversionem ducendam, qualem duxit Christus, gratias sæpè agendas pro beneficiis, laudandum Deum, & alios eò pertrahendos, sicut exemplô cæci turba hìc pertracta est.

MEDITATIONES IN EVANGELIA
Totius temporis QUADRAGESIMALIS.

FERIA IV. CINERUM.

De jejunio & thesauro in cælo. Math. 6.

I. CHristus dixit discipulis : (*Tu cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, nè videaris hominibus jejunans.*) Considera jejunium, aliásque afflictiones corporis, etsi occultè fiant, videri à Deo in abscondito, esse illi gratas, eásque remuneraturum in cœlo. 2. Bona opera, ut mereantur vitam æternam, debere fieri, 1. humiliter, exclusa omni vana gloria, 2. liberaliter, omni remota tristitia : *Hilarem enim datorem diligit Deus*, 2. Cor. 9. 3. ad gloriam Dei & Christi : illud enim est *ungere caput* nostrum Christum, id est unctum. 4. cum bona intentione, v.g. jejunare, ut satisfacias pro peccatis, ut Christum imiteris & Sanctos, ut ad orandum sis promptior. Hoc enim est *lavare faciem.*

II. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed in cælo, ubi fures non effodiunt*, &c. Considera, qui sint thesauri in terra, nempe opes, honores, volup-

luptates, existimatio nominis ob potentiam, eruditionem, & quidquid tolli nobis hìc potest: thesauri verò in cœlo, sunt virtutes & bona opera, quæ sola post mortem nos sequuntur in cœlum, juxta illud: *Beati qui in Domino moriuntur, opera enim sequuntur illos.* 2. Inde sequi multa bona opera debere te facere, quia thesaurus non conficitur, nisi ex multis. Ubi vide, quibus maximè thesauri in cœlo promissi sunt, nempe, qui multa patiuntur propter Christum, qui omnia propter eundem relinquunt, *&c.* 3. *Ubi est thesaurus tuus*, addit Christus, *ibi est cor tuum*, Matth. 5. Matth. 19. ut scias te, si verè thesaurum in cœlo habes, mentem sæpiùs debere attollere in cœlum, & ubique Deum quasi præsentem, qui est nobilissimus thesaurus tuus, contemplari.

III. Considera de ritu Cinerum, 1. eos fronti aspergi, ad discendam humilitatem cordis. Sacerdos enim dicit: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, Genes. 3. Humilitas enim reo veniam petenti in primis necessaria est. 2. Benedicti sunt, ut benedictionem gratiæ cœlestis consequamur. 3. Ut novissimorum crebrò recordemur. 4. Ut usque ad cineres, id est mortem in gratia persistamus.

FERIA V. POST CINERES.

De servo Centurionis.

Vide suprà, secundam partem Meditationis Dominicæ tertiæ post Epiphaniam, pag. 21.

FERIA VI. POST CINERES.

De dilectione inimicorum. Matth. 5.

1. *AUdistis* (ait Christus Dominus) *quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis*

inimicum. Confidera 1. Legem antiquam non æquè perfectam esse ac novam : ista erat Lex timoris, severitatis ac justitiæ; hæc verò charitatis, amoris & gratiæ. 2. Eos, qui apud Christianos severitate aguntur erga proximum, imò erga adversarios, velle quodammodò novæ Legis spiritum extingvere, & veterem denuò excitare: hoc est, ut ità dicam, Judæorum ritus in Christi Legem inducere, quod nefarium est. 3. Licere tamen adhuc odiò habere adversarium: sed qui verè talis sit, puta peccatum. Proh! sanctum ac perfectum odium.

II. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Considera 1. à quo præcipiatur diligi inimicus? A Christo Domino, penes quem non modo præcipiendi, verùm etiam puniendi potestas est, si secus fiat. 2. Id ab eo præcipi, qui prior idem erga Judam & interfectores suos præstitit. 3. Eum ipsum esse, qui jugum ac onus suum leve esse testatur. Eum denique esse, qui obtemperantibus eam remuneratione pollicetur, ut filii patris cœlestis, & consequenter hæredes sint. Proh Deum immortalem! quis Regis dignitatem non ambiat?

III. *Si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Considera 1. Ethnicos longè plura sinè lege, quàm nos cum ipsa lege præstare; solo rationis ductu, quàm nos ipso Fidei lumine; sinè gratia, & sola natura duce, quàm nos innumeris gratiæ adminiculis. 2. A Christianis longè plura exigi, quàm à Paganis: cùm enim longè exploratiùs habeant, quid sit bonum aut malum, diligentiùs etiam hoc declinare,

&

& illud amplecti tenentur. 3. Perfectionem quamdam omnibus ac singulis esse necessariam, nec fas esse cuipiam nolle proficere: nam ex Bernardo, quod ad virtutes attinet non progredi, regredi est. 4. Perfectionis rationem, quæ exigitur à nobis summam esse & absolutissimam, cùm ad instar Patris cœlestis perfecti esse debeamus. Væ nobis, qui cùm Deum imitari teneamur, & perfectionis ejus rationem pro modulo nostro assequi, Paganorum, ac ut ità dicam, pecudum vitam agamus.

SABBATO POST CINERES.

De ambulatione Christi super aquas. Marc. 6. Math. 14.

1. *CUm Apostoli in mari ob ventum contrarium jactarentur,* JESUS *in terra stans, & videns eos laborantes in remigando, venit ad eos suprà mare.* Considera mare esse cursum mortalis vitæ, in quo omnes navigamus. Venti contrarii sunt inordinatæ concupiscentiæ nostræ & desideria, quæ *militant*, teste Sancto Jacobo, *in membris nostris.* Caro enim assiduè pugnat contra spiritum. Contra hos ventos cum Apostolis remigandum est alacriter. DEUS non deerit conatibus, Christus in littore stabit, qui respicere solet, non in eos, qui svaviter vivunt, & manibûs stant complicatîs, sed qui sibi imperantes pravorum desideriorum fluctibus resistunt. O quàm svavis est labor ei, qui cogitat oculos Christi in se intentos, & paratam habere pro perseverantia in finem immortalem coronam. 2. Considera Christũ, cùm discipuli tota nocte laborassent in mari, tandem ambulasse super mare versùs illos, cùm ampliùs ventis obluctari nequirent: ut discamus non statim animum despondere, cùm aliqua adversitate conterimur: nam licèt Deus ad

breve tempus differat auxilium, ut nostram probet fiduciam & patientiam, tamen tandem præsenti ope moram suam compensat.

II. *Cùm* JESUS *tam esset proximus navi, velletque præterire, Apostoli putarunt phantasma esse, præ metu clamantes. Et mox* JESUS, *habete fiduciam, ego sum.* Considera, Christum potuisse discipulis propitios largiri ventos, sed noluisse, nè tempori potiùs, quàm divinæ virtuti attribuerent. Voluit agitari fluctibus, ut probaret quantùm suîs viribûs possent. Voluit tota nocte laborare, & non progredi, ut scirent se sinè gratia Christi nihil posse. Voluit terreri visione, quasì à dæmone submergendi essent, ut divinum invocarent auxilium, quô invocatô mox Christus jussit eos non timere, dicens: Ego sum Magister, Salvator, Deus vester. Unde summam consolationem accepêre: ut discas numquam desperare, quia dum pericula ad summum pervenêre, divinum præsto est auxilium. 2. Considera, ingenium hujus mundi esse, res divinas, & operum bonorum exercitia reputare phantastica & hypocritica, cùm tamen in iis, omnis salus nostra sit reposita.

III. *Tum Petrus: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et mergi incipiens clamavit, Domine salvum me fac. Tum* JESUS *manu apprehendens: Modice, ait, fidei, quare dubitasti? eôque navim ingressô cessavit ventus, & navis erat ad terram.* Considera eximiam Petri fidem, quòd crediderit se quoque virtute Christi posse ambulare super aquas, deinde eximiam charitatem, quòd expectare non potuerit, donec Christus ad se venisset. In verò enim amore nulla est mora, nulla adversitatum formido, donec fruatur amato. 2. Considera, nihil-

hilominùs Christum permisisse submergi Petrum, tum ut occultè eum moneret, talia non esse ordinariè à Deo petenda, quæ omnes vires humanas superant, nè videamur curiosi: tum ut ostenderet fidem ejus non fuisse omni ex parte perfectam, & sic humilitatem coleret. 3. Considera, Christô in navim receptô, cessasse omnes ventos & fluctus: quando enim intimè intra Ecclesiæ navim fide & charitate conjunctì sumus Christo, illico omnes tentationum diabolicarum venti concidunt, omnes adversitatum fluctus franguntur, vel certè sinè animi perturbatione tollerantur, non secùs, quàm si ad terram applicuissemus, & in portu versaremur.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

De tentatione Christi. Matth. 4.

1. *Post baptismum secessit in desertum Christus, & ibi per dies quadraginta & totidem noctes jejunavit.* Considera 1. quòd post testimonium de cœlo acceptum in baptismo, quòd esset Filius Dei, nihilominùs quasì pœnitentiæ agendæ causâ in locum desertum & horridum secedat, ubi sinè cibo, lecto, & tecto, in silentio inter bestias, ùt ait Marcus, vivens pro tua salute se afflixit: ut discas eum, qui incipit Deo servire, debere carnem suam crucifigere cum concupiscentiis. 2. O anima mea! agnosce te esse unam ex bestiis istis: agnosce, quoties indomito passionum tuarum impetu patientiam Christi læseris, abjice te ad pedes solitarii JESU, deplora scelera tua, & osculatîs ejus pedibûs mansvetum ejus vultum aspice, si fortè te respiciat.

II. *Ter ab inimico tentatus* (*accedens tentator dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant : mitte te deorsum, hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*) Considera extremam humilitatem Christi, quòd non tantùm passus sit se crebriùs à dæmone tentari, (ut discas, licèt sanctus sis, te non fore à tentatione liberum,) sed etiam permiserit se à dæmone assumi, primò in pinnaculum templi, tùm in montem excelsum, quòd non videtur contingere nisì scelestis hominibus, ùt Magis, Sagis, *&c.* Deinde quòd passus sit se tentari turpissima tentatione, ut scilicet adoraret dæmonem.

III. *Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Considera, Christum post tentationem fame debilitatum jacere in terra nuda, & vultu pallidum, accedere mox plurimos Angelos, & ex compassione eum è terra levare, congratulari ei de victo dæmone, parare magnô studiô mensam, ut comedat. 2. Cogita te videre Christum super saxo aliquo sedentem, circumstantibûs Angelîs, tibíque ministerium Angelorum affuturum, si libenter jejuniô & aliîs pœnîs corporalibus castigâris, & tentationes mundi, carnis, dæmonísque viceris.

FERIA II. POST DOM. I. QUADRAGESIMÆ.

De extremo die Judicii. Matth. 25.

I. DIxit JESUS discipulis suis : *Cùm venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eòs sicut Pastor segregat oves ab hædis.* Considera in extremo die Judicii, præviò signô triumphali Crucis, tubîs clangentibûs è cœlis proditurum inter Angelorum exercitus Filium Dei medium incredibili ma-

majestate fulgentem ; tum ad magnam vocem : *Surgite mortui, venite ad Judicium*, resurrectionem omnium secuturam, Angelósque separaturos bonos, quorum splendida erunt corpora, à malis quorum erunt obscura & tetra ; hîs ad sinistram, illîs ad dextram locatîs. 2. Considera quanto pudore tum afficiendi sint mali, cùm omnia illorum scelera occultè licèt & cogitatione tantùm commissa, omnibus patefient : Contra verò quanto cum gaudio & securitate Judici se sistent, qui peccata sua confessi sunt.

II. *Tunc dicet Rex stantibus ad dexteram : Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi : Esurivi enim*, &c. *Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis.* Considera bonitatem & amorem Judicis erga salvandos. Primò enim jubet eos *possidere Regnum*, velut illud, quod ratione hereditatis filiis debetur. 2. Dicit, illud iis ante mundum conditum, id est, ab æterno, præparatum 3. Pro minimis operibus, ùt visitatione infirmorum & vinctorum *&c.* 4. Quod sibi reputet factum, quod pauperimis & vilissimis factum est. 5. Quod minimos illos, vocat fratres suos. 6. Considera, Judicem tantùm facere mentionem operum misericordiæ, non quòd alia quædam præstantiora non sint, sed quòd homines illa non magnifaciant, & Deus maximè illis moveatur, ad misericordiam aliis præstandam.

III. *Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt : Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus : Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, &c. Considera, quomodò Judex post electos tam copiosa mercede remuneratos, terribili vultu in sinistram converso, hæc dicturus sit, quantúsq;

terror & confusio omnium consecutura, clamantium ad montes: *Cadite super nos à facie sedentis in throno.* Apoc. 6. Acriùs certè vox illa eos cruciabit, quàm ipse infernus. Quid enim infeliciùs excogitari potest quàm divelli à Christo, unicô summô bonô, & in æternum ardere tartareìs flammìs? 2. Considera, cur dicat flammas paratas diabolo & Angelis, ejus. Nempe, quia hominibus paraverat regnum æternum, pro illis passus & mortuus; solísque angelis malis nunquam convertendis, ignem æternum. 3. Considera, ex verbis illis, *Esurivi & non dedistis* &c. Matth. 3. Colligi reprobos non solùm condemnandos ob patrata mala opera, sed etiam ob omissa bona, quæ poterant & debebant facere, juxta illud Christi: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur & in ignem mittetur.*

FERIA III. POST DOM. I. QUADRAGESIMÆ.

De ejectis è templo venditoribus & emptoribus. Math. 21.

1. *INtravit JESUS in templum Dei, & ejecit omnes vendentes & ementes.* Considera 1. quoties in Scriptura sacra Christus templum adiisse dicatur? illuc infans à matre gestatur: annos natus duodecim ducitur à parentibus, ibique per tres dies moratur: nunc verò illuc sua sponte proficiscitur: ut discas quanti referat, sæpiùs illud adire; nusquam legimus Christum Dominum tam crebro alia loca adiisse. 2. Perpende templũ istud, templum Dei nuncupari: ut discas non adeunda esse templa dæmonum, qualia sunt hæreticorum, aliáque nefariorum prostibula. 3. Inde negotiatores expulisse: ut discas quanta reverentia & cultus sit exhibendus sacris ædibus ac piis locis? nec esse ullo profano usu violanda, cùm ad preces fundendas, offerenda Sacrificia,

Dei

Deì verbum audiendum, & Sacramenta percipienda singulari quadam ratione ac ritu sint deputata.

II. *Et mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas evertit.* Considera 1. quàm sit odiosum Deo peccatum negotiantium in templo, cùm ipse in res etiam inanimatas, puta cathedras & mensas, exardescat. 2. Perpende, quòd si se tam severum ac terribilem præbuit veniens in mundum judicandus, quantò magìs cùm judicaturus omnes homines adveniet? 3. Vide quid præsertim sibi velint hi negotiatores templi & columbarum venditores. Columba Spiritum Sanctum designat: sub hac enim forma aliàs visus est. Quinam isti, nisì, qui res sacras vendunt: puta Sacerdotes, qui nonnisì lucri gratia celebrant; Canonici, qui sola spe retributionis Horis Canonicis & Choro intersunt; Concionatores, qui nonnisì mercede vel gloriâ cathedras ambiunt; unô verbô reliqui omnes, qui vel permutandìs, vel comparandìs multìs Beneficiìs Ecclesiasticìs toti sunt.

III. *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Considera 1. templa ac ædes sacras domos orationis appellari. Primò: quia ad id nominatim sunt Deo dicata. 2. Illic, unà omnes conveniunt precaturi, & plurimorum simul junctæ orationes ad obtinenda postulata plùs valent. 3. Ibidem adsunt Angeli ad deferenda vota nostra apud Deum. 4. Nec absunt etiam ipsi mortui, quorum ossa efficaciùs interpellant coram Deo. quàm aliàs sanguis Abel justi. 2. Perpende negotiatores, latrones nuncupari, quòd vulgò hujusmodi homines ad furtum procliviores sint: quot astutias, dolos, usuras, & id genus injustitiæ in venditionibus ac emptionibus vicis-

ciſſim reperias ; Unusquiſque hoc unum curare videtur quomodò proximum circumveniat.

FERIA IV. POST DOM. I. QUADRAGESIMÆ.

Scribæ & Phariſæi petunt à Chriſto Domino ſigna, & de pœnitentia Ninivitarum. Math. 12.

I. *Dixerunt ei quidam de Scribis & Phariſæis: Magiſter volumus à te ſignum videre.* Conſidera 1. Chriſtum Dominum ſæpiſſimè ac indifferenter à bonis ſivè malis Magiſtrum appellari: Apoſtoli & Magdalena ſic vocitabant, ſic etiam hìc Phariſæi & Scribæ: ut diſcas nos ſufficere Chriſtum Magiſtrum appellare, nisì, quod docet, opere compleas: *Non* enim *omnis*, inquit, *qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Math. 7. 2. Perpende hoc verbum, *Volumus*, eſſe hominum ſuperborum & arrogantium, præſertim, ſi ab inferioribus in ſuperiores jactetur: humilitatis enim eſt, in omnibus voluntati Superioris conformari. 3. Perpende tria hominum genera ſigna à Deo poſtulare. 1. hæretici vel increduli, qui nec Scripturis, nec Conciliis, nec Patribus, nec Eccleſiæ traditionibus fidem habent: imò cum Thoma Apoſtolo dicere videntur: Nisì videro, vel tetigero, non credam. 2. peccatores, qui ſibi in morte veniam à Deo pollicentur, etſi à peccatis non abſtineant. Quis non miraculum grande eſſe videat, velle bene mori cùm malè vixeris? 3. illi, qui ſe manifeſto peccandi periculo exponunt, pollicentes ſibi, non eſſe peccaturos, nec ad id, prava intentione adduci. Miraculum poſtulat, qui prunas in ſinu geſtare, & non ardere præſumit.

II. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta,*

ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Considera 1. per Ninivitas posse ritè Turcas, Barbaros, Infideles, unô verbô Ethnicos omnes intelligi, qui meritò sunt aliquando insurrecturi adversùs Christianos, & exprobrare, si fidem, Evangelium & Sacramenta habuissent, numquam fuisse damnandos, foreque ut vitam sanctiùs instituissent. 2. Quotquot sunt in toto orbe nationes, urbes, oppida & regna infidelitati addicta, hæc omnia fore nobis in judicio ad nostram condemnationem opposita. 3. Unius diei fuisse prædicationem Jonæ apud Ninivitas, Regi tamen persvasisse cilicium, jejunium ac pœnitentiam: nos verò post tot Adventus & Quadragesimarum conciones, quos inde fructus percepimus?

III. *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis.* Considera 1. quid faciant homines vani, ad vana & curiosa sectanda. Ecce Regina Sabba ab extremis orbis partibus venit, ut unum audiat Salomonem: nos verò ignavi ac vecordes vix loco dimovemur, ut verbum Dei audiamus, & Christô Dominô in Missa vel Communione potiamur. 2. Perpende quantum possit & quàm se latè extendat viri sapientis nomen. In extremis orbis partibus auditur, & Regum ac optimatum palatia penetrat. Heu! quid non possint optimates, si boni; quàm perniciosa verò eorum exempla, si mali sint. 3. Quàm apprehendenda damnatio, si vel judicii nomen tam terribile videatur. Nosipsos itaque judicemus ac condemnemus, ut si tum nos judicari, condemnari saltem minimè contingat. *Dixi confitebor adversùm me injusti-*

ſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pſal. 13.

FERIA V. POST DOM. I. QUADRAGESIMÆ.

De Chananææ filia. Math. 15.

1. *CHananæa Tyro & Sidone egreſſa petit filiam à dæmone ſanari, ſed Chriſtus ei nihil reſpondit. Apoſtoli dicunt ei: Dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Conſiderate, ſi remiſſionem peccatorum & gratiam Dei optinere velis, debere, 1. Societatem malorum, & occaſiones peccandi deſerere. 2. peccatum non excuſare, ſed exaggerare cum Chananæa dicente, filiam peſſimè à dæmone vexari. 3. perſtare, licèt ſtatim non exaudiaris. 4. seriò Sanctorum preces implorare. 2. Conſidera, licèt Chriſtus ſimulârit ſe non audire illam, non id feciſſe, quòd eam ſperneret, ſed ut ex conſtantia precandi, ejus eluceret fides, humilitas, patientia, perſeverantia ad aliorum exemplum & majus ejus meritum.

II. *Cùm adoratô Chriſtô illa petiiſſet ſe juvari, & Chriſtus reſpondiſſet, panem filiorum non dandum canibus, illa ſubdidit: Catelli edunt de micis dominorum.* Conſidera, quomodò mulier hæc à Chriſto & Apoſtolis repulſa, & non pudore ſuffuſa, nec metu conſternata ſit? ſed confidens Chriſti bonitati, ad ejus pedes ſe abjiciat dicens: *Domine adjuva me:* non dicit, Juva filiam, quia ſe agnoſcebat culpâ ſuâ morbi eſſe cauſam. 2. Vide quomodò Chriſtus, quò illa magìs multiplicat preces, multiplicet repulſam, & quaſì iratus eam vocet canem & indignam. Vide & humilitatem mulieris, quòd non indignatur, ſed agnoſcit ſe canem & indignam pane integro: & ſapientiam miram, quòd hoc ipſum nomen in ſuum commodum trahat, ſe non panem, ſed micas tantùm pe-

te-

tere, ùt catelli solent, unde Christus stupens subjicit.

III. *O mulier! magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* O quàm verè dixisti, bone JESU: *Regnum cœlorum vim patitur.* Nam mulier hæc & vim intulit sibi, humiliter & patienter ferendo tam duram repulsam: & tibi, quòd vi quasì illatâ importunè gratiam petitam extorserit: & scio hoc licere imitari, quia Luc. 11. docuisti: importunè etiam instandum orationi: cupis enim precibus etiam cogi à nobis pro tua infinita bonitate, ut eò majorem impertias gratiam: nam cùm illa contenta fuerit micis, tu tamen respondes: *Fiat tibi sicut vis*, id est: quidquid petis à me habere, obtinuisti.

FERIA VI. POST DOM. I. QUADRAGESIMÆ.

De paralytico juxta piscinam sanato. Joan. 9.

1. JESUS *à paralytico triginta octo annorum nato juxta piscinam Hierosolymis jacente, cùm rogasset, Visne sanus fieri? is respondit: hominem non habeo, qui me mittat in piscinam.* Considera Divinæ sapientiæ altitudinem, quòd ex plurimis ægris ibi jacentibus unum tantùm sanandum sumat, id enim facit, ut conservemur in timore Dei, in cujus manu vita æquè ac mors nostra posita est. Deinde, ut magìs excitemur ad illum amandum, cujus gratiâ scimus nos misericordissimè præventos. 2. Considera, licèt Dominus non ignoraret quid hic æger peteret, tamen ab eo rogavit, vellétne esse sanus, ut suam exponeret voluntatem. JESUS enim non est Salvator eorum, qui nolunt, sed volunt, & suæ saluti cooperantur: nam ùt dicit Beatus Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli: *Qui creavit te sinè te: non justificabit te sinè te.* id est: sinè cooperatio-

ne

ne tua. Tum rogavit, ut eum accenderet ad desiderandam sanitatem, sicque dignior illâ redderetur. 3. Considera per paralyticum hunc, designari peccantes ex consvetudine longa: per cæteram verò turbam langvidorum, cæcorum, claudorum & aridorum jacentium ad piscinam, peccantes ex negligentia, ignorantia, fragilitate & malitia; qui si velint, omnes sanari possent.

II. *Dixit ei* JESUS: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et sustulit, ac ambulabat. Tum Judæi: Sabbatum est, inquiunt, non licet tibi tollere. Et ille: Qui me sanavit, jussit.* Considera, tunc Dominum peccatori dicere: Surge, quando condonatô peccatô infundit illi suam gratiam. Tunc autem peccator tollit grabatum, cùm displicent, quæ priùs delectabant, ambulat verò, cùm gratiæ acceptæ cooperatur, exercendo se in operibus bonis. 2. Considera, Judæos arguere in paralytico, quod videbatur eis reprehensibile, & non quod erat laudabile, nempe miraculum adeptæ sanitatis: perversi enim in aliis notare tantùm solent mala, quæ publicent, non autem bona; aut si notent, in malam partem interpretantur. 3. Considera grabatum esse bona hujus vitæ, opes, honores & voluptates, in quibus homo æger decumbit, quando illis delectatur: quando verò pro onere reputat, signum est eum sanum esse, ac ambulare,

III. JESUS *cùm declinasset à turba, invento postea in templo paralytico, dixit: Sanus factus es, jam noli peccare, nè deteriùs tibi aliquid contingat.* Considera 1. JESUM ideo declinasse, ut doceret in bonis operibus non quærendum hominum applausum, deinde aliquando expedire digredi ab illis, qui ad calumniandum sunt proclives, & optima intentione

facta,

facta, in pessimam partem interpretantur. 2. Considera, paralyticum postea inventum à Christo in templo: ut discas, quoties gratiâ aliquâ à Deo ditatus fueris, gratias ei referre, non lingvâ tantùm, sed religiosa etiam conversatione, frequentando Ecclesias, audiendo conciones, & vitam pristinam in meliorem commutando, nè subtractâ à Deo per ingratitudinem nostram gratiâ, deteriùs aliquid nobis contingat, hoc est, in priora peccata relabamur, & in iis ex desperatione veniæ moriamur.

SABBATO POST DOM. I. QUADRAGESIMÆ.

De transfiguratione Domini. Math. 17. Marc. 9. Luc. 9.

1. JESUS *assumpsit Petrum, Jacobum & Joannem in montem excelsum, ut oraret.* Considera vitæ æternæ pulchritudinem non capi, nec veram Spiritûs Sancti consolationem accipi, nisì ab iis, qui vehementer amant, cum his tribus Apostolis Christum, ejúsque doctrinam: deinde montem mortificationis, aliarúmque arduarum virtutum ascendunt, ac solitudinem diligunt, hoc est: soli Deo, non mundo, placere conantur. 2. Considera mirabile Dei artificium, quô conatur nos ad vitæ æternæ desiderium, & rerum terrenarum contemptum accendere: nempe corporis gloriosi splendorem ostendit: ut cogites, tùm, quanta sit futura animæ gloria, tùm, nè refugias carnem cum anima exemplô Christi in hac vita crucifigere: *Non enim condignæ sunt hujus vitæ passiones*, teste Apostolo, *ad futuram gloriam.*

II. *Transfiguratus est ante eos, & facies ùt sol, vestes autem ejus sicut nix splenduêre: Et apparuêre Moyses & Elias loquentes de excessu ejus.* Considera, Christum inter orandum in monte esse transfiguratum, sicut

& olim Moysis facies post sermonem cum Deo habitum mirè resplenduit: ut discamus nulla re magis illustrari animam quàm luce gratiæ aliorúmque donorum spiritualium, ac beneficiô ferventis orationis vel colloquii cum Deo. 2. Considera, quantô gaudiô exilierint Moyses & Elias, quòd viderent Dominum in carne præsentem, quem tamdiu expectârant, & quidem tanta majestate refulgentem, secúmque loquentem de excessu suo, id est passione & resurrectione, ipsorúmque liberatione. 3. Perpende Dominum in summa illa gloria, miscentem tamen sermonem de re tam tristi, tùm ut indicaret quantô desideriô patiendi teneretur, tum ut nos doceret, ut *in die bonorum*, juxta sapientiam, Eccl. 1. *non simus immemores malorum*, rebúsque prosperè fluentibus expectemus & adversa.

III. *Tum Petrus ad* JESUM: *Bonum est, inquit, nos hìc esse: faciamus tria tabernacula. Et ecce nubes lucida obumbravit eos, & voce audita de cœlo: Hic est Filius meus dilectus*, &c. *Apostoli in faciem cecidêre, quos erigens* JESUS, *ait: Nolite timere, & tacere, quæ viderant jussit.* Considera Petrum, cùm guttulam deliciarum gloriæ æternæ degustasset: mox hujus mundi voluptates fastidisse, cœlestis enim consolatio facit hominem esse extra se, & voluptatum mundanarum oblivisci. Unde disce & tu de futura felicitate animi & corporis cogitare, & facilè mundi illecebras & carnis commoda despicies, dicésque, si spiritualis sis, vel piæ congregationi adscriptus: *Bonum est nos hìc esse*, hoc est in statu, ubi occasio est contemplandi res divinas, & multa bona opera exercendi, animámque salvandi. 2. Considera in hoc admirando mysterio totam Sanctissimam Trinitatem apparuisse. Nam Patris persona declarata

rata est *voce*: Filii verò in *carne*, Spiritus Sancti autem in *forma* splendidæ nubis, quia ille est, qui nos divinarum consolationum rore semper irrigat, & cœlestium donorum imbre perfundit. 3. Considera Christum Apostolis mandasse, nè cuiquam ante mortem suam hanc visionem patefacerent, ut discas ea, quæ ad honorem & gloriam nominis tui pertinent, potiùs supprimere quàm propalare multis.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

De eadem transfiguratione Domini ùt herì.

FERIA II. POST DOM. II. QUADRAGESIMÆ.

Ego vado, & quæretis me, &c. Joan. 5.

I. DIxit JESUS *Judæis*: *Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Considera 1. quis ille sit, qui loquitur; Christus Dominus, Sapientia æterna, ille, quem nihil latet, qui æquè potens est opere ac sermone. O quàm dignus cui credatur! 2. hujus Evangelii verba minarum ac terroris esse plena; & quæ cœlum ipsum perhorrescat, quis ergò non pertimescat! 3. quòd per hæc verba, *Ego vado*, discessionem minetur, ecquid erit nobis? quis effugii locus? 4. mortem minatur, quid ad hoc, mundi, voluptatum, honorum, ac divitiarum studiosi? 5. mortem minatur in peccato: heu miseram mortem! quid hâc infeliciùs? quid magìs metuendum? quid posteà, nisì strictissimum judicium, ac æternam damnationem expectes? quæ minæ! quis non legendo perhorrescat? qui similem Judæis vitam obstinatam in peccatis & contemptu gratiarum agunt, vereri etiam debent, nè cum illis in peccato moriantur.

II. *Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de super-*

nis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Considera 1. quid sit de deorsum esse, nisi de terra & terrena sapere: quæ si ità sint, quot invenies in mundo, qui de deorsum censendi sunt, quàm pauci, qui cœlestia meditentur? 2. Cogita quid sit de supernis esse, nisi ùt ait Apostolus, conversationem habere in cœlis; & quærere primùm, ùt loquitur Christus Dominus, Regnum Dei. O quàm rari sunt, qui talia agunt: quærunt enim omnes quæ sua sunt, non quæ JEsu Christi. 3. Cogita, quàm periculosum sit se de mundo profiteri, cùm ità contemptui habeantur à Christo Domino, séque de mundo non esse, liberè fateatur: heu quàm illinc migrare utile est! *procul à Babylone*, monet Bernardus.

III. *Dicebantque ei: Tu quis es? Dixit eis JEsus: Principium, qui & loquor vobis.* Considera 1. quinam sunt, qui quærunt à Christo Domino, Tu quis es? illi nimirùm, qui hoc à seipsis nunquam poposcerant; cujusmodi sunt ambitiosi, superbi, avari, invidi, &c. quales erant Pharisæi. Præstat omninò hoc à seipso potiùs, quàm ab alio sciscitari. 2. Considera quæsitum illud, Tu quis es? In multis, & cum utilitate fieri posse. 1. instante communione, 2. ante sacram exomologesim, 3. priusquam lectum petas. 4. sacrum facturus vel auditurus. 5. in loca sancta vel bonorum consortia aditurus. 6. proximum emendaturus. 7. Judicium de aliquo laturus. 8. denique cum suggestum conscendis dehortaturus vitia, vel ad virtutes hortaturus.

FE-

FERIA III. POST DOM. II. QUADRAGESIMÆ.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Matth. 23.

I. D*Ixit* JESUS: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcunque dixerint vobis, facite.* Considera 1. quòd si Scribæ & Pharisæi sint colendi, quia sedent super cathedram Moysi, quantò magis summus Pontifex, Episcopi, Pastores ac Sacerdotes, qui locum divi Petri, Apostolorum ac discipulorum Christi obtinent. 2. Considera, non obstare malitiam, quominùs summam in Ecclesia potestatem obtineas: cedunt plerumque in reproborum partem, munera & dignitates Ecclesiasticæ. 3. Quòd si præstanda obedientia sedentibus in cathedra Moysi, impiis licet ac improbis, quàm colendi & honorandi Sacerdotes, Pastores ac Prælati, qui piam ac religiosam vitam ducunt, præstantq; exemplô, quod præcipiunt verbô.

II. *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Considera 1. illum potiùs Scribam ac Pharisæum esse dicendum quàm Christianum, qui vel gratiâ vel timore humano ducitur. 2. Quàm multos invenias: qui nihil agunt, nisi videantur ab hominibus. 1. huic vitio obnoxii sunt, qui licèt multa bona opera palam faciant, tamen privatim gravissimîs se sceleribûs obstringunt. 2. qui in vitiis persistunt ob vanam hominum opinionem, vel nè obloquendi causam præbeant. 3. qui multa bona præstarent, nisi pravorum hominum sugillatio impediret. 4. Illi plerique omnes, qui bona quæ agunt, venditant ac propalant; vel resciri ab aliis, vel laudari gestiunt, & quoquomodò inde gloriam aliquam aucupant.

III. *Qui major est vestrum, erit minister vester.* Considera 1. placita Evangelica longè differre à vivendi ratione mundanorum hominum, quò quis in mundo ad sublimiora evehitur, plures etiam sibi servos comparare tenetur: in eo enim tota excellentia posita esse videtur, ut multo famulatu stipatus incedas: contrà verò, qui coram Deo magni esse contendunt submittere se ac inservire aliis student, potiùs quàm sibi ministrari. 2. Considera, hac ratione optimates ac Reges humiliores esse debere quàm sibi subditos ac inferiores. Par est ratio Prælatorum ac Superiorum Ecclesiasticorum erga subditos ac suæ curæ demandatos. O quàm esset optandum, ut axioma istud verè Christianum, valvis Principum atque adeò templorum nostrorum liminibus inscriberetur: pauci enim admodùm id norunt, actitantve. 3. Longè præstare subjici, quàm præfici, cùm compendiosissima sit via ad veræ magnitudinis & excellentiæ culmen, humilitas ac subjectio. Quis itaque non eligat potiùs obtemperare quàm præesse? quis discipulî potiùs ac inferioris, quàm magistri ac superioris locum non ambiat?

FERIA IV. POST DOM. II. QUADRAGESIMÆ.

Christus prædicit Passionem suam, itèm de matre filiorum Zebedæi. Matth. 20.

1. Dixit JESUS *discipulis: Ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte.* Considera 1. Christum sæpissimè in Scriptura loqui de Passione sua ac morte, 1. ut hanc recolamus ac meditemur: 2. ut quanto pro nobis affectu passus sit, cognoscamus, 3. ut de his colloquamur, & sermonem habeamus.

mus. 4. nè in levioribus, quæ accidunt, malis, conqueramur: 5. ut hîs, quasì antidotis ac remediis adversùs tentationes utamur: harum enim meditatione efficacissimè propulsantur.

II. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.* Considera 1. affectum parentum in liberos ut plurimùm esse inordinatum, & jacturæ illorum tum spiritualis, tum temporalis causam, 2. hunc excessum in quatuor hìc potissimùm apparere: 1. quòd plùs filios suos diligat, quàm se, & magìs sollicita sit pro illis quàm pro seipsa, oblita quodammodò suiipsius, ut pro filiis suis oret: 2. quòd cæteris omnibus filios suos anteferri ambiat, quasì ipsi soli discipuli essent Christi, & non alii: 3. quòd nimia sollicitudine, & instantiùs urgeat, quod intendit, Christum importunè obtestans: 4. quòd ambitiosiùs instet, volens unum à dextris, alterum à sinistris Christi stare, quasì non sufficeret pedibus illius accumbere: unus sanè Joannes indignum se ratus, qui calceamenta solveret.

III. *Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Considera 1. plerósque esse in mundo, quibus Christus Dominus respondere posset: Nescitis, quid petatis: 1. quàm multos homines invenies, qui divitias appetunt, qui beneficia, liberos, honores, Principum gratiam, dignitates & media bene collocandi liberos, sanitatem, & multa alia, quibus si copia foret, abuterentur. 2. Cogita illos calicem Christi bibere nolle, qui pauperes esse, sperni, dejici, unô verbô, pati vel minimùm nolunt: ô quàm pauci sunt, qui propinatum calicem vel primoribus labiis attingant, quàm multi verò, qui Regnum Christi ambiant! 3. Conside-

ſidera multiplices eſſe calices, alium propinatum eſſe juſtis, peccatoribus alterum: qui præparatum juſtis calicem bibere recuſant in hac vita, bibere cogentur æternum illum apud inferos præparatum. Vide utrum amborum paratus ſis bibere?

FERIA V. POST DOM. II. QUADRAGESIMÆ.

De divite & Lazaro. Luc. 16.

I. DIxit JESUS turbis: *Dives ſplendidè vivens, & nihil mendico conferens, mortuus eſt, & ſepultus in inferno.* Conſidera diviti nullum nomen dari, quia impiorum nomina delentur de libro vitæ, & nulla eorum poſt mortem, etiam in mundo remanet memoria. 2. tribûs vitiîs eum deditum fuiſſe; ſuperbiæ, quia byſſo indutus; intemperantiæ, quia ſplendidè epulabatur quotidie; & avaritiæ, quia nec micas dedit pauperibus, ut diſcas cavere pretioſas veſtes in quocunque ſtatu, lautitiam in cibo, & crebram ebrietatem, deinde tenacitatem in dando aliquid egenis, vel aliis operibus miſericordiæ præſtandis; nè periculum incurras damnationis. 3. fuiſſe ſepultum in inferno, ut intelligas infernum eſſe locum ſub terra profundiſſimum, plenum tenebrarum & horroris, ex quo nulla fit redemptio vel reditus.

II. *Mendicus nomine Lazarus, ulceribûs plenus, nè micam quidem à divite exorans, poſt mortem ab Angelis delatus eſt in ſinum Abrahæ.* Conſidera, nomen piorum mendicorum, quos mundus non agnoſcit, apud Deum in perpetua vigere memoria, ſicut nunc viget Lazari in Eccleſia per 1700. & ultra, annos. 2. Conſidera, Lazarum hunc non ob miſerabilem hanc inopiam & miſeriam ſalvatum, ſed ob patientiam in ea toleranda: unde diſce amare potiùs paupertatem-

tatem, quàm divitias, & paupertatem quidem voluntariam, quia pauperum ſpiritu Chriſtus ipſe dicit eſſe regnum cœlorum. Itèm vilitatem veſtitûs, vulgares cibos, jejunia aliásque afflictiones carnis, ſanitatem non plurisfacere, quàm ægritudinem; quia ulcera plùs profuêre ſaluti Lazari, quàm ſanitas.

III. *Diviti ex inferno imploranti opem, Abraham reſpondit: Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus mala, nunc autem hìc conſolatur, tu verò cruciaris.* Conſidera, ſicut nullum bonum irremuneratum manet apud Deum, ſic nullum malum manere impunitum, ſivè in hac vita, ſivè in futura. Deus enim eſt juſtus Judex, reddens unicuique ſecundùm opera ſua, ùt ſæpè Scriptura loquitur: quo ſenſu Beatus Paulus dicit, quæ homo hìc ſeminat, alibi meſſurum. 2. neminem poſſe ſimul hìc lætari & alibi, ùt clarè hìc teſtatur Abraham. Nam dives hìc lætatur, alibi cruciatur: contra Lazarus hìc cruciatur, alibi conſolatione vera fruitur. Unde & Dominus dixit: *Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram: væ vobis qui ridetis, quia lugebitis.* Luc. 6.

FERIA VI. POST DOM. II. QUADRAGESIMÆ.

De patrefamilias, qui plantavit vineam. Math. 21.

I. *HOmo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, & locavit eam agricolis.* &c. Conſidera 1. per patremfamilias poſſe Deum intelligi, qui reſpectu totius univerſi habeat rationem patrisfamilias: cœlum ipſum domus eſt, & hìc inferior orbis vinea illius: unusquisque etiam noſtrum patrisfamilias vice fungitur: vinea eſt anima noſtra, quam virtutibûs excolere, & ſuper-

flua refcindere mortificationis falce debemus. 2. Confidera fepem quâ nos Deus circumduxit præcepta illius effe, gratiam, rationem, minas omnes ac remunerationes, quas in facris paginis pollicetur, unô verbô, effe Dei timorem pariter & amorem.

II. *Cùm tempus fructuum appropinquaffet, mifit fervos ad agricolas, ut acciperent fructus.* Confidera 1. tempus excolendæ vitiis animæ noftræ effe hanc vitam: laborandum igitur, non otiandum, alioqui dignos pœnitentiæ ac cæleftis regni fructus ferre minimè poterit. 2. fructum, ut plurimùm refpondere labori ac pœnæ. 3. meffis tempus, effe tempus mortis: eò enim maximè tempore pro laboris ratione unusquisque colliget. 4. hujus patrisfamilias fervos effe Concionatores, Confeffarios, & quotquot nobis monita falutis fuggerunt, atque adeò bonas ipfas infpirationes, his ergò omnibus maximè obtemperandum.

III. *Cæsìs hujus patrisfamilias fervìs, ejectôque extra vineam, ac occisô ejusdem filiô, cùm venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? malos malè perdet.* Confidera 1. quòd qui in Paftores, Epifcopos, Rectores, Sacerdotes ac Religiofos invehuntur, magis rei cenfendi funt, quàm qui hìc in Evangelio perftringuntur: cùm fint enim Deo dicati ac ejus cultui mancipati, qui illos tangere attentat, Deum tangere etiam in pupilla oculi cenfendus eft. 2. Confidera illos proprium patrisfamilias filium invadere, qui Chrifto injuriam inferunt: ille enim eft dilectus Patris filius, in quo bene complacuit, longè aliter fanè à temporalis Regis filio temperarent. 3. Illum ab iis extra vineam expelli, qui poft accep-

ceptum in sacra synaxi statim illum offendunt. 4. Si tam graviter animadverti solet in eos, qui contumeliîs homuncionis servum afficiunt, qualia debere illis supplicia, qui rursum peccatîs suîs Filium Dei Cruci affigunt. Heu quàm gravissima offensa illa est, quæ per peccatum mortale infertur.

SABBATO POST DOM. II. QUADRAGESIMÆ.

De filio prodigo, & conversione ad Deum per veram pœnitentiam. Luc. 15.

1. PRodigus extortâ portione *substantiæ à patre, abiit in regionem longinquam, eámque dissipavit vivendo luxuriosè.* Considera 1. prodigum filium, esse peccatorem in varia peccata prolapsum, *vel* hominem spiritualem, non viventem juxta dignitatem & obligationes suæ vocationis, *vel* Animam aliunde piam, deserentem spiritum pietatis; per portionem substantiæ, intelligi: gratiam sanctificantem, *vel* vocationem ad statum spiritualem, *aut* singulares favores, quibûs cummulat animam vocatam ad pietatem; *Regio longinqua*, est status peccati, per quod homo alienatur à Deo; *vel* vita difformis & aliena, à spiritu & obligationibus suæ vocationis, aut pietatis; in qua alienatione homo peccator dissipat & miserrimè perdit gratiam sanctificantem cum aliis donis infusis, perdit merita per opera bona, in statu gratiæ, comparata, & quidem propter res nullius momenti nempe delectationem in peccato, quæ in puncto transiens, nihil, præter remorsum conscientiæ, in eo relinquit, proh dolor! quantùm se alienat à Deo Sacerdos, dum vitam, prorsùs dedecentem suam vocationem, agit! Considera 2. & cogita quàm miserrimus sit ta-

talis ſtatus, & reflecte te, num, in ſimili nunc non reperiaris? & ex filio prodigo diſce, quid tibi ſit agendum?

II. *Fame valida coorta, paſcens porcos, cupiebat ventrem implere ſiliquis porcorum, & nemo ei dabat. Et reverſus in ſe, ait: ſurgam & ibo ad patrem, dicens: pater: peccavi in cœlum & coram te.* Conſidera 1. peccatorem fame valida premi, cùm exiſtens in variis generibus peccatorum, nunquam poteſt ſedare conſcientiæ ſtimulos; Paſcere porcos, quid eſt? niſi in ſumma vilitate. (qualis eſt, ſervitus diaboli, hæreditas inferni,) exiſtere, ſequi ſuas concupiſcentias inordinatas, paſſionibus & libidini obſequi, & prorſus oblivíſci dignitatis vocationis ſuæ; ſperabat miſer peccator ſe fore felicem, variîs peccatîs ſe immergendo, & ecce! contemnitur à Deo, ab Angelis, ab hominibus. ac tandem ſuâ conſcientiâ cruciatur. Conſidera 2, Quid adegit filium prodigum, ut cogitare cœperit de reditu ad patrem? profectò, cognitio ſuæ miſeriæ, & ſpes firma, quòd illum pater ſuſcepturus erat. Hoc ipſum debet facere peccator, conſiderare per ſerium examen ſua peccata quoad numerum, ſpecies, & circumſtantias, deinde præviâ fide concipere ſpem in miſericordia Dei, qui undique vocat ad pœnitentiam, non vult mortem peccatoris, ſed ejus converſionem. Conſidera 3. reſolutionem filii prodigi, ait enim: *Surgam & ibo*, non differebat de die in diem; *dicam ei* inquit: *Pater peccavi in cœlum & coram te.* Quanta contritio cordis, quanta confeſſio peccati ſui! *Fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* Quomodò ſe offert Patri ad ſatisfaciendum pro ſua inſolentia! His etiam tibi maximè inſiſtendum eſt; *imò* non debes converſionem tuam

pro-

procraſtinare. *Nè tardes converti ad Dominum Deum tuum & nè differas de die in diem, ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te*, Eccl. 5. *Non enim ſanitati credendum eſt aut ætati*, inquit Cæſarius, *in remedio ſalutis ſuæ.* 2dò debes concipere veram contritionem in corde tuo, quæ eſt dolor, & deteſtatio peccatorum, cum propoſito de cætero non peccandi, *ùt ait Concil. Trident.* 3tiò debes confiteri peccata quàm exactiſſimè, enumerando numerum, ſpecies, & circumſtantias peccatorum; ac ſeipſum offerre debes Deo in ſatisfactionem pro tuis peccatis, pœnitentiam agendo, juxtà gravitatem peccatorum tuorum.

III. *Pater autem videns redeuntem à longè filium, accurrit, & oſculatus eſt eum, juſſitque ei reddi ſtolam primam, annulum, calceos, & convivium parari in gratulationem.* Conſidera 1. Dei benignitatem, qui ſtatim ad peccatoris converſionem ſe convertit, novô auxiliô, cogitanti de vera pœnitentia, occurrit, ſigna charitatis oſtendit, peccata, etſi maxima ſint, dimittit verè pœnitenti peccatori; gratiam ſanctificantem velut ſtolam primam reſtituit, virtutibûs ſeu calceamentîs ornat, & omnia merita bona per peccatum amiſſa ei reddit, mirâ conſolatione in conſcientia, quaſi quôdam conviviô, reficit, Angelos, omnéſque Sanctos in cœlo invitat: ut gaudeant ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. 2. Conſidera ſæpè illos, qui in magnis peccatis fuerunt, majori charitate in Deum ferri, illíſque Deum majores favores perſæpè largiri, quàm qui nunquam in gravia peccata ſunt lapſi, ut non deſperes, ſi in magna aliquando peccata prolapſus es. Conſidera 3. filium prodigum, poſtquam reverſus eſt ad patrem, nunquam ab eo am-

ampliùs receſſiſſe; & hinc diſce, debere te quàm firmiſſimum habere propoſitum ampliùs non peccandi, & vitam ſeriò emendandi, occaſiones peccati fugiendi, aliàs tua pœnitentia, non eſſe converſio ad Deum, ſed irriſio Dei; *Inanis ſiquidem eſt pœnitentia*, ait Bernardus, *quam ſequens inquinat culpa, execranda fictio eſt, peccatum ſuperficietenus radere, non intrinſecus eradicare.* Et Chriſtus docet in Evangelio Joan 5. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, nè deteriùs tibi aliquid contingat. Converſio* enim *peccatoris* inquit S. Gregorius *non eſt in humilitate confeſſionis, ſed in renovatione interioris hominis.* Hinc Eccleſiaſticus Eccl. 21. *Fili peccaſti? non adjicias iterum, ſed de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Hæc omnia Auguſtinus paucîs complexus eſt. *Si pœnitens es, pœniteat te; ſi pœnitet te, noli facere; ſi adhuc facis, pœnitens non es.*

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

De dæmonio mutuo. Luc. 11.

1. *DÆmone ex muto & cæco ejecto, quidam dicunt: In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia: alii aliud ſignum quærebant.* Conſidera, licèt tria beneficia hìc collata ſint, tamen ex invidia illa hos peſſimam in partem interpretari, illos extenuare, turbam ſolam mirari: ut diſcas invidi & maligni judicii eſſe optimè facta vel malè interpretari, vel extenuare quod pii & ſimplices laudant. 2. Bonis operibus, vel admonitionibus aliorum, nos non fieri meliores, ſed deteriores, niſi ſecurim ad radicem ponamus; id eſt, nosipſos emendemus. Sicut enim bonis etiam peſſima cooperantur in bonum, ità malis optima in malum: ſimiles enim ſunt araneis dulcedinem floris in venenum vertentibus.

II. JESUS *videns cogitationes eorum, dixit eis : Omne Regnum in se divisum desolabitur*, &c. Considera Christum non maledictum pro maledicto reddere, sed tantùm honorē Dei rationibûs quatuor in Evangelio expreisîs tueri : ut discas, si quid contra personam tuam fiat, patienter propter Deum ferre, ac non petenti etiam condonare : si autem contra honorem Dei, Fidei Catholicæ, religiosi status, famā piorum quid dicatur, tunc non silere, sed defendere pro virili. Sic Moyses murmur contra se sapienter tulit, sed idololatriam, quæ erat contra Deum, severè punivit. Sic mulier è media turba hìc Christum & matrem ejus beatos clamat.

III. *Mulier de turba dixit : Beatus venter, qui te portavit. Et respondit Christus : Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Considera fortitudinem mulieris, quòd metu omni exclusô Judæorum calumniantium, gloriam Christi & Sanctæ Matris, clara voce tuetur, eligens potiùs contemni cum Christo, quàm honorari à Pharisæis. 2. Cogita Christum ob ingratitudinem aliorum mæstum, valdè recreatum laude matris, & ideo omnibûs aliîs relictîs, convertisse se ad mulierem, & dixisse : Tu vocas meam matrem beatam, quòd me conceperit; sed ego beatiorem puto, quòd verba mea audierit & custodierit, sicut & tu nunc es, omnésq; qui ea audita custodiunt.

FERIA II. POST DOM. III. QUADRAGESIMÆ.

Medice cura teipsum. Luc. 4.

1. D*Ixit JEsus Pharisæis : Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice cura teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac hìc in patria tua.* Considera 1. hoc proverbium : Medice cura teipsum, mul-

multis convenire; maximè verò iis, qui alios docent, quæ ipsi opere nequaquam præstant. 2. Christum Dominum nunquam tot miracula in patria sua quàm in Capharnaum edidisse. 1. quòd, ùt maximè notus illic adorari potuisset; 2. plerique è cognatis inflari, & nonnihil sibi arrogare potuissent. 3. quòd apud notos parum proficiamus. 4. quòd in Capharnaum plures pauperes invenirentur, quàm in Nazareth. 5. quòd illic multi increduli & curiosi nihil præter signa & miracula postulabant. Proh magnum facinus! curiositas, infidelitas ac superbia.

II. *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, & ad nullam illarum missus est, nisi in Sarepta Sidoniæ.* Considera 1. Deum donorum suorum ac gratiarum esse Dominum, & pro arbitrio, quibus libuerit dispensare, aliis plùs vel minùs, idque sapienter admodùm, ità ut nemini fiat injuria, nec conquerendi ratio subsit. 2. Perpende quid sit à viro pio visitari, cùm summum beneficium computet Christus Dominus, quòd Propheta pauperculā viduā adierit. per viduarum multitudinem designari, quantus fuerit semper afflictorum numerus: non est enim adeò novum videre plerósque vexatos. Ea quippè est conditio loci, quem incolimus. 4. quanta circumspectione Sacerdotes ac Religiosi viduarum domos adire debeant, imò mulierum ac puellarum: nonnisì jubente Domino conveniendæ sunt, ùt hìc de Elia legimus.

III. *Et repleti sunt omnes irâ hæc audientes: Et ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum: ipse autem transiens per medium illorum, ibat.* Considera 1. quantum malum sit iræ ac indignationi obnoxium esse: ac

non enim vitium istud perturbat tantùm, sed omne consilium ac mentem adimit. 2. quantæ impietatis sit Christum expellere è civitate, ac velle præcipitem dare. Hoc utique facis, cum lethali crimine te obstringis. 3. Expende Christum per medium nostrûm transire, imò plerumque abire, cùm injectas animô bene agendi cogitationes respuimus. O absit Domine! sed mane nobiscum, cùm advesperascit.

FERIA III. POST DOM. III. QUADRAGES:

De correptione fraterna. Matth. 18.

I. *Dixit JEsus: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Considera 1. Legibûs à Christo datîs teneri nos non solùm in nobis, verùm etiam in proximo peccata detestari, juxtà Apostoli verba, quòd *non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, Rom. 1. 2. signum certissimū horroris peccati esse, cùm illud vel in aliis arguimus vel emendamus. 3. peccati correptionem in aliis summâ prudentiâ esse faciendam, captâ videlicet loci ac temporis occasione. 4. illum qui corripientem se benignè ac patienter audit, magna futuræ emendationis argumenta præbere.

II. *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos: quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Considera 1. quàm utile sit ad bene agendum cum multis sociari: *Væ soli*, inquit Scriptura, *quia cùm ceciderit non habet sublevantem se*, Eccl. 4. 2. Perpende, quòd si duorum vel trium testimoniô fides est adhibenda, quantò magìs tot Conciliorum ac Sanctorum Patrum placitis, qui veritatem fidei ac

myſteriorum omnium ab Apoſtolis ad hunc uſque diem comprobant. 3. Conſidera, quid de Hæreticis ſentiendum poſt Chriſtum dicentem : *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, Matth. 18. quo in pretio habendi, qui de illa oblatrant, ipſam erraſſe, eſſe prolapſam & deſolatam per multa ſæcula fuiſſe inviſam?

III. *Domine quoties peccabit in me frater meus, ait Petrus, & dimitam ei? uſque ſepties? Dicit illi JEſus: Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuageſies ſepties.* Conſidera 1. quòd qui proximum offendit non in hominem vel alienigenam, ſed in fratrem peccare: fratres enim ſumus, qui unum Deum omnes Patrem habemus. 2. quàm parvì, ut plurimùm pendamus Dei benignitatem ac miſericordiam, D. Petrus multùm eſſe, vel ſepties offenſam remittere, arbitratur; ſed ſuperat ac tranſilit divina miſericordia; non eſt miſericordiæ modus, quamdiu vitam ducimus. 3. Conſidera quàm longè abſimus ab hac miſerendi ratione, qui vel unica vice ægrè admodùm condonamus; Deus ad ſeptuageſies ſepties, id eſt toties quoties, promptus eſt ignoſcere. Proh bonitatem, miſericordiam & amorem! hic vindictæ ſtudioſi & reconciliationis adverſarii, diſcant veri Chriſtiani officium, & quid proximo debeant,

FERIA IV. POST DOM. III. QUADRAGES:

Quare diſcipuli tui non lavant manus, &c. Math. 15.

I. *Dixerunt Scribæ & Phariſæi Chriſto Domino: Quare diſcipuli tui non lavant manus ſuas cùm panem manducant? JEſus autem ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Conſidera 1. facilè leviora proximi peccata: gravio-

res

res verò culpas in nobis minimè deprehendi; Lyncei quippe in aliorum delictis sumus, in nostris autem cæcutimus. 2. Dei servos debere esse in actionibus suis attentissimos: faciliùs enim leviores illorum culpæ, quàm aliorum gravissimæ perstringuntur. 3. quàm iniquus judex sit mundus; carpens quod non damnat Deus, probans verò quod ille carpit: præceptum Dei violatur & siletur; leviter in urbanitatem delinquitur, & magni criminis insimulatur: ille est mundi genius.

II. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Considera 1. hypocritæ nomen plerisque esse à Sanctis attributum: qui se immunem ab hoc crimine putat, huic magìs obnoxiu reperitur. 2. Considera ab his Deum labiis honorari, non corde: qui dicunt, & non faciunt; qui multa policentur, & promissis stare negligunt: qui aliud foris, aliud intus præseferunt: foris agnorum benignitatem, intus verò luporum rapacitatem exhibent; palam viri boni videntur, coram Deo reipsa nefarii sunt; apud homines humilitatem fingunt, coram Deo & Angelis vanitatis arguuntur.

III. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Considera 1. quòd in homine duo fœdari & contaminari possunt, interiùs & exteriùs: quòd exteriùs coinquinari possit, parùm est, modò quod intrinsecus latet, fœditatis expers sit. 2. Interiores immunditias longè ampliùs esse cavendas quàm externas: hîs enim solùm corpus, illîs verò mens inficitur. Istas soli homines aversantur, illæ verò Deum summè bonum offensum habent. 3. Considera quòd Deo & Ecclesiæ non obtemperare gra-

vissimum sit, cùm id de corde exeat & mentem inficiat; parùm refert, quibus vescaris, modò Deo non contradicas, ùt Adam & Eva; vel Ecclesiæ, ùt passim hæretici & nefarii plerique.

FERIA V. POST DOM. III. QUADRAGES:

De socru Simonis. Math. 8. Marc. 1. Luc. 4.

1. *EGressi de Synagoga venerunt in domum Simonis : Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt JEsum pro ea.* Considera, non caruisse mysterio hunc transitum JEsu ad domum Petri ex Synagoga. Nusquam legimus illum post itineris & prædicationis labores ad quietem vel cibum capiendum divertisse; ad magnifica palatia, sed ad piscatorum, aliorúmque pauperum ædes, utì hæ Petri, fuêre. Quid autem aliud erat hæc Petri domus, nisì Ecclesia, cujus Petrus custos & pastor factus est, dum Christus ei diceret: *Si diligis me, pasce oves meas*, Joan. 21. quam Christus elegit in sponsam, repudiatâ rebelli Judæorum Synagogâ. 2. Considera Apostolos non solùm invisisse ægram, sed etiam intercessisse pro illa: ut discas, cùm non potes opere, precibûs saltèm apud Deum & homines divites, infirmos juvare, deinde & implorare auxilia Sanctorum in cœlo, ut patrem misericordiarum pro nobis & illis interpellent.

II. JESUS *accedens ad illam, imperavit febri, & manu elevavit eam, & mox surgens, ministrabat eis.* Considera cur JEsus, conscius illam ægram esse, expectârit donec discipuli rogarent pro ea. Nempe quia domus Petri debuit esse domus fidei, charitatis & orationis, & ideo illas virtutes in ea exerceri voluit. Potuit & verbô absens eam sanare, sed ad osten-

ostendenda majoris amoris signa voluit in persona propria eam adire, manúque tangere & febri imperare, ut tangendo, se hominem, imperando, Deum esse monstraret. 2. Considera quomodò febris non solùm recesserit, sed vires ità in ea firmatæ fuerint, ut repentè ex lecto exiliens cœperit magnô studiô, ut gratam se ostenderet, ministrare: ut discas non te dare otio, cùm à peccatis fueris solutus, & jacturam præteriti temporis in morbo vel corporali vel spirituali factam, novô studiô resarcire.

III. *Vespere facto varios ægros ducebant ad eum, dæmoniacos, & ille manu imposita eos curabat: dæmonia autem clamantia, Tu es Filius Dei, non sinebat loqui.* Considera in sola Petri domo, id est Ecclesia Romana, esse absolutionem ab omni genere spiritualium morborum, id est peccatorum, ac etiam corporalium, quando fiunt miracula. 2. Vesperi vel nocte tribulationum plures sanari quàm luce prosperitatis: per adversa enim plures redeunt ad se & convertuntur ad eum, quàm per prospera: *Vexatio dat intellectum*, Isaiæ 28. 3. Christum non permisisse loqui dæmonia, ut doceret nos dæmonem semper pro hoste infenso habendum, & nunquam ei communicandum, sivè in bonis, sivè in malis: qui enim videtur, commodis nostris ampliùs favere, hoc ampliùs nostræ saluti insidiatur.

FERIA VI. POST DOM. III. QUADRAGES:

De colloquio Domini cum Samaritana. Joan. 4.

I. *JESUS fatigatus ex itinere sedebat sic suprà fontem sub horam sextam*, id est circa meridiem. Considera JEsum benedictum per montes & valles, à mane usque ad meridiem sinè cibo & potu, quæren-

rentem errantem ovicu'am, ut eam deducat ad ovile, ac tandem more hominum de via fessorum, sedere supra fontem, ut ibi tanquam peritus auceps, verborum suorum reti, aucupetur aviculas ratione præditas; unâque captâ, ea duce utatur ad alias in rete illiciendas. 2. Considera eum sedere sic, id est in terra, qui sedet supra Cherubinos: sedere supra aquas mortuas ut commutaret eas in aquas vivas, ad quas per Prophetam omnes invitavit, dicentem: *Omnes sitientes, venite ad aquas*, suprà puteum profundum, quasi super novam cathedram, ut patefaciat nova & profunda mysteria Scripturarum.

II. *Venit mulier de Samaria haurire aquam, cui dixit: Da mihi bibere: Discipuli enim intrarunt in urbem, ut cibos emerent.* Considera admiranda Dei judicia, & quàm verè dixerit Apostolus: *Non volentis neque currentis sed miserentis est Dei*, Rom. 9. Mulier enim hæc neque quærebat Christum, neque currebat ad salutem: minùs volebat, & tamen divina pietas, ejus est miserta, liberans eam à peccatis, & similem efficiens Apostolis, utpote quæ Samaritanis Christum annunciavit. 2. Considera eum, qui venerat ad dandum verum potum, postulare bibere: ardebat nimirùm desideriô, non jam extingvendi sitim corporis, sed cordis; hoc est: animam illam convertendi: nec enim legitur eum postea bibisse. Parvifaciebat Dominus lassitudinem suam & sitim: pluris æstimabat animæ salutem quàm potum aquæ. 2. Considera tunc potum petere à nobis Dominum, quando interna inspiratione nos impellit, ut rejectîs peccatîs convertamur ad fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam.

III. *Quomodò, ait mulier, tu cùm Judæus sis, bibere*

à me

à me Samaritana poscis! Tum JEsus: Si scires quis poscat forsan petiisses ab eo aquam vivam. Considera Christum ex habitu à Samaritana agnitum Judæum: ut discamus, si velimus imitari Christum: nos eo habitu uti debere, quô cognoscamur esse Christiani. Turpè est enim honestate habitus nos etiam à Turcis & Judæis vinci. 2. Considera sapientiam Christi sensim ab aqua materiali transeuntis ad spiritualem: ut doceret nos, cùm volumus convertere peccatorem, opportunitatem venari loquendi de tali materia, & primùm loqui de eo, quod ejus professioni convenit, & pedetentim quasi aliud agendo in sermonem de salute spirituali delabi.

II. PARS.

1. *DOmine, ait mulier, puteus altus est, nec hydriam habes: unde ergo habes aquam vivam? Respondit: Qui biberit ex mea aqua, non sitiet in æternum: Tum illa: Da mihi hanc aquam.* Considera qua arte Dominus paulatim cor durum mulieris emolliat. Primò enim se magnum aliquem virum indicat. 2. promittit aquam vivam. 3. exponit effectus aquæ, quòd sitim perpetuò tollat, & saliat in vitam æternam, id est vivificet animam. O raram liberalitatem Christi! ignorantibus vivam gratiæ suæ aquam patefacientis: ac non petentibus etiam offerentis; nec mirùm: nam divinæ bonitatis fons est suiipsius diffusivus: & ideo quærit hortos, in quos donorum rivos effundat. 3. Considera aquam hujus mundi significare opes, honores & voluptates sæculi, quæ non possunt extingvere sitim, sed augent potiùs. Aquam verò Christi designare gra-

 tiam

tiam Dei & bona cœlestia, quæ verè sitim nostram explent & extinguunt.

II *Vade, inquit JEsus, voca virum tuum. Tum mulier: non habeo virum. At JEsus: Quinque habuisti: & quem habes, tuus non est. Tum illa: Video quia Propheta es tu.* Considera Dominum non ante se voluisse manifestare illi, quàm confessa esset virum suum non esse cum quo habitaret, ac proinde se peccatricem esse. Neminem enim gratiæ suæ participem facere solet, nisi priùs se humiliet & peccata sua confiteatur. 2. Considera, cùm mulier, proculdubio hac confessione sua multùm erubuerit; quomodò à cœlesti Medico mox fuerit adjuta & curata: benignè enim confessionem ejus confirmavit, & bis collaudavit, quòd verè dixit: Honorifica enim res est apud Deum peccati confessio, & laudem potiùs quàm pœnam meretur. 3. Considera quomodò, post expiata humili confessione, crimina, aqua viva ante oblata ex anima illa scaturiat, & sensim, vivi fontis instar, in cœlum ascendat: non enim vocat ampliùs Judæum, sed Prophetam: loquitur de adorando Deo, de Messiæ adventu.

III. *Cùm mulier dixisset, Scio quia Messias venit, JEsus ait: Ego sum, qui loquor tecum. Sic mulier relictâ hydriâ abiit in urbem, nuncians se vidisse Messiam: discipuli autem mirati sunt eum cum muliere locutum.* Considera quomodò sylvestris hæc ovicula paulatim verbis Christi emollita patiatur se tangi & capi à suo pastore: ignara enim licèt adhuc, quis sit, incipit in eum credere, eúmque amare, & ideo dicit se scire Messiam venturum, & optare ab eo doceri. Quid hic restabat, nisi ut pastor se proderet, & oviculam in humeros rejectam deportaret ad ovile? Dixit ergo ei: *Ego sum, qui loquor tecum.*

2.

2. Considera hôc responsô datô, tantum ignem in pectore mulieris accensum, ut ardoris impatiens, oblita hydriæ aufugerit in urbem: quô totum populum eodem igne accenderet, sicut & factum est. Nec mirum est, hydriæ oblitam, quia jam biberat, jam sitim perfectè restinxerat: ut discas & tu deserere hydriam carnalium cupiditatum, si velis aliis viam salutis ostendere. 3. Considera Apostolos miratos Christum loqui cum muliere: quod fecit, ut doceret imprimìs Religiosos & Clericos raro loqui cum mulieribus; & si fiat, paucîs verbîs, nec sinè comite.

SABBATO POST DOM.III. QUADRAGESIMÆ.

De muliere adultera. Joan. 8.

1. JESUS *rogatus à Pharisæis, sitnè mulier adultera secundùm legem lapidanda; inclinavit se, digitô scribens in terra.* Considera tantam fuisse Christi misericordiam in peccatores, ut inde Pharisæi calumniandi ansam quæsiêrint: ut discas fiduciam in Christo ponere, certus de remissione peccatorum, licèt gravia sint, & in lege gravî pœnâ mulctentur, modò ad cor redeas: si autem homini fidas: ille te coram Deo & hominibus accusabit. 2. Considera cur JEsus distulerit responsum: nempe ut Principes & Judices discant, audita occasione priùs causam & circumstantias ejus expendere, nè injustam sententiam proferant: deinde ut quando nos audimus aliquem lapsum, non mox eum apud alios condemnemus, sed potiùs excusemus, cogitantes nos quoque fragiles & è terra fictos, posséq; labi. 3. Considera non debere nos refugere etiam humiles actus & ritus, licèt videantur inciviles, quando possumus ea re proximo prodesse.

II. *Cùm isti pergerent quærere, JEsus erexit se, dicens: Qui sinè peccato est: primus in illam lapidem mittat: & iterum in terra scripsit, & mox alius post alium discessit.* Considera hôc dictô Christi nos moneri, nè facilè malè loquamur vel judicemus de proximo, sed consideremus imperfectiones nostras. Quantumcunque enim homo sanctus sit, semper, si bene conscientiam examinet, & digitô discusionis in terra cordis scribat, inveniet quod in se reprehendat, nec facilè lapidem in alios emittet. 2. Considera sicut adultera ab omnibus condemnata est, antequam sisteretur Christo, eô verò præsente omnes se subducere: sic nos quando manemus in peccato, à dæmone & propria conscientia condemnamur: ubi verò per confessionem humilitati nos subjecerimus Christo, absolvimur. 3. Considera Christum denuò se inclinasse in terram; nè magìs eos, si diutiùs respexisset, pudefaceret, & liberiùs se inde subducerent: ut discas, cùm quis tua monitione satis est pudefactus, non ampliùs instare.

III. *Tum erigens se JEsus ait: Mulier, nemo te condemnavit? Respondit: Nemo. Tum ille: Nec ego te condemnabo: vade, & jam ampliùs noli peccare.* Considera quanti fecerit Christus ordinariam superiorum potestatem: nec enim mulierem ante absolvit quàm intellexerit eam à nullo condemnatam: ut discas nunquam aliquem ab amore vel obedientia superiorum abducere. 2. Considera clementiam Christi, quòd nullo probroso nomine adulteram appellarit, sed mulierem; indicans sexus fragilitatem: cùm tamen ipse solus hôc peccatô offensus esset, sicut peccatô Davidis, qui dixit: *Tibi soli peccavi*, Psalm. 50. Gratior enim est Deo maximus

mus peccator pœnitens, quàm superbus, qui sibi videtur justus. 3. Considera Christum non absolvisse eam, nisi postquam locuta est, vult enim ut ex parte nostra quoque cooperemur, confitendo peccata nostra & laudes divinas prædicando. Deinde parum admodùm ab ea postulare, nempe ut deinceps non delinqueret.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

De multiplicatione quinque panum. Joan. 6.

I. *CUm JEsus monte conscensò sublevasset oculos, vidit turbam ingentem tendere ad se, rogantique de panibus respondit Andreas: Est puer unus hic habens quinque panes hordeaceos & duos pisces:* Considera Christum ex valle montem conscendere: ut doceat nos ad perfectionem vitæ spiritualis tendere; sed non sinè labore ad eam perveniri. 2. Modestiam Christi, oculos semper demittentis nec sublevantis, nisì in cœlum & ad populum: ut discas duo maximè tibi respicienda; nempe salutem tuam in cœlo & salutem proximorum. 3. Si solo aspectu suo Christus attrahat turbam, quid faciet præsentiâ in Eucharistia? 4. Christum in miraculo utì ministeriô pueri, patriâ relictâ Dominum secuti, & quidem pauperis, quia hordeaceos habuit panes: ut scias puerorum & humilium opera, Deo gratissima.

II. JESUS *gratiis actis, panes quinque & duos pisces quinque millibus in fœno discumbentibus distribuit.* Considera fervorem tot millium hominum, quòd non solliciti de cibo, Christum tam longè sint secuti, & summam Dei providentiam nunquam in se confidentes deserentis. 2. Cogita, si Filius Dei dator omnium bonorum gratias agit Patri pro quinque pa-

panibus; multò magìs nos viles creaturas debere corde, voce & opere pro tot beneficiis quotidianis gratias continenter agere. 3. Vide quanto amore panes piscésque frangat, & simplici turbæ distribuat; memor se aliquando panem cœlestem in extrema cœna in memoriam piscis in cruce passionis assi distributurum, qui satiet in æternum. 4. Cogita illum dignè non accipi, nisì à discumbente in fœno, id est humiliter de se sentiente: & carnem suam, *Omnis enim caro fœnum*, ait Isaias, mortificante & supprimente.

III. *Collegerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Considera quando bona nostra, sivè temporalia, sivè spiritualia, etsi pauca sint, libenter communicamus proximo, non perire; sed crescere & multiplicari, utì magni eleemosynarii experti sunt. 2. Majorem fuisse post saturationem collectionem fragmentorum quàm panum: ut significaretur indeficientia convivii cœlestis in vita æterna consecutura; ubi quisque fragmentô suô, id est, speciali beatitudine ità saturabitur, ut nec esuriat, nec sitiat ampliùs.

FERIA II. POST DOM. IV. QUADRAGESIMÆ.

De ejectis è templo vendentibus. Joan. 2.

I. JESUS *Hierosolymam ingressus, cùm in Templo invenisset vendentes oves & boves, flagellô omnes ejecit.* Considera Christum ante omnia adiisse templum, quia in omnibus actionibus suis primò semper quærebat Dei gloriam: Et cùm adverteret illud fœdè à negotiatoribus profanari, licèt mortalium mitissimus esset, & ipse Agnus Dei, zelô divinô accensus, ex funiculis fortè oblatis confecisse flagellum, terribilique vultu totam illam sacrilegam turbam ejecisse. Consumatur & cor tuum

um vindicandi divini honoris zelô, quando Dei templum, id est, animam tuam advertis belluinîs carnalium affectuum motibûs profanatum, & flagellô pœnitentiæ in illud desævias. 2. Considera funiculis designari peccata, quibûs homo velut funibûs constringitur: ut intelligas Deum ex peccatis nostris sumere castigandi materiam, eò quòd dum in malo persistimus & peccatis peccata addimus, multiplicemus funiculos è quibus fiat flagellum, quô castigemur.

II. *Ejecit quoque oves & boves, & nummulariorum effudit æs & mensas subvertit.* Considera oves esse, qui specie pietatis alios decipiunt: boves, quæ sunt bestiæ laboriosæ, esse prædicatores, qui ob quæstum suum, & non lucrum animarum verbum Dei annunciant: nummularios autem, qui Deo non integrè serviunt; sed partim Deo, partim mundo, & qui non purè quærunt Christi gloriam in actionibus suis; sed sua potiùs commoda. 2. Considera, si Dominus tam graviter tulit animalia innoxia, ementésque & vendentes illa tantùm, quæ cultui divino erant dedicata, & jamjam offerenda, quid facturus esset, si invenisset in eo homines confabulantes de rebus vanis, nugatores, impudicos, famæ alienæ detractores, irrisores, nulláque devotione præditos? Cogita quid facturus sit Christus cum illis, qui in diebus solemnitatum, permittunt in cœmeteriis vendi comestibilia & potabilia, ah! quanta hinc domus Dei profanatio!

III. *Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Considera columbas spiritualiter vendere eos, qui acceptam Spiritûs Sancti gratiam non gratis, uti debent; sed pro mercede aliis communicant:

cant: ut qui non ſecundùm merita, ſed ſecundùm hominum favorem & gratiam illam impertiunt: vel denique, qui beneficia Eccleſiaſtica ſimoniacè emunt vel vendunt. 2. Conſidera Chriſtum mitiùs locutum vendentibus columbas, tum quia pauperiores & ſimpliciores homines eſſe ſolent, qui vendunt oves, tum quia per columbas volucres innoxias Spiritus deſignabatur: ut diſcas zelum temperare quando agendum eſt contra eos, qui ex ignorantia & ſimplicitate potiùs quàm ex malitia & protervia in aliqua re divinum honorem lædunt.

FERIA III. POST DOM. IV. QUADRAGES:

De doctrina Chriſti Domini. Joan. 7.

I. *DOctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui miſit me: Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina utrum ex Deo ſit.* Conſidera 1. Chriſti Domini humilitatem: poſſe meritò quam nos docuit doctrinam, ſuam appellare ſinè Patris injuria, cùm ipſe etiam Deus ſit: illam tamen ex humilitate Patri, non ſibi tribuit. Proh quantæ confuſioni iſta Chriſti humilitas erit pleriſque concionatoribus ac Doctoribus, & Scribis pleriſque, quos vel leviſſima ſcientia inflat! 2. Conſidera in eo probari maximè doctrinam aliquam eſſe à Deo, ſi ad peragendam Dei voluntatem ac præcepta impellat: quantumcumque enim ſapere videaris, ex affectu potiùs, quàm ex veritatis præſcripto judicas. Superbus ac vanus humilitatis doctrinam damnat & ſtultitiam reputat, avarus, paupertatem, puſillitatis animi vel judicii inſimulat.

II. *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt.* Conſidera 1. periculoſum eſſe de ſe vel de ſuis, verba facere, ac vanitati potiùs quàm charitati tribu-

en-

endum. 1. In sanctioribus actionibus vanitatem esse cavendam; quæ absit, cùm de Deo verba miscemus, vel de beneficiis, quæ nobis vel nostris confert. 3. Quòd unusquisque gloriam Dei quærere præsumit, cùm pauci admodùm id præstent: quis enim verè gloriæ illius incumbit, à quo mittitur: ingeniosè quippe suam plerique omnes vel in Sanctissimis actionibus intendunt.

III. *Moyses dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit Legem. Quid me quæritis interficere? Respondit turba & dixit: Dæmonium habes.* Considera 1. parum prodesse pias ac sanctas Leges, nisi opere compleantur: non ex Lege justificaberis, imò condemnaberis, si quod jubet adimplere negligas: scriptum est enim: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 2. Expende paucos esse, qui Legem impleant: si enim accuratè perspiciamus, unumquemque suô nominatim vitiô laborare reperies, cùm alioquin scriptum sit: *Qui peccat in uno, factus est omnium reus.* 3. *Meritò* Christum Legi non obtemperantes, hîs verbîs interpellare: *Quid me vultis interficere?* Christus enim Dominus quæritur, ad mortem, cùm de peccato cogitas. Hoc enim est juxta Apostolum, *rursus in seipso Christum crucifigere.*

FERIA IV. POST DOM. IV. QUADRAGES.

De cæco nato. Joan. 9.

1. *CHristus cùm cæcum natum vidisset, & discipulìs quærentibûs an ob peccata sua vel parentum ità natus esset, respondisset id factum ad manifestandum opera Dei, lutô ex sputo factô linivit ejus oculos, & lavare in natatoria Siloe jussit.* Considera Christum vidisse cœcum non otiosè & frustrà, sed ut ejus miseriæ opem

pem ferret : ut disceremus non satis esse cognoscere proximi ærumnas, nisi etiam operam demus, ut ab illis liberetur. 2. Considera modum, quô curavit cœcum : 1. eum respexit : 2. lutum imposuit oculis, 3. ad fontē misit : sic tria peccatori facienda sunt, ut Deo reconcilietur : Primò enim opus habet auxilio divinæ gratiæ ut resurgat : 3. agnoscere debet fœditatem peccati per confessionem. 3. abluere illud vel per baptismum, si sit infidelis ; vel per lachrymas contritionis, si sit fidelis, relapsus.

II. *Cæcus post visum receptum sæpiùs à Pharisæis rogatus quomodo vidisset, cùm constanter respondisset à Christo id factum, ejectus est ex Synagoga.* Considera cœcum nunquam in longa contentione hac, verbum ullum, defendendi sui causâ, effutivisse ; sed magnô zelô Christi patrocinium suscepisse, contemptô honoris sui periculô : ut doceret nos injurias nobis illatas non magnifacere, illatas verò Deo, nullô modô tolerare. 2. Considera eum Synagogâ pulsum, quòd Nomen Christi tueretur : ut intelligas simul atqùe inceperis servire Deo, mundum tibi fore contrarium, & te ex sua societate exturbaturum : Christum autem te non deserturum.

III. JESUS *cæco jam foras ejecto dixit : Tu credis in Filium Dei ? Tum ille : Quis est Domine ? Et JEsus : Ego sum. Tum ille : Credo Domine, & procidens adoravit eum.* Considera JEsum ideo manifestasse apertè se esse Filium Dei, (quod Samaritanæ fecerat) ut doceret omnes pios, qui magnas afflictiones propterChristum subeunt, longè esseChristo chariores, & ideo plura & majora beneficia, Christum illis conferre, quàm aliis, qui earum sunt expertes. 2. Considera Christum quæsivisse cœcum, & tandem inventum, rogasse num crederet in Filium Dei ?

ut

ut discas Deum minimum quidem opus nostrum bonum irremuneratum relinquere; sed statim gratiam suam nobis afferre, ut ad perfectionem vitæ Christianæ perveniamus: sed quia nostram cooperationem requirit, idcircò quærit à cœco an credat in se. Et quia verè & perfectè credidit, ideo & opere mox declaravit, adorando illum.

FERIA V. POST DOM. IV. QUADRAGESIMÆ.

De filio viduæ Naim. Luc. 7.

Vide inferiùs Meditationem Dom. 15. post Pentecosten.

FERIA VI. POST DOM. IV. QUADRAGES:

De suscitatione Lazari. Joan.

1. *CHristus, auditô nunciô de Lazari ægrotatione, per biduum subsistit, ut evidentiùs foret miraculum.* Considera Martham & Mariam sorores per nuncium certiorem reddidisse Dominum tunc ultrà Jordanem agentem, dicentes: *Ecce quem amas, infirmatur*: ut discas in omni adversitate, 1. curare ut reconcilieris Deo, nè fortè peccata causam dederint morbo: deinde uti oratione plenâ resignationis, ùt est ista, quâ nihil petas, sed omnia Deo committas, dicendo: *Ecce quem amas, patitur hoc vel illud?* Quòd enim me ames, certissimîs indiciîs scio ex sangvine pro me fuso, aliisque beneficiis mihi collatis. 2. Considera cur Christus biduum in eodem loco moretur cum tanto optimarum sororum dolore, & sinat Lazarum mori. Nempe ut ostenderet majorem erga eas amorem. *Quos enim amo*, ait Apoc. 3. *arguo & castigo.* Suscitatione enim Lazari quatriduani factum est, ut & ipsarum corda, discipulorúmque & aliorum magìs in fide confirmarentur, & Dei gloria per tam fidos & a-

micos teſtes ubique prædicaretur, ac imprimìs, ut dura Judæorum pectora magnitudine miraculi tandem frangerentur. Vide quomodò Chriſtus non aliud quærat in ſuis operibus, quàm Dei gloriam & noſtram ſalutem.

II. *Ait Chriſtus diſcipulis : Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado ut à ſomno excitem eum. Martha & Maria Magdalena occurrunt Chriſto venienti, & dicunt : Domine, ſi fuiſſes hìc, frater non fuiſſet mortuus.* Conſidera, quòd Lazarum amicum ſuum Chriſtus dicat dormire, cùm jam eſſet mortuus, quia amici Dei propriè non moriuntur, ſed dormiunt tantùm ; tum Deo, quia ei tam facilè eſt ad vitam illos revocare, quàm dormientem excitare ; tum ipſis, quia juſtis mors eſt janua ad vitam æternam & perpetuam quietem. 2. Conſidera mulieres currere ad Chriſtum pro antidoto contra mortem, quia congruebat mulierem primùm accurrere ad clementiſſimum Redemptorem, quæ primò aures præbuerat peſſimo ſeductori : primam exorare vitam, quæ prima adſciverat mortem. Deinde perpende, licèt fides earum non fuerit perfecta (quia putarunt Lazarum non potuiſſe ſanari à Chriſto abſente) tamen eas rectè dicere Lazarum non fuiſſe moriturum, ſi adfuiſſet : quia ubi eſt vita, nequit eſſe mors : unde & dixit : *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etſi mortuus fuerit, vivet.* Quibûs verbìs devota Maria dixit : *Ego credidi, quia tu es Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.*

III. *Chriſtus collachrymans oratione facta, cùm lapidem juſſiſſet amoveri, clamavit : Lazare, veni foras : excitatúmque ſolvi juſſit.* Conſidera Chriſtum Mariæ & Judæorum lachrymìs commotum infremuiſſe, & voluntariè turbaſſe ſeipſum : ut diſcamus alio-

rum

rum afflictionibus compati ex charitate. 2. lachrymasse ad docendum nos, quòd flere debeamus: & pro nobis, quia omnes sumus peccatores per Lazarum significati, & pro miseriis spiritualibus proximorum, maximè si sint mortui coram Deo. 3. jussisse moveri lapidem à sepulchro, quia nihil æquè impedit veram resurrectionem à peccato, ac obduratum cor in peccando. 4. elevasse oculos in cœlum: ut discamus in ærumnis non fidere meritis nostris, sed confugere ad Deum. 5. clamasse: ut concionibus & inspirationibus divinis pareamus. 6. jussisse solvi vincula: ut per confessionem peccatorum absolutionem à peccatis quæramus apud Apostolorum successores Sacerdotes. 7. jussisse Lazarum abire: ut post acceptam peccatorum remissionem, sobriè, piè & justè vitam instituamus.

SABBATO POST DOM. IV. QUADRAGESIMÆ.

Ego sum lux mundi. Joan. 8.

1. *DIxit JEsus: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Considera 1. nihil esse in vita jucundiùs lumine, quid esse potest gaudii in tenebris? si tam grata corporea lux, quantò magis spiritualis: ô si vel minimus radius affulgeret, quanta, quæ nos latent, aperiret! 2. A Christo Domino, qui se mundi lucem appellat, esse mutuandam: proinde falluntur gravissimè, qui lucem ex privata industria ac studio depromere satagunt, parùm solliciti hanc à Patre luminum postulare. 3. Perpende quòd quemadmodùm difficilè est in tenebris ambulare quin impingas; ità parùm in vita spirituali proficies, si supernum lumen desit, quanta præcipitia in virtutis via sese offerun, si ducem non adhibeas.

II. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni*, &c. Considera 1. tria obesse, quominùs in nostra causa testes esse possimus. 1. est privatus amor, quô nobis ipsis blandimur in propriis delictis, & bona quæ agimus alia ratione inspicimus. 2. est obcœcans nos peccatum. 3. ipsa pravorum affectuum perturbatio: hæc autem omnia à Christo longè absunt: quod enim ad privatum amorem attinet, is perfecto famulatu, Divino erat subditus, ùt ex his verbis liquidò constat: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* 2. quoad peccatum, omninò expers fuit. 3. quod ad affectus attinet, erant paccatissimi, & rationi subditi, quô fit ut meritò de se testimonium perhibere possit.

III. *Hæc verba locutus est JEsus docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.* Considera 1. non unicuique fas esse loqui in templo, quò convenire solet populus ad orandum ac laudandum Deum, ejúsque verba ac mysteria audiendum: Sacerdotes itèm, non ut laudes modò ac vota Deo persolvant, sed ut doceant, ac divina mysteria peragant: quicquid in illis præter ista, peragitur, impium est ac sacrilegum. 2. Considera, licèt impii semper possint velle bene vel malè agere cùm libuerit: non utiq; tamē quòd animô conceperint, perpetrare, non annuente Deo semper, hominibus, utì nec dæmonibus dando nocendi facultatem; Penes solum Deum est, utpote sum̄um Judicē, hominem tradere, cùm libuerit, tortoribus, puta nefariis, ac dæmonibus, quibus utitur ad vindictam. 3. Cùm statuta mortis hora venerit, nullum fore tunc appellationi locum. Disce igitur ubicumque ad mortem esse paratum: ubicumque igitur mors

para-

paratum te inveniat : quâ enim horâ non putabis, certò certiùs veniet.

DOMINICA PASSIONIS.

De immunitate Christi à peccato. Joan. 8.

I. DIxit JEsus Judæis : *Quis ex vobis arguet me de peccato ? qui ex Deo est, verba Dei audit.* Considera, cùm à Christo dicaris Christianus, te conari debere, ut immunis sis à peccatis saltèm mortalibus : & scire potiùs esse moriendum, quàm in tale peccatū consentiendum : deinde deliberatè, maximè si religiosus vel Sacerdos sis, nec consentire in venialia, imò etiam cavere imperfectiones, quæ peccata non sunt. 2. Examina teipsum, an verbum Dei, exhortationes pias & inspirationes divinas libenter audias, iísque obsequaris ? quia si secùs fiat, non es in Dei gratia, nec in numero prædestinatorum.

II. *Cùm Judæi dicerent eum esse Samaritanum, & habere dæmonium respondit : Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum : non quæro gloriam meam.* Considera patientiam Christi nihil respondentis de nomine Samaritani, quia tangebat contumelia personam ipsius : (nam reputabant eum indignum sua conversatione : non enim Samaritanis coutebantur Judæi, sicut nec nos nunc Judæis & Turcis) sed de dæmonio, quia tangebat gloriam Dei, mitissimè respondit : *Ego dæmonium non habeo.* 2. Considera, si Christus propriam gloriam non quæsivit, quantò minùs tu debeas. Fac ergò omnia in Dei gloriam, & tunc Deus etiam honorificabit te : unde vides quantùm peccent, qui honoris sui cupidi, minimam etiam injuriam vindicare non dubitant, sanguine suo.

III. *Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mor-*

mortem in æternum. Considera hanc promissionē esse ejus, qui mentiri & fallere non potest: & quidem de morte spirituali animæ. Vide quantum Dei beneficium sit, in æternum non solùm vivere, sed felicissimè vivere: talíque cogitatione te obfirma, nè sermones Dei umquam, sciens transgrediare. 4. Considera hìc dictum esse, *mortem non gustabit in æternum*: & hoc quoque posse intelligi de morte corporea, quòd is, qui Legem Dei fideliter observaverit, nîl habiturus sit quòd ei mortem reddat amaram: contra verò testimonium bonæ conscientiæ & spes consequendæ remunerationis æternæ dulcissimum reddent hunc articulum. Idcirco Sapiens dicit, *Animam fidelem sub typo mulieris fortis risuram in die novissimo.*

FERIA II. POST DOM. DE PASSIONE.

Quæretis me: Et itèm, *Si quis sitit, &c.* Joan. 7.

1. *QUæretis me, & non invenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire.* Considera 1. diversimodè Christum quæri: à nonnulis, ad mortem, ut ab Herode: ab aliis, ad tradendum, ut à Juda: ab aliis, ad utilitatem & commodum, ut à populo, ob panem in deserto: ab aliis, ut à langvoribus corporeis sanentur, ut ab Hemorrhoissa: ab aliis, ad sanandas animas, ac remissionem peccatorum obtinendam, ut à Magdalena: ab aliis denique, propter solam illius gloriam, ut ab Apostolis, qui relictis omnibûs secuti sunt ipsum. 2. Christum quæri plerumque frustrà, quando non recto fine, vel congruîs mediîs. 3. Ut Christus inveniatur in morte, esse illū quærendum vitæ tempore: alioquin, tunc frustrà quæritur, ùt ab Antiocho, Juda, ac plerisque aliis damnatis.

II. *In novissimo die magno festivitatis stabat JEsus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Considera 1. quanti festos dies faciat Christus Dominus, qui licèt minimè obstrictus, non modò dies ipsos, sed & octavas ac pervigilia celebrabat: nos verò etsi obstrictissimi, quoties omittimus? 2. Expende Christum meritò vocem contendere, surdis quippè se loqui innuit, vel procul dissitis. Vide de quorum numero sis? 3. Vide inter sitientes computari, ac proinde ad Christum accedere debere. 1. qui divitiarum, voluptatum ac vanitatum siti premuntur. 2. qui quæ bona sunt appetunt, puta divinarum rerum cognitionem, virtutum pietatem ac devotionem. 3. qui ad res eximias, puta Dei gratiam, charitatem ac perfectionem anhelant: priores quidem, ut sitim amittant aut mutent, utpotè perniciosam: alii ut fruantur optatis, & sic sitim expleant, quàm ut laudabilem ac semper bonam, felicitas consequetur: *Beati* enim, *qui esuriunt, & sitiunt justitiam.*

III. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Considera 1. valde discrepare, credere Deum, credere Deo, & in Deum: Deum credere, hoc Athei recusant: credere Deo, Hæretici respuunt: soli Catholici omnibus credunt, quæ Deus revelavit; Hæretici non nisi quibusdam articulis. Credere in Deum peccatoribus ac mundanis non placet, satis esse arbitrantibus, si Deo credunt, parùm solliciti ad illum tendere, ac in illum sperare: hoc est enim, verè in Deum credere, quòd præstant inter Catholicos perfecti. Vide inter quos habearis. 2. Considera, quisquis hac fide in Christum afficitur, eum

habere in se fontem aquæ vivæ & copiosissimam Spiritûs Sancti gratiam, modô quôdam peculiari opitulantem: Quid enim potest deesse credentibus in Deum, & sperantibus in Christum: *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, ait ipse Dominus, Joan. 16. Si inopia premimur, ille divitias supplet, vel tolerabilem aut jucundam reddit paupertatem: si sumus infirmi, potest, cùm libuerit, sanitatem restituere, vel in infirmitate felices reddere. *Cùm infirmor*, ait Apostolus, *tunc potens sum*. Defectui igitur fidei tribuendum, si Dei auxilium præsens in quacunque necessitate non sentias.

FERIA III. POST DOM. DE PASSIONE.

Ambulabat JEsus in Galilæam. Joan. 7.

I. JESUS *ambulabat in Galilæam: non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* Considera Christum aliquando persecutiones vitasse, aliàs verò ultro se iis obtulisse: ut discas plerumque sufficere peccati occasiones vitare, aliàs satis esse iis obsistere: vitandas esse, quæ frequentiùs ad peccatum impellunt, obsistere verò, quæ non in peccatum inducunt, sed meriti, vel juvandi proximum ansam præbent. 2. Humilium esse viribûs diffidere, præstat quippè vitare periculum, quàm in illo perire. 3. Loci mutationem quandoque esse necessariam; præstareque tranquillitate animæ frui, quocunque in loco cum aliquo incommodo ac dispendio, quàm salute periclitari, salvîs omnibûs aliîs.

II. *Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.* Considera 1. ingenium hujus mundi longè

gè discrepare à Christi Domini Spiritu, primus ad nostri ostentationem, secundus verò ad latebras impellit. 2. mundum ac dæmonem ipsum specioso admodùm prætextu nos circumvenire, puta gloriæ Dei, salutis atque exempli proximi, cùm hôc pactô in vanitatem, præsumptionem, aut illicitas voluptates faciliùs impellat. 3. Certissimum remedium, nè bonîs operibûs excidas, esse, si lateant: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua.* Matth. 6. Contra verò si jacturam facere velis, satis esse si palam fiant.

III. *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Considera 1. Christum Dominum de laboribus suis ac morte semper tanquam de re magni momenti, ac sibi charissima loqui, ac ideo tempus patiendi, suum identidem apellare. 2. Perpende tempus hominum semper esse paratum. 1. quòd quôlibet momentô converti possint, & à Deo singulîs momentîs expectentur ad pœnitentiam. 2. quòd omni tempore bene possint operari; mereri enim quacunque occasione quid vetat? *Sivè manducatis*, ait Apostolus, *sivè bibitis, sivè aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10. 3. potissimùm quòd mori possint omni tempore, quapropter vigilare monemur à Christo: *Vigilate,* inquit, *iterum dico, Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.*

FERIA IV. POST DOM. DE PASSIONE.

Facta sunt encænia in Jerosolymis. Joan. 10.

I. *AMbulabat JEsus in templo in porticu Salomonis: & circumdederunt eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis.* Considera 1. Christum interdum in templo fuisse,

terdum verò ſub porticu tantùm manſiſſe: ut diſcas non eſſe ambiendas ſedes vel loca in Domo Dei: omnes ſunt honore dignæ, æquè porticus ac templum. Utrobique juſtificari potes: hinc Publicanus in domum ſuam juſtificatus deſcendit. 2. Judæis nos eſſe ſimiles; cùm à Deo quærimus, cur ità vel ità faciat: ſapientiſſimus eſt, & apprimè novit, quid cuique utiliùs ſit, nonne impietatis eſt ac ſuperbiæ illius opera ſuggilare? 3. Perpende, cur ex modeſtia JEſus ſe Chriſtum annuere recuſet, 1. quòd eſſet humillimus, 2. ut modeſtiæ nobis exemplum daret, nè facilè nos vel noſtra venditaremus. 3. nè invidorum hominum animos offenderet: nec enim lippientium oculi lumen ferunt.

II. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me: ſed vos non creditis, quia non eſtis ex omnibus meis.* Conſidera 1. quòd ſicut ex fructu dignoſcitur arbor, ità opera, Chriſtianum oſtendunt; teſtimonium videlicet perhibendo de nobis. 2. Perpende longè firmius eſſe operum, quàm verborum teſtimonium: longè enim diſcrepant, benè loqui & rectè vivere: qui lingvis Angelorum loquitur, plerumque dæmonis opera exercet. 2. Non ſufficere in ovili Chriſti eſſe, hoc eſt, Eccleſiâ, ut inter illius oves computeris, inter fideles quippè permixti hædis oves & agni reperiuntur: ſola vox paſtoris unumquemque diſcernit, juxta illud, *Oves meæ vocem meam audiunt.* Joan. 10.

III. *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei: Ego & Pater unum ſumus.* Conſidera 1. Chriſtum habere à Patre, 1. divinitatem, 2. eaſdem omnes cum ipſo Patre divi-

divinas dotes, 3. infinitos omnes scientiæ Sapientiæ thesauros. 4. gentes omnes ab eodem hæreditatem accepisse, ac præsertim electos omnes de quibus hìc intelligendus videtur, cùm quæ accepit à Patre, cæteris præstare asserit. 2. Expende quanti animam justam faciat, & gratiæ hæredem, utpote similitudinis illius signaculum, & sanguinis ejusdem pretium. 3. quantæ nobis fiduciæ esse debeant hæc verba, *nemo eas tollet de manu Patris mei.* O quàm firmiter Deo adhærent, quos gratiæ & charitatis vinculîs constrictos habet: Filium suum iterum potiùs morti traderet, quàm vel leviter tantæ unionis fœdus violaret. Absit igitur mihi etiam ejusdem unionis jura perfringere: non utique tribulatio, non angustia, non persecutio, non fames, non mors, atque adeò infernus ipse me umquam separabit à charitate Christi, vel ex ejusdem manibus rapiet. 4. quantùm verò diffidere nobis debeamus, cùm solus in peccatum consensus, qui ex nostra pendit libertate, Deum nobis auferre possit & gratiam.

FERIA V. POST DOM. DE PASSIONE.

De conversione Magdalenæ. Luc. 7.

Vide infrà Meditationem in festo illius, 22. Julii.

FERIA VI. POST DOM. DE PASSIONE.

De concilio habito ad condemnandum Christum. Joan. 11.

1. *COllegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Considera 1. plerosque conventus fieri; piissimos aliquos, alios verò pessimos. Boni sunt, qui à piis viris & recta intentione, vel ex superiorum præscripto fiunt, si quæ harum conditionum desunt,

funt, in perverfi confilii fufpicionem adducunt: quod in hoc Pontificum ac Pharifæorum conventu manifeftum eft. 2. Mundi perverfitatem perpende, & pravorum hominum confilia: conveniunt enim ac folliciti funt quomodò hominem multa patrantem miracula impediant, & nemo de emendandis & amovendis in Deum blafphemiis cogitat: fic, pro virtute obftare & vitia emendare, nemini confilium eft.

II. *Unus autem ex ipfis, Caiphas nomine, cùm effet Pontifex anni illius. dixit eis: Vos nefcitis quidquam, expedit ut unus moriatur homo pro populo.* Confidera 1. Sacerdotes ac Epifcopos, etfi parùm pios, maximè effe colendos: nam etfi perversè agant, tamen quid credere aut agere debeamus, oftendunt. 2. Si impius Sacerdos, ùt Caiphas, prophetiæ donô fuit ornatus, facilè credere non debemus prophetiæ donum, reliquasque gratuitas dotes, certa effe fanctitatis argumenta. 3. Adverte Pontificis arrogantiam, qui ignorantiæ omnes infimulat quotquot ante fe fermonem habuerunt; fuam mentem ac opinionem aperire nefas non eft, fed aliorum confilia damnare non licet. 4. Cogita neceffarium fuiffe hominem unum ad mortem dari pro reliquis: nam finè Chrifti interitu nusquam vita nobis affulfiffet. Proh divinam in nobis liberalitatem!

III. *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Jam ergò non in palam ambulabat apud Judæos, fed abiit in regionem juxta defertum in civitatem, quæ dicitur Ephrem.* Confidera 1. quàm horrendum fit de JEfu interimendo confilium: cogitationis tantùm peccatum eft, graviùs tamen quôlibet aliô, quod poffet reipfa & opere perpetrari. 2. Perpende quotquot de lethali peccato perpetrando confilium ineunt, accedere ad illorum facinus, qui de per-

dendo Christo deliberant. Proh nefarium facinus! 3. Christo Domino tunc non esse liberum palam apud Judæos ambulare, cùm adigimus proximum bene agendo latitare ob nostri scandalum. 4. Meliùs excipi & audiri Christum in villis & oppidulis quàm in amplis urbibus. Abit aliquando Jerosolymâ, Ephren se recipit, meliùs apud pauperes audit quàm optimates. Verbum illius plùs apud rusticanos proficit quàm in celeberrima Civitate.

SABBATO POST DOM. DE PASSIONE.

De consilio Lazarum interficiendi inito. Joan. 12.

1. *Cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter ipsum abibant ex Judæis: & credebant in JEsum.* Considera 1. invidos, qui scilicet tristantur de bono proximi, nefariis Sacerdotum Principibus honorem Christo Domino exhibitum ægrè ferentibus, non absimiles esse, imò & valde similes ipsi dæmoni, qui protoplastum nostrorum invidit felicitati, eosque in peccatum induxit *invidia* enim *diaboli mors introivit in orbem terrarum*, Sap. 2. Considera 2. plùs fidei, religionis & pietatis in vulgo, quàm in ipsis Sacerdotibus communiter reperiri: eò quòd plebei homines humiliter & simpliciter ambulant, Sacerdotes verò quamplurimi superbi sunt: & nimis de se præsumunt quàm par sit: maximè scioli: *Scientia* enim *inflat*, inquit Apostolus, *Deus autem superbis resistit, & gratiam præstat humilibus.* Considera 3. te alterum esse Lazarum è mortuis redivivum, dummodò gratia per peccatum amissa tibi per pœnitentiam fuerit restituta: ac proinde te certum esse debere, fore ut tibi dæmon in omni loco insidias pa-

paret, & omnem det operam, ut te iterum in laqueos ſuos injiciat, in peccatum præcipitem adigat, & ſic animæ tuæ mortem inferat: quapropter, juxta conſilium Apoſtoli, tuam cum timore & tremore ſalutem operare, quaſi à facie colubri fuge peccatum, & propone fortiter te malle centies vitam perdere temporalem, quàm unicô tuam vel leviſſimô peccatô animam inquinare.

II. *Videtis quia nihil proficimus : ecce totus mundus poſt eum abiit.* Conſidera 1. quò magis JEſu gloriam obſcurare nitantur Phariſæi, eò evidentiùs manifeſtari: pluribûs, qui Lazari intererant reſurrectioni tantum miraculum proclamantibûs, & famam Domini, qui illud patraverat, longè latéque diſſeminantibûs: ut certus ſis Deum ipſum gloriæ tuæ tuendæ & amplificandæ invigilaturum, & ut majori te veneratione boni, quàm mali dedecore, afficiant, proviſurum, dummodò in omnibus & ubique majorem ipſius gloriam intendas, & toto corde ſtudeas procurare. Conſidera 2. te quemadmodùm Phariſæi, nihil proficere: 1. quamdiu verſaris in peccato mortali: 2. cùm aliquid vel abſque ſuperiorum licentia vel approbatione exequeris. 3. denique dum preces ad Deum effundis tepidè, vel alia peragis bona remiſſè & perfunctoriè: ille enim, qui facit opus Dei negligenter, à Deo ipſo maledictus eſt. Conſidera 3. ſi vis eſſe dignus Dominum JEſum cum plebe ſancta ſequi & comitari, neceſſarium tibi eſſe, 1. non ſolùm ab omni peccato mortali, ſed & à quocunque veniali abhorrere. 2. omnem omninò vel ad peccatum, vel ad quamlibet creaturam inordinatum affectum deponere. O bone JESU! ſponſe animæ meæ chariſſime, trahe me poſt te, & in odo-

odorem ungventorum tuorum curram, te, quocunque ieris sequar, & tuô fretus auxilio mirabiles & infinitè amabiles virtutes tuas imitari conabor.

III. *Qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Considera 1. odisse animam suam in hoc mundo, nihil aliud esse, quàm, delicias hujus sæculi pro Dei amore contemnere, & omnes mundi illecebras & carnis voluptates, quæ nos reddunt cœlesti felicitate indignissimos, pro nihilo reputare, & cum Apostolo stercora arbitrari. Considera 2. quæ nos movere debent, ut carnem nostram odiô habeamus. 1. omnium inimicorum nostrorum infensissimus & perfidissimus est, nequaquam de propria salute sollicitus, dummodò in ruinam irreparabilem, animam nostram possit adducere. 2. quò plùs carnem, nostram per mortificationem maceramus, eò expressiùs imaginem Christi Domini in nobis formamus. 3. denique odium hujusmodi adversùs carnem, amor est verissimus & perfectissimus: cùm enim corpus nostrum castigamus, & in servitutem redigimus, ipsum ad æternam remunerationem consequendam præparamus. Considera 3. media ad sanctum in nobis adversùs carnem odium excitandum. 1. est de corpore nostro multùm diffidere, & non minùs illud, quàm equum indomitum, equitem, nisì frænô cohibeatur, infallibiliter in terram projecturum, metuere. 2. nunquam vel somnum capere, vel cibum vel potum, vel aliud corporis commodum citra necessitatem sumere. 3. Deum toto corde diligere, ac proinde quæcumque ipse aversatur & detestatur, peccatum scilicet & omnes carnis & passio-

num actus & affectus inordinatos, perfectô odiô prosequi & detestari: denique tam sanctum odium, sic cum Sancto Augustino frequentissimè, humillimè & ferventissimè à Deo petere. O bone Deus! oderim me, amaverim te.

DOMINICA PALMARUM.

De ingressu Christi in Jerusalem. Matth. 21.

I. PRæcepit primò Dominus adduci *asinam & pullum! Solvite & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.* Considera 1. Christum pro suo triumpho vilia præparare animalia, nullo ornatu, etiam necessariô, instructa: ut discas Christiani hominis triumphum & gloriam veram esse in amore contemptus sui, humilitatis & paupertatis. Pauperum enim spiritu, est regnum cœlorum. 2. In ipsa humilitate simul ostendere suam potentiam, tum quod, tanquam Dominus omnium, jubet bestias solvi & adduci, non petitâ priùs potestate à domino earum, tum quòd movit cor absentis, ut spontè eas dimitteret: ut discas nihil potentiùs esse humilitate, ad solutionem à peccatis, & Deum tibi conciliandum, ut quod petis: faciat.

II. *Discipuli fecerunt sicut præcepit JEsus; & positis vestibûs super asinam, eum desuper sedere fecerunt.* Considera 1. obedientiam perfectam discipulorum, tum quòd non disputârint de mandato, an esset justum, aliena tollere, tum quòd in re vili, ùt, ducendâ asinâ cum pullo, per plateas, paruerint. 2. Simplicitatem & devotionem erga Christum, quòd ad honorandum illum, tritas vestes suas exuerint. eásque substraverint asinæ: ut scias, licèt Christus humiliet se, nostrum tamen esse, illum honorare, quan-

quantùm possumus, & ideo tam splendidè ornatur in templis. 3. Cogita amorem Christi in nos, qui tunc sinit se portari ab asina, id est corpore nostro peccatis subdito, quando absoluti à vinculis peccatorum, & vestibus virtutum Apostolicarum ornati, sacrosanctam Eucharistiam sumimus.

III. *Excepturus eum populus, cùm veniret obviam, vestimentis suis & palmis arborum sternebat viam & canebat: Osanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis.* Considera, tunc te, vestes sternere Christi pedibus, quando bonis temporalibûs succurris pauperibus, per pedes Christi significatis: ramos verò olivarum, cùm opera quævis charitatis & misericordiæ exerces: & palmarum, cùm victoriam ex tentatione reportas. Canis autem Osanna, quando ejus beneficia agnoscis, laudas & prædicas. 2. Considera summum honorem hunc, paulò post à populo in summum dedecus mutatum. Hodie honorant eum suîs vestibûs, post spoliabunt eum propriîs, & illudent veste aliena: nunc colunt ramîs arborum, frondibûs & floribûs: tunc cruce, spinîs, clavîs & virgîs cruciabunt: nunc clamant *Benedictus*, tunc ridebunt eum, conspuent, & acclamabunt, *Crucifigatur*: nunc honorificè in urbem recipiunt, tunc cum dedecore cruce onustum ejicient. Attende num Judæos istos fueris imitatus, ac post susceptum JESUM in Sacramento Pœnitentiæ vel Communionis, num turpiter expuleris, aut rursus crucifixeris, iterum in peccata relabens: si ità sit, scito te Judæis esse damnabiliorem ac infideliorem.

FERIA II. MAJORIS HEBDOMADÆ.

De cœna apud Bethaniam. Matth. 26.

I. *CHristus in domo Simonis Leprosi cœnabat, & pariter*

ter Lazarus : Martha autem ministrabat. Considera quantô solatiô fuerit hæc cœna, sex diebûs ante Passionem instituta, tum Christo, tum aliîs conviviis: Christo, quòd cœnaret in cœtu suorum dilectorum, à quibus sciebat se amore maximo, non in domum modò, sed etiam cor recipiendum. Aliis verò quòd summoperè gauderent, se pro beneficiis ab eo acceptis posse aliquod grati animi signum ostendere: hospes enim Simon à lepra curatus fuerat. Lazarus vitæ restitutus, Magdalena ex sordibus peccatorũ extracta, Martha, privilegium, Christũ hospitio excipiendi, eique ministrandi acceperat: unde & nunc in aliena domo ministravit. 2. Considera cur Lazarus, ùt fertur, post suscitationem suam numquam riserit, vel aliud lætitiæ signum dederit, nempe tria mirabatur: 1. horrendum Dei judicium, & alterius vitæ supplicia improbis parata: 2. quòd Deus ex tanta majestate in tantam vilitatem ob salutem hominis se demiserit: 3. cæcitatem & ingratitudinem hominum tanti beneficii magnitudinem non æstimantium, nec futurum judicium metuentium.

II. *Maria fractô alabastrô unguentum effudit super caput Christi, ejúsque unxit pedes, & capillìs tersit, & impleta est domus odore unguenti.* Considera, officium Mariæ tantò gratiùs fuisse Christo, quantò amor ejus longiùs excedebat aliorum amorem. Alabastrum enim illud non erat, nisì cor ejus amore divino flagrans: fractio verò, nil nisì amoris impatientia in corde bullientis, nil nisì liberalis oblatio, quâ non solùm totum suum amorem effunderet Christo, sed & cor suum, quô, tamquam vase ille continebatur. 2. Considera unguentum fuisse pretiosum, quia Deo offerenda sunt quæ sunt pre-

tio-

tiosissima. Unguento autem ungimus caput Christi, cùm omnia opera nostra dirigimus ad gloriam Dei; pedes verò cùm nostram & proximorum salutem iisdem sincerè quærimus. 3. Considera, odore unguenti totam domum impletam, nempe Ecclesiam, quia generosum hoc Magdalenæ factum ubique hactenus in ea celebratum est & celebrabitur: ut discas magnifacere opera caritatis & humilitatis, quæ tam bonum odorem ubique relinquunt.

III. *Cùm obmurmuraret Judas, Ut quid perditio hæc? Respondit Christus: Quid molesti estis huic mulieri? bonum enim opus operata est in me.* Considera opera bona quò præstantiora sunt, hòc nonnumquam calumniis magis esse obnoxia, etiam apud bonos, qui zelo quidem bonô, sed non secundùm scientiam ea carpunt: sed non ideo à servis Dei omittenda sunt, modò bona intentione ad majorem gloriam Dei, & salutem animarum exerceantur. Fieri enim non potest, ut in omnibus semper, hominibus, simul & Deo, placeamus. 2. Considera, reprehensum à Christo Judam & alios discipulos, quòd putarent consultiùs fuisse pretium ungventi dari pauperibus: nam misericordiam in pauperes alibi sæpè laudârat: ut discas, sicut arguendi non sunt, qui bona sua erogant in pauperes, ità nec arguendos, qui erogant in honorem Christi, pro extruendis Ecclesiis vel Monasteriis, & unum bonum opus alteri posse præferri, neutrum tamen reprehendi.

ADMONITIO.

SEquentibûs diebûs majoris Hebdomadæ sumi possunt Meditationes quinque de Passione Christi, quas quisque sibi ad libitum eliget ex iis, quæ in secunda parte hujus li-

belli posita sunt : convenientiùs tamen sequentes videntur debere usurpari.

FERIA III. MAJORIS HEBDOMADÆ.

De Christi Passione in genere, circumstantias scilicet perpendendo, eô modô, qui videri potest immediatè ante primam ex Meditationibus de Passione, in 2. Parte, positis.

FERIA IV. MAJORIS HEBDOMADÆ.

De lotione pedum.

Vide primam Meditationem de Passione in secunda parte positam.

FERIA V. MAJORIS HEBDOMADÆ.

De institutione Sacramenti Eucharistiæ.

Vide 2. Meditationem, ibidem.

FERIA VI. MAJORIS HEBDOMADÆ.

De Crucifixione Christi.

Vide Meditationem 22. de Passione, ibidem.

SABBATO SANCTO.

De Sepultura Domini.

Vide Meditationem 38. de Passione, vel de descensu Domini ad Lymbum Meditationem 40. & ultimam, ibidem.

IN DIE PASCHÆ.

De apparitione mulieribus facta. Marc. 16.

I. COnsidera quomodò anima Christi, postquam triduo solata est Sanctos Patres in Lymbo, in sepulchrum ingressa corpus resumpserit, & summa luce illustratum, fulgentibus imprimis manuum pedúmque vulneribus eduxerit; ut nobis certam spem daret nos similiter resurrecturos, si hìc exuto vetere homine in novitate vitæ ambulemus, & carnem crucifigamus cum concupiscentiis: passus enim est pro nobis, & resurrexit, ut sequamur vestigia ejus.

II. *Summo manè ad monumentum profectæ sunt, Maria Mag-*

Magdalena, Jacobi & Salome, inter se dicentes: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Considera 1. charitatem summam mulierum. Viderant Christum in Cruce expirantem, sepulchro clausum reliquerant, idem milite obsessum sciebant, nec aliud quàm incrementum doloris aspectu corporis secuturum norant: tamen extremum hoc officium illi deferre voluerunt, ut ungerent. *Verus* enim *amor*, ait Chrysologus, *nihil asperum, difficile vel impossibile putat.* 2. Considera eas, licèt dubitarent quis revolveret tam grandem lapidem, tamen pergere, quia in Deo fidebant: ut discas, etiamsi, dum cœpisti vitam emendare, vel mundum relinquere, difficultas in lapide pœnitentiæ movendo occurrat, vel timor ut non perseveres in proposito, non diffidere; fidenti enim mox aderit Angelus, qui removeat lapidem, id est, omnem difficultatem.

III. *Viderunt lapidem revolutum, & Angeli dictum audierunt: JEsum quæritis Nazarenum crucifixum? surrexit, non est hic.* Considera, post Christum resuscitatum, Angelum revolvisse lapidem & sedisse super eum: ut discas postquam semel exierimus è sepulchro peccati mortalis, debere deinceps sedere super lapidem, id est carnem nostram comprimere & subjugare, nè iterum nos detrudat vel concludat in sepulchro: Christus enim ità surrexit. 2. Considera, sepulchrum in quo erat Corpus Christi, designare Altare, in quo Mysterium Corporis & Sangvinis Domini conficitur. Unde si dignè ad hoc vis accedere, vide ut exemplô trium fæminarum odorifera virtutum aromata, & svavis ungventum orationis, tecum deferas. 3. Angelica consolatione dignos, qui cum debita præparatione & devotè

Corpori Christi communicant, & ad loca sacra ubi Reliquiæ Sanctorum sunt, peregrinantur.

FERIA II. PASCHÆ.

De apparitione duobus discipulis facta. Luc. 24.

I. *CHristus apparuit duobus discipulis, cùm irent in Emaus, & de ipso colloquerentur mæsti & tristes.* Considera 1. cur Christus adjunxerit se illis: id enim fecit, quòd essent afflicti. De Domino enim scriptum est, quòd sit cum illis, qui afflicto sunt corde. 2. quia de re pia loquebantur, nempe de ipso: promiserat enim se in medio fore, ubi vel duo vel tres in Nomine suo congregarentur. 3. ut ostenderet se fidelem amicum piorum, qui neminem in necessitate deserat. O quoties etiam dum pecco, Domine, non deseris me! 4. Considera eum apparuisse in habitu peregrino, ut credas tibi pia loquenti vel agenti eum adesse, licèt non agnoscas: deinde ut discas peregrinum te esse in terra, cujus conversatio sit in cœlo. 5. eum quærere, cur sint mœsti, non quòd nesciat, sed ut ipsi infirmitatem suam fateantur, & sic rectiùs sanentur: sicut Medicus ab ægro petit morbi causam, ut congruam medicinam faciat.

II. *Redarguit eorum incredulitatem, & Mysteria Passionis & Resurrectionis ipsis exposuit: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam?* Considera hanc reprehensionem non ex ira, ut eos pudefaceret, sed ex magno amore profectam, ut errorem suum citiùs agnoscerent: stulti enim erant Judæi, quòd sinè sanguine putarent se redimendos à Christo, cùm Legis Sacrificia tam clarè id indicarent: stultior verò est servus, qui a-

liam

liam viam vult ingredi, quàm Dominus: *Omnes, qui piè vivere volunt in Christo*, ait Apostolus, *persecutionem patientur*. 2. Considera quanto cum amore JEsus medius inter istos duos incesserit, declarans illis scripturas, & simul donans lumen eas intelligendi, & cor ad fidem accendens. O quàm felix fuisset anima mea, si potuisset colloquium illud audire, & videre flammas ex ore Domini erumpentes.

III. *Cùm JEsus fingeret se longiùs ire, coëgerunt eum manere secum: fracto autem pane disparuit: ipsi autem subitò in Jerusalem reversi, nunciaverunt Apostolis quomodò vidissent eum, & in fractione panis agnovissent.* Considera, finxisse: ut probaret eorum amorem, & plùs accenderet desiderium se retinendi, atque hac charitate mererentur illuminari. Intùs ardebant inter colloquium, sed fictionis folle flamma prodit exteriùs, dum eum cogunt: ut discas pauperes & peregrinos rogare, & etiam cogere, ut officium charitatis acceptent. 2. Cogita Deum, cùm gratiam aliquam vis impetrare, velle, non tantùm rogari, sed etiam cogi, pugnando scilicet viriliter contra difficultates: nam scriptum est, à violentia regnum cœlorum rapi. Perpende discipulos non esse illuminatos, cùm Christum audirent, sed dum hospitiô receptô cœnam apponerent: *Non enim auditores verbi, sed factores justificantur.* Deinde illuminatos in fractione panis ad ostendendam Sanctæ Eucharistiæ efficaciam.

FERIA III. PASCHÆ.

De apparitione discipulis congregatis facta. Luc. 24.

1. *STetit JEsus in medio discipulorum, & dixit Pax vobis, nolite timere.* Considera, nunquam Christum de-

deserere nos quando in societate bonorum manemus, sed stare medium, ut ducem inter milites, patrem inter filios, caput inter membra, ut mœstos soletur. 2. precari pacem, etiam illis à quibus erat offensus fugiendo, quia Deus est pacis & consolationis; pacem, non quam mundus dat, sed quam Angelus annunciavit hominibus bonæ voluntatis: pacem animæ cum Deo, cum proximo, & cum seipso, quæ consistit in tranquilitate bonæ conscientiæ. 3. hortari nè timeant Judæos, qui occidere possunt corpus, sed eum, qui animam & corpus potest mittere in gehennam.

II. *Turbatis quòd putarent se spiritum videre, dixit: Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Et ostendit eis.* Considera, antegresso terrore Apostolos in Christi notitiam venisse, quia initium sapientiæ est timor Domini: *Sinè timore* enim, ait Sapiens, *nemo justificabitur*, Eccl. 1. Vide quantùm laboret Christus, ut discipulos certos reddat de sua resurrectione: offert enim corpus suum, licèt jam impassibile, videndum & tangendum: offert manus perfossas, ut incitet ad pugnam; latus, ut ad amorem sui alliciat; pedes, ut vocet ad perseverantiam: cicatrices retinuit, ut indicet nunquam se salutis nostræ depositurum memoriam.

III. *Deinde, cùm adhuc non crederent, partem piscis assi & favum mellis comedit, & reliquias dedit eis.* Considera humilitatem & charitatem Christi, jam gloriosi & Regis Regum, quòd dignetur cibum sumere cum pauperibus piscatoribus, ut eos lucrifaciat: ut discas benevolè & humiliter etiam cum pauperibus conversari, si vis eos convertere. 2. Considera mysterium: assus enim piscis fuit sacra ejus hu-

humanitas affata in veru crucis: favus autem mellis, ejus divinitas sua dulcedine pascens animas electorum. Reliquiæ autem datæ sunt Apostolis, & nobis in Sacramento Eucharistiæ, in quo iis quotidiè verè & realiter fruimur.

FERIA IV. PASCHÆ.

De apparitione facta septem discipulis piscantibus. Joan. 21.

I. *Discipuli Christi septem, cùm nocte piscantes nihil cepissent, & manè in littore JEsus petiisset, num pulmentarium haberent, id est, pisces; respondêre, Non.* Considera eos noctu piscari, & sinè fructu laborare, qui opera bona exercent in peccato mortali; vel qui bonis operibûs, non Dei gloriam, animarum salutem, sed sua tantùm commoda, vel humanam gloriam oculîs propositam habent: vel qui propriô judiciô & voluntate, non superiorum, nec invocatô Christi auxiliô, opus, licèt bonum, aggrediuntur: *Qui enim non colligit mecum*, ait Christus Luc. 11. *dispergit.* 2. Considera Christum Apostolis apparuisse, mercatoris specie, quasì pisces vellet emere, ut quæstione illâ factus familiarior, tandem ad miraculum veniret: ut discant, qui alios Christo lucrari volunt, primùm familiares miscere sermones de mercaturæ, militiæ, negotiorum aliorum successu, quod experti bonum consilium, meliora consulentibus deinde faciliùs credant.

II. *Ait JEsus: Mittite rete in dextram: faciunt, & tot capiunt, ut rete attrahi non possent. Joannes ait: Dominus est. Petrus mox nudus in mare prosilit, alii ad littus cum reti properant navigio.* Considera mirabilem obedientiæ vim, quâ effectum est, ut longè minori labore Apostoli maximum fructum fecerint: tota

enim nocte suo nutu laborantes nihil ceperant nunc alieno nitentes, pisces spe omni plures & majores. Noctu ad sinistram injecerant rete, quia sua tantùm commoda spectabant: nunc autem ad dexteram, quia quod egerunt, propter Deum & Christi gloriam egerunt. 2. Considera Joannem ante alios cognovisse Christum, quia illi sunt capaciores divinarum rerum, qui cum Joanne mente & corpore sunt puriores & castiores, teste Hieronymo Epistolâ ad Pammachium: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Petrus autem nudus abjicit se in mare, quia quamprimùm anima gustat quàm svavis sit Dominus, ejusq; jugum, mox nudus nudum, omnibûs impedimentîs abjectîs, Christum optat sequi, & cum eo mare tribulationum & crucis calcare, licèt alii malint, trahentes rete, id est onus temporalium bonorum, manentésque in navi, id est sæculo, ad littus salutis paulatim tendere.

III. *Apostolìs attractìs centum quinquaginta tribûs piscibûs in littus, ut viderunt prunis impositum piscem, JEsus ad prandium invitatis panem & piscem distribuit.* Considera, sicut JEsus, dum illi piscarentur nutu suo, paravit eis prandium, & coxit piscem; ità dum nos hìc in divino servitio fatigamur, ipsum in cœlis parare convivium, quô nos excipiat & coronas, quibûs laborem nostrum remuneret. 2. Considera jucundum & felix hoc convivium. Vide quomodò Dominus, qui paulò ante pro consveta humilitate sua & charitate cocum egerat, jam in prandio agat & ministrum, porrigat panem & piscem, simulque cum illis commedat. Stabant boni discipuli, non audentes loqui

præ

præ reverentia & ſtupore, velut oves circum paſtorem, aut filii circum amantiſſimum patrem, tantôq; gaudiô ſpiritu & corpore perfundebantur, ut in lachrymas ſolverentur: quæ non alia de cauſa facta ſunt, quàm ut crederent verè eum reſurrexiſſe, & poſt labores hujus vitæ, cùm ad littus, id eſt ad vitam æternam venerint, ſe remunerandos. 2. Conſidera per prunas ignem Spiritûs Sancti, per piſcem aſſum, Chriſtum paſſum in veru crucis: per panem verò, memoriale Paſſionis, id eſt Sacram Euchariſtiam deſignari, ut tria tibi potiſſimùm commendata habeas in laboribus hujus maris vel mundi: 1. ignem Spiritûs Sancti, id eſt gratiam, vel ardentem in pectore charitatem in Deum & proximum, ex quo igne charitatis & Chriſtus paſſus eſt. 2. crebram meditationem Paſſionis Chriſti. 3. frequentem communionem Euchariſtiæ, ſi ignem illum conſervare velis.

FERIA V. PASCHÆ.

De apparitione facta Mariæ Magdalenæ.

Marc. 16. Joan. 20.

1. P*Etro & Joanne digreſſis, Maria perſeveravit ad monumentum, foris plorans.* Conſidera Petrum & Joannem, qui ſimul cum Maria ad monumentum venerunt, timore occupatos abiiſſe, Mariam verò manſiſſe impavidam, cùm enim perdidiſſet Magiſtrum ſuper omnia dilectum, nihil putabat ſupereſſe in mundo quod perderet, quia cum ipſo & vitam & omnem ſpem ſuam perdiderat. 2. Perpende ſolam Mariam meruiſſe videreChriſtum,quia ibi perſeveravit: Deus enim non remunerat actiones noſtras, nisì in illis perſeveremus. 3. Nota Mariam ſtetiſſe juxta ſepulchrum, & ploraſſe, quia

vita

vita animæ ſanctæ in hoc exilio eſt, ſemper ſtare juxta ſepulchrum Chriſti, conſiderando amariſſimam ejus Paſſionem, & peccata, propter quæ Salvator mortuus eſt, deplorando.

II. *Flens ergo inclinavit ſe, & proſpiciens in monumentum vidit duos Angelos dicentes: Mulier, quid ploras? Et reſpondit: Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerint eum. Et converſa retrorſum, vidit JEſum interrogantem.* Conſidera Mariam, non cùm ſtaret, ſed cùm inclinaret ſe in monumentum, & introſpexiſſet, dignam factam viſione & Angelorum & Domini: ut diſcas tempore orationis & contemplationis rerum cœleſtium, te dimittere etiam ad conſiderationem tuarum imperfectionum & lapſuum, ac humiliare te coram potenti manu Dei tanquam gratia indignum, & illico aderit Angelica conſolatio. 2. Conſidera, quando in oratione non invenis ſtatim Chriſtum, hoc eſt conſolationem ſpiritualem, te non debere ab ea deſiſtere, ſed perſeverare cum compunctione & deſiderio, auxiliúmque Sanctorum menti occurrentium implorare, uſque dum compareat.

III. *Putans autem JEſum, quem videbat, hortulanum eſſe: Domine, ait, ſi tu ſuſtuliſti eum, dic mihi ubi poſuiſti eum, & ego eum tolam. Tum JEſus: Maria. Et illa, Rabboni. Tum JEſus: Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Conſidera, Mariam quidem JEſum vidiſſe, quia amabat, ſed non cognoviſſe, quia imperfecta erat in fide: ut diſcas, quando imperfectiones nimis multas miſcemus amori noſtro in Deum, fieri ut non magnum guſtum ſpiritualem in divino ſervitio ſentiamus. 2. Nota Mariam ſimul atque agnovit Dominum inconſideratè cu-

tucurrisse, ut illum amplecteretur, & ideo repulsam passam: ut discas, si quando ex singulari Dei gratia animus in oratione exardescat ad aliquod bonum opus faciendum, discretione & prudentia in eo exequendo utare, & sedulò circumspicias quid tempori, loco & personæ tuæ vel alienæ congruat. 3. Nota Christum apparuisse in hortulani specie: ut discas imitari proprietates hortulani. Ejus munus est hortum colere & instruere arboribûs, stirpibûs & herbîs fructiferîs: & hominis pii atque Christiani, si salvus esse velit, est, hortum animæ suæ colere & exornare optimîs spiritualis doctrinæ, virtutúmque documentîs & exemplîs.

FERIA VI. PASCHÆ.

De apparitione in monte Galileæ. Matth. 28.

I. *UNdecim discipuli abierunt in Galilæam in montem ubi constituerat illis JEsus, & videntes eum adoraverunt.* Considera hanc præcipuam fuisse Christi apparitionem: nam Christus in ea ostendit, quanta suam Passionem secuta sit gloria & potentia, arcanum de vocatione gentium discipulis aperuit, Apostolos & Episcopos orbis eos fecit, & fundamentum Ecclesiæ jecit: ut discas quantô gaudiô soleat præteritas afflictiones compensare, quas cum Apostolis pro Christo sustinuerimus. 2. Nota, nos verum spiritum homines convertendi accepturos, quando cum Apostolis desertâ valle, id est hujus sæculi commodis, ascenderimus montem perfectionis, & soli Christo confixi, cum eo cruci adhæserimus.

II. *Et accedens ad eos JEsus, dixit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo in totum mundum, docete omnes gentes servare mea præcepta: & bapti-*

za-

nate, &c. Considera summam humilitatem Christi jam gloriosi, qui cùm ùt Deus omnem potentiam habuisset ab æterno, & ùt homo, à primo momento conceptionis datam habuisset; tamen ità loquitur, ac si post resurrectionem primùm accepisset, ad confusionem nostram, qui in omnibus rebus gloriam & honorem nostrum quærimus, & dona, nobis, non auctori Deo, adscribimus. 2. Considera, quantum gaudium obortum sit in Apostolorum animis, cùm primùm intelligerent Christo tantam potentiam post Passionem & Resurrectionem contigisse, ut non solùm ab omnibus hujus vitæ infirmitatibus & incommodis esset liber; sed tantus cœli & terræ Dominus, ut & opitulari eis possit deinceps in terra & in cœlo regnum æternum conferre, deinde cùm audirent sibi etiam eandem quadantenus potestatem conferri, ut nimirùm toto orbe liceret Evangelium prædicare, peccata remittere, & omnes homines ad salutem adducere. 3. Nota eos non ad quietem, sed ad magnos labores vocari.

III. *Qui crediderint, in Nomine meo dæmonia ejicient, lingvis loquentur novis, serpentes tollent, ægros curabunt. Et Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem sæculi.* Considera, illud esse veræ fidei vivæ per charitatem operantis argumentum, si zelum proximos juvandi habeamus: ut si efficiamus, ut dæmonia ejiciant, id est, peccata per confessionem evomant, si ea loquamur, quæ gloriam Dei & salutem animarum promoveant, si dolos & fraudes serpentinas mundi, aversemur, si vacillantes in via fidei, vel vitæ sanctæ, monitis nostris reducamus, si in persecutionibus constantes in pietate permaneamus,

fidu-

fiduciâ omni conjectâ in Deum, qui fidem suam non fallet, cùm hic promittat se nobiscum futurum, & quidem non serò, sed opportunè: *Ecce* enim præsens & opportunum designat tempus, quasì dicat, quoties opus erit, adero: *Ego* autem significat eum, qui ex omnibus periculis liberare queat: ego scilicet, qui Principem hujus mundi; mortem & mundum totum jam expugnavi.

SABBATO INFRA OCTAVAM PASCHÆ.

De apparitione facta Beatæ Virgini.

I. COnsidera Beatam Virginem, instante Resurrectionis hora, quam sciebat, non dormitasse, sed in oratione subinde verba illa ingeminâsse: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara,* Psal. 56. magnôque desideriô Filii sui gloriosum reditum præstolatam. Deinde summô diluculô resplenduisse repentè conclave, & Filium cum admirabili gloria astitisse: Cor autem Beatæ Virginis tantâ lætitiâ perfusum fuisse ex illustri aspectu, ut aliquamdiu nè verbum quidem profari potuerit. Si enim Patriarcha Jacob, Gen. 45. acceptô nunciô de filio suo Joseph superstite, vix apud se fuit, quid post tantas contumelias, dolores & cruciatus filii tantâ gloriâ compensatos, evenisse putamus Beatæ Virgini? 2. Perpende, non solùm Christum ei apparuisse, sed unà sanctissimos quoque Patres Adamum, Abrahamum, Davidem, aliósque Prophetas, quibus summum gaudium erat oculis videre totius humani generis Redemptoris Matrem.

II. Considera quænam fuerint colloquia Filii & Matris, quæ arcana Matri Filius enarrârit: ut quid in ædibus Pontificum ante biduum perpessus fuerit, quomodò anima è corpore excesserit, quid apud

apud inferos egerit, quantam gloriam sit adeptus? qua narratione omnem mœstitiam superiorum dierum detersit. 2. Perpende quantô gaudiô affecta fuerit, cùm videret gloriosissimum Filii vultum suo candori restitutum, quando sensit vultus sui lachrymas sacrîs ejus manibûs abstergi, cùm potestatem factam sibi videret, ut in svavissimos divinorum brachiorum rueret amplexus. Vide eam cum summa veneratione ad genua ejus, adorandi caussa, se provolventem, & Sanctissima vulnera pedum, manuum atque lateris, cum incredibili consolatione exosculantem, & exclamantem: Verè fili mi, *secundùm multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ nunc lætificaverunt animam meam.* Psal. 93.

III. Considera, quid Beata Virgo totîs quadraginta diebûs, quibûs Filius in terris redivivus apparuit, egerit. Nec enim dubium est, quin Filius, qui toties Apostolis & aliis se videndum exhibuit, crebriùs etiam adfuerit Matri, eam multis de rebus instruxerit, & mirificè consolatus fuerit, multa de Ecclesia sua, de fidei propagatione, de Martyrum coronis, de sua & Beatorum gloria, aliisque multis prædixerit: omnes deinde Christianos, quibus illam constituit Advocatam & Patronam, illi commendârit. 2. Perpende Sanctos Apostolos, & imprimis Beatum Joannem, retulisse illi quæcunque à Filio quoties apparuerat, audierint: ut de insufflato in eos Spiritu Sancto, de potestate peccata remittendi, concessâ, de Petro omnium Pastore constituto. Contra verò, Beatam Virginem, quæ ipsa audivisset, Apostolis communicasse, eósque consolatam fuisse, & erexisse ad perpetiendas fortiter omnes persecutiones Nomine Christi inferendas.

IN

IN OCTAVA PASCHÆ.

De apparitione discipulis facta præsente Thoma.
Joan. 20.

1. *STans JEsus im medio discipulorum, dixit: Pax vobis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Considera, sicut Christus non est missus in mundum ad regnandum, sed ad patiendum; sic te, sivè sæcularis, sivè religiosus sis, missum ad multa patienda pro Christo, & ad magnos labores. 2. Considera Dei bonitatem, quòd quoad peccata non velit aliud judicium institui in cœlo, quàm illud ipsum, quod hìc à Sacerdotibus Apostolorum successoribus instituitur in terra. Si ergo vis effugere Judicium Dei futurum, nè reformides judicium hominis peccatoris & infirmi, qui compati tibi potest.

II. *Post dies octo Thomæ dixit: Infer digitum tuum huc, & vide, &c. & noli esse incredulus, sed fidelis. Et respondit Thomas: Dominus meus & Deus meus.* Considera charitatem Christi, eundem laborem pro solius conversione Thomæ, jam impendentis, quem ante pro omnibus Apostolis, ut certi essent de resurrectione, impenderat, ostendens se bonum pastorem esse, qui relictis nonaginta novem, quæsivit unam ovem in montibus errantem. Unius animæ conversio despicienda non est, cùm Christus pro una paratus fuerit mori. 2. Attende & sapientiam, quòd Thomæ non soli, ùt fecerat Petro & Magdalenæ, sed coram Apostolis apparuerit; id enim fecit, ut & Apostoli plùs firmarentur in fide, & in amorem Christi accenderentur. 3. Cogita humilitatem stupendam Christi, quòd voluit

manus in latus suum mitti. O quomodò arsit cor Thomæ, cùm mitteret eas in tam ardentem fornacem, & ideo in genua mox lapsus eum adoravit, clamans, *Deus meus.*

III. Dixit JEsus Thomæ: *Quia vidisti me, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Considera, quantô solatiô nobis esse debeat hæc sententia, quòd non minùs beati simus nos, qui non vidimus in carne Christum, si in eum credamus, quàm Apostoli, qui Eum in carne viderunt & tetigerunt: & ratio est, quia ut nos credamus, major est difficultas, ac proinde & meritum, minor autem fuit Apostolis: unde illud Gregorii, Homilia 16. in Evangelia: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.*

DOMINICA II. POST PASCHA.

De bono Pastore. Joan. 10.

I. DIxit JEsus turbis: *Ego sum Pastor bonus: Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Considera omnes, qui curam habent aliorum, esse pastores: ùt Superiores respectu subditorum; patremfamilias, domesticorum; Magistros discipulorum; Confessarios, pœnitentium; Concionatores, auditorum; & quemlibet respectu suarum potentiarum & membrorum. 2. Considera, tunc te bonum esse pastorem tui vel tuorum, cùm eos pascis & regis, verbô, exemplô, & cibô corporali & spirituali. Ovem verò bonam, cùm simplex es, humilis, innocens, obediens, utilis in omnibus aliis, & patiens in adversis. 3. Tunc animam tuam ponere pro ovibus, quando contra lupos, mundum & dæmonem, oves tuas intellectum, voluntatem, sensus cohibes, nè in peccatum consentiant, & potiùs

tiùs vis mori, quàm ut peccatum mortale, per visum v.g. & tactum committatur.

II. *Mercenarius autem, & qui non est Pastor, viso lupô dimittit oves, & fugit.* Considera, tunc te esse mercenarium, quando in actionibus tuis bonis, ùt concionibus, lectionibus, frequentatione templi, quæris mercedem temporalem vel gloriam non Dei, sed mundi, ut magnus fias scilicet. 2. quando lupo veniente, id est tentatione carnis vel mundi orta, non resistis, non castigas vel mortificas carnem jejuniîs, ciliciîs, vigiliîs, sed fugis omnem pœnitentiam, & sinis oves tuas vinci à malo tentationis, & devorari. 3. Cogita te amittere nomen pastoris & domini, cùm oves potiùs dominantur tibi, quàm tu illis: *Qui* enim *peccat, servus est peccati*, Joan. 8. ac proinde & carnis, à qua per peccatum spiritus vincitur.

III. *Ego cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ: Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, quas oportet me adducere.* Considera bonorum pastorum esse, cognoscere & diligere oves, cognosciq; & diligi ab ovibus: itaque bonum te tui pastorem fore, si bene cognoveris teipsum tuarúmque virium imbecillitatem, imperfectiones & lapsus quotidianos, in eósque per examen inquisieris: tunc autem te agnosci & diligi ab ovibus tuis, id est: potentiis animi & corporis, quando orationi & voluntati subjectæ erunt. 2. Cogita, si bonus pastor esse velis, stude etiam ad ovile Ecclesiæ Catholicæ adducere hæreticos & infideles doctrinâ & exemplô vitæ sanctæ.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum &, non videbitis me. Joan. 16.

1. DIxit JESUS discipulis: *Modicum, & jam non vi-*

videbitis me : & iterum modicum, & videbitis me. Considera Dominum hìc prædicere Passionem suam, quam Apostoli fugerunt; & Resurrectionem, post quam iterum eum viderunt : solet enim Dominus ideo tristia prædicere, ut jacula prævisa minùs feriant; & mox addere læta, nè tentationi succumbant. 2. bonis & piis primùm nunciari & evenire tristia, postea autem læta & jucunda : contrà verò malis & mundanis, prius jucunda, tum tristia : peccatores enim consolationem suam quærentes in hoc mundo, post ardebunt ignibûs sempiternîs : pii verò, qui hìc persecutionem patiuntur, posteà gaudebunt in cœlo in æternum.

II. *Cognoscens JEsus, quòd vellent interrogare, quid sibi vellet* Modicum &c. *Amen*, inquit, *dico vobis, plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit : sed tristitia vestra vertetur in gaudium, sicut mulieris tristitia post editum partum.* Considera Domini bonitatem nos prævenientis, quando bonam habemus voluntatem aliquid petendi. 2. Officium pii hominis in hac lachrymarum valle, dum Dominum non videmus, esse, flere, & plorare, potiùs quàm gaudere, idq; triplici de causa : 1. propter peccata, quia illîs Christum fugamus & crucifigimus : 2. propter tentationes continuas à carne, mundo, dæmone. 3. ob Passionem Christi, dum eam meditamur : omnes enim hæ tristitiæ vertuntur in gaudium, quia salutem stabilem operantur, teste Apostolo. 3. Modicam esse tristitiam nostram, quia tempus hujus vitæ ità breve est, ut umbræ, vapori, & momento comparetur in Scriptura.

III. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Considera pro brevi & momentanea tribulatione, si patienter eam su-

sustineas, te recepturum à Deo, non consolationem solùm & gaudium, sed etiam Regnum æternum. Nam dicit Paulus: *Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. 2. E-contrariò mundum pro brevi & momentanea consolatione, quam habet in peccato mortali, excruciandum pœnîs æternîs: unde Job ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et Abraham ad epulonem: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Luc. 15.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Vado ad eum qui misit me. Joan. 16.

I. DIxit JEsus discipulis: *Expedit vobis, ut ego vadam ad Patrem: Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Considera, Christum prænunciare gloriosam suam Ascensionem in cœlum, & Spiritûs Sancti, post eam, missionem, nempe in visibili forma & pleniore abundantia: ut disceres, sicut ille post Passionem glorioso corpore & anima ascendit in cœlum, æterna felicitate cum Sanctis ibi fruiturus; sic te, si sanctè vixeris, & pro Christo multa passus fueris, corpore & animâ assumendum in cœlum. 2. Ut accipias magnam gratiam Spiritûs Sancti, debere te animum abstrahere à lacte materno, hoc est consolationibus spiritualibus, quas solet Deus initiô conversionis tyroni concedere, & parare te ad desolationum crucem ferendam: ideo enim Christus discipulis carnalem præsentiam suam subtraxit, ut Spiritûs Sancti gratiâ, quâ cum gaudio etiam dura ferrent, fruerentur.

II. *Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, justitiâ &*

& judiciô. Confidera, hoc fuiſſe ſignum adventûs Spiritûs Sancti in Apoſtolos, quòd cùm antè timidi eſſent, & ad vocem ancillæ cum Petro terrerentur, metu omni remoto Chriſtum prædicârint, & mundum, id eſt malos homines audácter arguerint: 1. de peccatis, quòd converti nollent: 2. de juſtitia, quòd crederent quidem, ſed vitam non agerent ſanctam: 3. de judicio, quia in nulla re faciliùs peccant homines, quàm temerè judicando de aliis. Unde Chriſtus: *Nolite judicare, & non judicabimini.* Cogita in te quoque fore Spiritum Dei, ſi mundum de his argueris.

III. *Adhuc multa habeo dicere vobis, ſed non poteſtis portare modò: Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Confidera Dei bonitatē non plura nobis imponentis quàm ferre poſſimus, & ad captum omnium accomodantis: quòd non facit caro & mundus, plura ſæpè exigens à ſuis quàm portare queant. 2. Cogita quamvis multum nobis profeciſſe ſæpè videamur, tamen multa adhuc deeſſe. 3. Quanti te faciat Chriſtus, quòd non ſolùm ſeipſum totum, id eſt corpus, animam & ſanguinem, ſed etiam Spiritum Sanctum ſuum promittat manſurum tecum in æternum, nè erres vel labaris.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Orandum eſſe Patrem. Joan. 16.

1. JESUS dixit diſcipulis: *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis.* Confidera, quantopere Chriſtus exoptet colloquium hominis ſpirituale, quod fit per orationem, ſic ut præmium promittat cum maxima aſ-

fe-

severatione, nempe se daturum quidquid petitur. Longè alius est mos Principum hujus sæculi, qui ad colloquium suum non solùm alios non invitant, sed neminem ad illud admittunt, nisì divites, & quidem ab aliis multis rogati. Argue & tuam cæcitatem, quòd pluris facias sæpè colloquium cum Principe terreno, quàm cum cœlesti.

II. *Petite, & accipietis, & gaudium vestrum erit plenum.* Considera hinc colligi, quid petendum sit tibi à Deo, nempe unde haurire possis gaudium plenum & perfectum: cùm ergo gaudium perfectum & solidum non sit in bonis hujus mundi, divitiis, honoribus, voluptatibus, aliísque caducis rebus & temporalibus, ea utique petenda non sunt, sed tantùm bona æterna, hoc est salus nostra, & quæ ad illa nos deducunt, ùt Dei gratia, solidæ virtutes, humilitas, charitas, patientia, &c. aliáque excellentia dona: dedecore enim afficit magnum Principem, qui exigua dona ab eo postulat.

III. *In illo die in Nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* Considera, optimam rationem orandi esse, petere à Patre cœlesti aliquid Nomine Christi, vel per Passionem & merita Christi, quia id indicat hìs verbìs: Patri perinde esse, ac si Christus ipse pro nobis oraret. 2. Magnô solatiô nobis esse debere, quòd discipuli Christi tam chari sint Patri cœlesti, ut nec opus habeant oratione Christi in cœlo: licèt Christus, ùt homo, etiam nunc ibi interpellet pro nobis, ùt docet non semel Apostolus Rom. 8. & Hebr. 7. & 9. imò Sanctus Joannes 1. ep. cap. 2. vocat eum Advocatum nostrum.

IN FESTO ASCENSIONIS.

Marc. 16.

I. *CHristus recumbentibûs undecim discipulîs exprobrat incredulitatem, mittit in totum orbem ad prædicandum, promittit credentes signa facturos.* Considera clementiam Christi toties quovis tempore, loco & occasione se videndum exhibentibus, ut crederent resurrexisse: dicitur enim duodecies apparuisse variis, & nunc in mensa: ut discas quôvis locô, si invocetur, nobis eum adesse. 2. Nota Christūm exprobrare incredulitatem: ut discas acri reprehensione dignos, qui vacillant in fide, quia fides est fundamentum totius ædificii spiritualis, quô nutante omnia vacillant. 3. Expende Apostolici Spiritûs officium esse, non unô locô, sed ubique Evangelium prædicare: fidelium autem esse, signa facere, id est dæmonia ejicere, lingvîs novîs loqui, serpentes tollere, ægrîs manus imponere, hoc est tentationes vincere, spiritualia loqui, detractores arguere, à peccatis alios avocare.

II. *Dominus JEsus assumptus est in cœlum, & sedet à dext[illegible]s Dei.* Considera 1. quanta affabilitate in monte Oliveti jam congregatos Apostolos, & imprimìs Matrem, Christus sit allocutus, & benedixerit: illi autem flentes ad ejus pedes prociderint, eos osculantes. 2. quomodò elevatîs manibûs sensim à terra elevatus sit, hilari & sereno vultu coronâ regalî ornatus, Sanctorum Patrum è Lymbo, chorô stipatus, cantantibûs undique Angelîs, Apostolísque in genua prostratis benedixerit, quomodò apertîs cœlîs mox innumera turba Angelorum obvia ei processerit, & ad Thronum cœlestis Patris adduxerit. Vide, quomodò Pater filium se reverenter inclinantem amanter complexus sit, & ad

dex-

dexteram suam collocârit : ut discas, tecum idem agendum, si constanter in vita pia & sancta perstiteris.

III. *Duo viri in vestibus albis tunc dixêre Apostolis : Viri Galilæi, hìc JEsus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet sicut vidistis eum euntem in cœlum.* Considera, quomodò Deus per Angelos illos, Act. 1. statim lætis misceat tristia, ut sicut pii confirmantur in vita sancta, quando cogitant de hac Christi Ascensione gloriosa, ità mali deterreantur à vita prava, quando audiunt eum cum eadem Majestate non benignum, sed terribilem rediturum ad extremum Judicium.

DOMINICA POST ASCENSIONEM.

Cùm venerit Paracletus. Joan. 15. 16.

I. DIxit JEsus discipulis : *Cùm venerit Paracletus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia initiô mecum estis.* Considera inde constare te, vel alium, Spiritum Dei habere, si nempe sit Paracletus, id est consolator afflictorum, verbôque & opere misericordiæ viscera miseris ostendat. 2. si veritatis ità sit amans, ut etiam mendacia jocosa & officiosa, omnésque fictiones horreat, non aliud corde, aliud ore loquatur, omnis doli expers. 3. si exemplô Apostolorum sepositô omni metu, ubique veritatem fidei à Sanctis Patribus acceptam, pro talento accepto, dum occasio tulerit, cum zelo tueatur ; nec patiatur injuriosum aliquid dici in Christum, Sanctos, Ecclesiam & Christi Vicarium.

II. *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini : absque Synagogis facient vos.* Considera summam sol-

licitudinem & amorem Christi in discipulos, tam sedulò & crebrò eos monentis de futuris persecutionibus & odiô summô Judæorum in eos secuturô, nè ideo vacillarent in fide, vel cogitarent se à Christo deceptos : ut discas, si quando alios vel docebis, vel eorum curam geres, omnem laborem impendere, nè à fide vel à sancta vita inchoata deficiant : monere etiam, proprium piorum esse multa pati, idque Deum permittere, ut major illis cedat corona in cœlo,

III. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo.* Considera, sicut infideles hæretici putant se rem gratiosissimam Deo facere si occidant Catholicos, cùm faciant ingratissimam, ità te velle tendere in contrarium, & petere gratiam à Deo ità proficiendi, ut possis aliquando sanguinem data occasione pro fide Catholica profundere : quod constat sacrificium Deo esse gratissimum, ùt Christus hoc ipso sermone Joan. 1. declarat, dicens : *Majorem charitatem nemò habet, quàm si animam ponat pro amicis suis.*

IN FESTO PENTECOSTES.

De missione Spiritûs Sancti. Act. 2.

1. *DUm complerentur* (ait Sanctus Lucas) *dies Pentecostes, erant omnes Apostoli, Beata Virgo, & alii pariter in eodem loco.* Considera, quàm ardentes fuerint die quinquagesimo, Beatæ Virginis & reliquorum centum viginti preces, imò Christi in cœlo, qui promiserat se rogaturum pro illis : quanta ipsius Spiritûs Sancti, qui est ipse amor, propensio, ut totum se effunderet pleno affectu in illos, innumerabilibûs gemitibûs à manè usque ad nonam horam interpellantes. 2. quomodò tandem patefac-

factîs cœli cataractîs, seu cum ingenti vento, tonitru, imbre, luce ignéque effuderit, omnésque mox incredibilî gaudiô gestierint, & igne interno accensi in Dei laudes eruperint. 3. Cogita ideo Spiritum Sanctum non potuisse diu ab illis abesse, qui pariter erant in eodem loco non solùm, sed cor unum & animam unam habebant, Spiritus Sanctus enim, utì est amor & unio Patris & Filii, ità non potest non amare unionem.

II. *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritûs vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes* Considera proprium esse Spiritûs Sancti, non tardè, sed repente omnia facere: Repente creat animas, vocavit Apostolos, convertit Paulum, Latronem, Sanctum Antonium: *Nescit tarda molimina*, ait Ambrosius, *Spiritûs Sancti gratiâ.* 2. Vehementer cum sono agere. Post ventum magnum solet sequi tonitru, fulgur, pluvia: sic Spiritus Sanctus movet corda ad contritionem, lachrymas, clamorem, pœnitentiam. 3. Totam animam, intellectum, voluntatem, potentias cæteras replet, quando vacuæ sunt aliîs terrenîs desideriîs. Requiescit super humilem & quietum, *Isaiæ ult.* habentem pacem in conscientia sua, & quasì sedentem.

III. *Et apparuerunt dispertitæ lingvæ super singulos tanquam ignis, & cæperunt loqui variîs lingvîs.* Considera, sicut quando domus intùs ardet, ignis erumpit per fenestras & tectum, sic quando cor Apostolorum erat accensum Spiritu Sancto, ignis erupit per capita eorum, quia Spiritus Sanctus, sicut nec ignis potest esse otiosus: ut discas non habere te Spiritum Sanctum, nisi quando bonîs & sanc-

tîs

tîs propositîs animi, respondent opera: bonus enim homo de thesauro cordis sui profert bona, ait Christus Luc. 6. Et ideo Apostoli igne illo accensi non ampliùs timuerunt, sed egressi cœnaculô, palam omnibns Christum anuntiaverunt, ità ut putarentur ebrii.

II. MEDITATIO DE EVANELIO.

Si quis diligit me. Joan. 14.

I. CHristus dixit discipulis: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Considera miram charitatem Christi, imò totius Sanctæ Trinitatis erga nos, licèt peccatores & indignos, quòd pro exigua dilectione nostra, vicissim velit nos diligere, ad nos quasì cœlô relictô venire, nobiscum colloqui, conversari & manere, modò à peccato mortali, quô solô repellitur, abstineamus. 2. incredibilem cæcitatem nostram, quod tam facilè sermonem & mandata ejus, cùm gravia non sint, teste Sancto Joanne, prævaricemur, & calce quasì, Sanctam Trinitatem ex domo cordis nostri ejiciamus, cùm non solùm mandata, sed etiam consilia omnia Christi præstare deberemus, ut gratiam tantô beneficiô rependeremus.

II. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodò mundus dat, ego do vobis.* Considera pacem natô Christô nunciatam ab Angelis, nunc verò testamenti locò, eam Christum relinquere discipulis, & post resurrectionem eandem illis congregatis precatum, quia pax est genuinus effectus charitatis Dei & proximi, ex qua tota Lex pendet & Prophetæ. 2. Christum relinquere pacem, non mundi, neque carnis, sed Dei & Spiritûs, quæ

tri-

triplex est, unà cum Deo, quando cavemus peccata, quæ sola faciunt nos Deo inimicos: altera nobiscum, quando caro obedit rationi & spiritui, & conscientia est quieta: tertia cum proximo, quando injurias nobis factas ignoscimus; eique facimus quod nobis factum vellemus. Mundi pax est contraria.

III. *Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quicquam: sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Considera Principem mundi, id est diabolum, qui est princeps omnium malorum, nihil potuisse contra Christum, quia nullum in eo peccatum fuit: ut discas eundem minùs juris habere in te, quò purior à peccatis fueris. 2. Nota Christum loqui de mandato, quod habuit redimendi nos per Passionem, tantus enim amor fuit in illo obedientiæ, ut non solùm voluerit pati pro nobis ex charitate, sed etiam optarit id sibi mandari: unde Sanctus Bernardus ait, eum perdidisse vitam, nè perderet obedientiam. *Ad mil. templ. c. 13.*

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus diligit mundum. Joan. 3.

1. JESUS dixit Nicodemo: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Considera non vulgarem, sed ineffabilem fuisse dilectionem Patris erga nos, quòd dederit nobis filium suum: primò enim, hôc ipsô dedit donum infinitum, & quô majus dare non potuit, quia dedit Deum, imò seipsum. 2. Ità dedit, ut non tantùm homo haberet Deum, sicut Angeli Sancti habent Deum, sed etiam homo factus sit Deus O-

mni-

mnipotens, sapientiæ & scientiæ infinitæ in Christo. 3. Dedit eum mundo, id est hominibus peccatoribus, suis inimicis. 4. Dedit il is, ut pœnas, quas luere debebant pro peccatis, in se susceperit; velutì paupertatem, famem, sitim, flagella, mortem turpissimam. Quomodò autem tu tantum amorem rependes!

II. *Non misit Deus Filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Considera immensam Dei clementiam & bonitatem, ùt cùm omnes homines à principio mundi nascantur in ira Dei, æterna damnatione digni, & inimici Dei, tamen nè unum quidem velit perire & judicari, id est damnari, sed omnes cupiat salvari, & revera primum auctorem peccati Adamum protoplastum à salute non excluserit.

III. *Lux venit in mundum, & dilexerunt magìs homines tenebras, quàm lucem; erant enim opera eorum mala.* Considera, quòd tam multi homines in mundo è tenebris, id est à peccatis infidelitatis, & aliis, non emergant ad lucem, id est credant in Christum, vel Catholicam Fidem suscipiant, non ex Dei voluntate accidere, quasì aliquos reprobârit, vel sufficientia ad salutem auxilia non dederit, sed ex perversa voluntate ipsorum, quia amant magìs vel hæresim suam, vel pristinum vivendi modum. 2. Considera hominem esse causam sæpè impœnitentiæ, ut non resipiscat, quando tamdiu se assvefecit malìs operibûs, ut callum obduxisse videatur.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ego sum ostium. Joan. 10.

I. DIxit JEsus discipulis: *Qui non intrat per ostium, fur est & latro: qui autem intrat pastor est ovium.*

Con-

Considera ostium esse Christum ejusque doctrinam & vitam; ovile esse Ecclesiam, Religionem vel sodalitatem aliquam piam; oves esse subditos vel discipulos, qui ab alio reguntur vel docentur, qui debent esse simplices, obedientes & amore sociis conjuncti; Pastorem esse superiorem, Præfectum Magistrum; fures & latrones, mundum carnem & dæmonem, qui per ostium non intrant, qui docent contraria doctrinæ & vitæ Christi, ut occidant animam & trahant ad æternam perditionem.

II. *Pastori ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus, alienum autem fugiunt, quia non norunt vocem.* Considera, quæ sint proprietates boni Pastoris: 1. ut ostiarius, id est Spiritus Sanctus, ei viam aperiat, non caro, non gloria vel utilitas propria: 2. ut subditi ei obediant: 3. ut norit eas extrinsecus & intrinsecus, audiendo confessiones, ad se vocet & alloquatur: 4. ut educat ad pascua concionum, frequentationes Sacramentorum. 5. ut exemplô vitæ sanctæ præeat. 6 ut ejus doctrinam subditi probent: 7. detestentur contrariam hæreticorum, mundi, dæmonis.

III. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet: fur non venit, nisi ut furetur & perdat: Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Considera tunc te fore optimam ovem in ovili, si doctrinam, vitam & Passionem Christi sedulò expendas, & in omnibus imiteris: sivè enim per eam ingrediaris in ovile, ut quiescas, orationi ac contemplationi divinarum rerum vaces cum Magdalena; sivè egredi-

aris

aris cum Martha ad juvandum proximum, uberrima pascua invenies, quibus reficias spiritum. 2. si autem aliunde 1. obsequendo suggestionibus dæmonis, carnis, sociorum malorum, irrepas in ovile, spoliaberis omnibûs donîs & gratiîs, & insuper in anima perderis, quia illi sunt fures.

FEAIA IV. POST PENTECOSTEN.

Sume tibi alterutram ex Meditationibus in Dominicam Pentecostes supra allatis: satiùs autem videtur uti illa, quæ est in Evangelium diei: altera enim accomodatior est Festo.

FERIA V POST PENTECOSTEN.

De missione Apostolorum. Luc. 9.

Sumatur prima pars Meditationis primæ de Communi Sanctorum, quæ est in Evangelio de communi Apostolorum.

FERIA VI. QUATUOR TEMPORUM.

De Paralytico. Luc. 5.

Sume Meditationem infrà notatam Dominica 18. post Pentecosten.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

De socru Simonis. Luc. 4.

Sumi poterit Meditatio suprà, Feria 5. post Dominicam 3. Quadragesimæ.

IN FESTO SANCTÆ TRINITATIS.

De potestate Christo data. Matth. 20.

I. D*Ata est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Considera 1. Christum hodierno Evangelio tria in bono Principe requisita præstare, quæ sunt: 1. legitimam gubernandi potestatem habere: 2. illam erga subditos dignè exercere: 3. opem & assistentiam ad sua jussa exequenda illis promittere ac conferre. Primum ostendit se habere, cùm dicit:

Data

Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: hîs enim verbîs testatur se legitimam habere potestatem à Deo Patre acceptam ad Ecclesiam gubernandam, sivè militantem, sivè triumphantem. Considera 2. triplici ratione eandem potestatem accepisse: 1. quà Deus, per suam generationem ab æterno: 2. quà homo, ob unionem hypostaticam ab instanti Incarnationis suæ: 3. itèm quà homo, ob meritum Passionis & mortis suæ quoad usum & plenarium exercitium. Considera 3. ex his sequi triplicî titulô ipsum nostrum esse Dominum, & consequenter totidem titulîs nos ejus esse servos, nempe ratione ejus Divinitatis, Incarnationis & meriti. Unde bene David semel iterum & tertiò servum ejus se appellat: *O Domine! quia ego servus tuus, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ*, Psal. 145. Considera 4. Christo inesse omnem potestatem, id est omnipotentiam, quæ quidem se extendit ad omnia, sivè loca, sivè tempora, sivè personas, sivè cætera possibilia: potestatem verò terrenorum Principum esse perexiguam, limitatam, amissibilem, & ità à Deo dependentem, ut vix momentô unô valeat sinè ipso subsistere: & tamen inveniri homines, ità cæcos ac stultos, ut Reges & Dominos terræ magìs timeant ac diligant, quàm ipsum Christum, Regem Regum, & Dominum Dominantium, & quod pejus est quoties LegemDei infringunt, nè hominibus displiceant. O portentosam hominum ignorantiam, infirmitatem & malitiam!

II. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Considera, ex his verbis colligi, secundum boni Principis officium, quod Christus hodie præstat, in eo quòd incipit potestatem à Patre acceptam exercere, ab-

legando scilicet in orbem Apostolos suos, iisque tria mandando: ut omnes gentes in universo orbe doceant, nempe Fidei Christianæ elementa, aliaq; ad dignam Baptismi receptionem requisita: 2. Ut eos baptizent in Nomine Sanctæ TRINITATIS: aquæ scilicet Baptismo, quô peccatorum remissionem habeant, & salutem æternam acquirant: 3. Ut eos etiam doceant Christi mandata, quæ ad quatuor capita revocari possunt: 1. est de dilectione mutua, toties nobis in Evangelio inculcata: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*: novô scilicet modô, ut non amicos tantùm, sed inimicos diligamus: non verbô tantùm, sed opere; non ob commodum nostrum, sed proximi; non ob vitam temporalem, sed æternam. 2. est de observando Decalogo, de quo adolescenti dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 17. verùm juxta Christi & Ecclesiæ expositionem, non juxta glossas Pharisæorum, vel ritum Judaicum: 3. Ecclesiæ regimen & Rectores concernit, partim ab ipso Christo, partim à Spiritu Sancto traditum, de Sacramentis, Sacrificio, ceremoniis, censuris, &c. 4. ad mores & vivendi rationem Christianam spectat, toti Ecclesiæ communem, veluti de ratione & tempore jejunandi, confitendi, communicandi, aliáque Sacramenta suscipiendi, de præceptis Ecclesiæ servandis, & universim de audienda Ecclesia velut Matre: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Matth. 18.

III. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem seculi*. Considera 1. tertium boni Principis officium à Christo hìc præstitum, nempe opem & assistentiam subditis fidelibus promittendo & dando: quæ assistentia intelligenda est, 1. secun-

cundum divinitatem: nam adest illis, non solùm per suam immensitatem, sed præterea etiam per gratiam & paternam providentiam, tutelam & gubernationem. 2. secundùm humanitatem; quia adest eis inspiciendo & considerando omnes omnium mortalium actiones: deinde in Sacramento Eucharistiæ realiter in propria persona. 2. Considera quomodò Apostoli illo præsidio nixi percurrerunt totius Paganismi exercitum, & transgressi sunt omnium civitatum muros, necnon altæ mœnia Romæ, iisque invexerunt Evangelium. Hôc præsidiô nixus David dicebat: *In te eripiar à tentatione* (Hebr. *In te percurram exercitum*) *& in Deo meo transgrediar murum.* Psal. 17. Itaque nihil, quod à Christo nobis imperatum est, difficile reputetur: quia qui dedit præceptum, promisit etiam & dat vires. In ipso percurremus omnes mundi, carnis & diaboli exercitus: in ipso transgrediemur murum, omnia scilicet salutis obstacula, tandémque altissima illa cœlestis Romæ mœnia, ut in ea cum ipsis Apostolis & omnibus fidelibus æterni nostri Principis subditis, perfecta beatitudine in æternum perfruamur.

MEDITATIO II.

De mysterio Sanctæ TRINITATIS.

1. CONsidera cur Deus mysterium Sanctæ Trinitatis, & alia nonnulla, ùt Incarnationis, Eucharistiæ, Resurrectionis, noluerit à nobis intelligi, imò etiam rebus creatis naturales quasdam indiderit proprietates, quæ nullô ingenii humani studiô capi in hac vita queant. Nimirùm nè si omnia caperemus, animô plùs æquô extolleremur: & exemplô Luciferi, cum suis, nimium de scien-

tia elati, in barathrum rueremus, ut essemus hu-
miles & ignorantiam confiteremur, ut cognosce-
remus nosipsos, ut captivando intellectum plùs
subjiceremur Deo, soli illi retribuendo scientiæ o-
mniúmque rerum gloriam, illâque subjectione cre-
dendo illi, plùs mereremur sicut meruit Abraham,
qui quò minùs scire studuit quid præciperetur, vel
cur, hòc gratior Deo effectus est.

II. Considera quid credendum sit de Sanctæ Tri-
nitatis mysterio: nempe tres esse in Divinis Per-
sonas re inter se distinctas, Patrem, Filium, & Spi-
ritum Sanctum: unam verò numero naturam Dei-
tatis, ac similiter unam Omnipotentiam, æternita-
tem, immutabilitatem, immensitatem, majestatem,
gloriam, intellectum, voluntatem, sapientiam, bo-
nitatem, & cætera, quæ in Symbolo Sancti Atha-
nasii habentur. Quare tota Trinitas potest dici.
Unus Deus in natura, Omnipotentiâ, *&c.* Trinus
in Personis. Unde discis quanti facienda sit bono-
rum societas: Nàm Deus, cùm naturâ unus sit,
tamen societatem habet plurium. 2. Societatem
eò perfectiorem esse, quò major inter socios est u-
nio. Unde in prima societate Christianorum, post
acceptum Spiritum Sanctum, tanta erat unio, ut
omnium esset cor unum & anima una. At in Tri-
nitate non est solùm intellectus, voluntas, poten-
tia, sapientia, bonitas, sed etiam natura una.

III. Considera omnes homines creatos esse ad
imaginem & similitudinem Dei & Sanctissimæ Tri-
nitatis, quia in omnibus una est anima spiritualis,
& tres spirituales potentiæ, intellectus, voluntas &
memoria, imò in omnibus creaturis vestigium re-
lucet Sanctæ Trinitatis: in omnibus enim est ali-

qua

qua natura, vis vel potentia ac operatio: Et quod plùs est & mirabiliùs, Sancta Trinitas existit in omnibus creaturis, etiam vilissimis, secundùm essentiam, præsentiam & potentiam: & nisì esset, omnes in nihilum reciderent: *In Deo enim vivimus, movemur, & sumus*, ùt dicit Apostolus. Quod certè non facit, nisì quia intimo amore omnes creaturas, quatenùs bonum aliquod in illis est, prosequitur. Cur ergo vicissim non amabimus, non complectemur Creatorem & Sanctam Trinitatem!

MEDITATIO III. EJUSDEM DIEI.

In Evangelium Dominicæ primæ post Pentecosten.

Estote misericordes. Luc. 6.

I. DIxit JEsus discipulis: *Estote misericordes, sicut & Pater vester cœlestis misericors est: nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Considera, hìc monita valde salutaria præscribi pro dilectione proximi. Primum est, ut in misericordia exercenda erga proximum, imitemur Patrem cœlestem, qui omnibus ad se clamantibus aures præbet, gratiam largitur, ignoscit, malos & ingratos prævenit, convertit & salvos facit: ut sæpè abundet gratia, ubi abundavit delictum. Alterum est, non judicare illum, id est, curiosè in mores ejus inquirere, facta ejus, cùm dubia sunt, in malam partem non interpretari, non malè suspicari, si superior non sis: nè & tu judiceris à Deo omnium conscio. Tertium, nec condemnare, id est, illum æternâ vel temporalî pœnâ dignum dicere, sicut Pharisæi damnabant adulteram, quam Christus absolvit, *Luc. 7.*

II. *Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis mensuram bonam*, &c. *eadem enim mensura remetietur vo-*

vobis. Considera quartum monitum de dilectione, quod est ignoscere contra nos delinquenti. *Si enim dimiserimus hominibus peccata eorum*, inquit alibi, *dimittet & nobis Pater cœlestis delicta nostra*. Quintum est, dare libenter eleemosynam aliis: *Diligere enim proximum debemus, non verbô, sed opere & veritate*, ait Beatus Joannes. Et vicissim à Deo dabitur nobis, nempe omne bonum corporale & spirituale: *mensura conferta*, id est bona fortunæ; *coagitata*, id est gratiæ; *superreffluens*, id est bona gloriæ: merces enim vitæ æternæ longè excedet bonorum operum nostrorum valorem.

III. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Considera hoc ad perfectionem secundi moniti pertinere: ut non occupes te unquam in inquirendis, notandis vel arguendis aliorum vitiis & lapsibus; sed per examen quotidianum conscientiæ, severè inquiras & animadvertas in proprios, qui sunt aliquando trabes, id est mortales: quia non de alienis, sed de propriis reddemus rationem in die Judicii.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Joannis 6.

1. DIxit JEsus turbis: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*. Considera ineffabilem Filii Dei amorem erga hominem. 1. Factus est homo, ut in unam hypostasim se illi uniret: deinde, ut singulis hominibus esset arctissimè conjunctus, excogitavit Carnem suam dare nobis in cibum, & Sanguinem in potum. Ecquid autem conjunctiùs tibi potest esse cibô, cùm in substantiam tuam mutetur? 2. Nobilitatem hujus cibi: nec enim in Eucharistia datur nobis panis de furno: nec panis Angelorum manna; sed verè Caro Christi, imò

totus

totus Christus cum Carne, Sauguine, Anima, Divinitate, & immortalis ùt nunc est in cœlo. 3. Delicias ejus : nam si manna mutabat saporem juxta cujusque voluntatem, quid erit in hoc, cujus manna fuit umbra? In Christo fuêre omnes thesauri sapientiæ & deliciarum.

II. *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in illo.* Considera eximium Sacræ Communionis fructum, nempe ut sicut palmes viti, & membra corporis, capiti, sic homo adhæreat Christo, & ab eo, sicut membra à capite vitam, nutrimentum, motum, & alia auxilia accipiat, imò ut sit velut spongia missa in magnum vas aquæ: Ut enim illa intus & extra abundat aqua, ità, qui Christi Sanguinem bibit, intus à Deo repletur, & foris à Deo protegitur, quia in Deo manet, & Deus in ipso: Ac talis homo meritò nihil cogitare deberet nisì Deum; sicut qui in medio mari est, nihil videt undique, nisì mare.

III. *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Considera hìc modum, quô ad dignam Communionem parare te debeas, nempe ut neq; cum nausea, neq; cum murmure, neq; ex consvetudine, neque coactus ad illã accedas: hæc enim in veteribus summentibus manna, arguuntur, sed magnô desideriô & fame, imbibendi Spiritum Christi: quò enim majori cum fame & siti accesseris, hoc meliùs sapiet cibus: cibus autem quò magìs sapit, eò magìs nutrit. 2. Considera nullam aliam causam ariditatis tuæ & parvi profectus in virtute esse, quàm quòd non accedas cum hac sancta fame: Qui enim dignè accedit, vivet in æternum, id est, semper proficiet, & melior evadet.

DOMINICA II. POST PENTEC.

De Cœna magna, Luc. 14.

I. DIxit JEſus diſcipulis : *Homo quidam ad cœnam magnam per ſervos invitavit multos.* Conſidera hominem illum eſſe Chriſtum Deum & hominem, cœnam verò gloriam cœleſtem : ut enim cœna datur iis, qui die laborant, ſic gloria illa dabitur illis, qui ſtrenuè in hac vita uſque ad mortem pro Nomine Chriſti ſudârunt. Unde ſicut operarii poſt laborem anhelant ad cœnam, ità nos ad illam anhelare debere. 2. Dici magnam : 1. ob omnium rerum copiam, delicias, & ſatietatem ibi futuram : 2. ob convivarum multitudinem & varietatem, id eſt omnes Angelos & Sanctos Prophetas, Apoſtolos, Martyres : 3. ob durationem perpetuam in omni ſecuritate : 4. ob ſocietatis jucunditatem : erunt enim omnes conjunctiſſimi, lætiſſimiq; animâ & corpore ſplendidiſſimi.

II. *Et cæperunt ſimul omnes ſe excuſare.* Conſidera triplex hominum genus ſe excuſare : Primi ſunt ementes villas, id eſt, qui magni, potentes, docti videri volunt : Secundi ementes juga boum quinque, qui plùs æquo opibus congerendis, vel eruditione comparandâ ſe occupant : Tertii ducentes uxorem, qui nimium dediti ſunt carnis voluptatibus, ebrietati, ludis, ſuo judicio & propriæ voluntati. 2. Conſidera felices eſſe Religioſos, qui per tria vota hæc impedimenta tria facile removere queunt : primum, per obedientiam : ſecundum, per paupertatem : tertium, per caſtitatem.

III. *Tunc iratus Paterfamilias, juſſit ſervum, ex plateis, viis & ſepibus quoſcunque pauperes, debiles, cæcos & claudos convocare, imò cogere, ut impleretur domus tota.*

Con-

Considera, sæpè valde periculosum esse inspirationi Divinæ, quâ aliquando invitamur, ad vitam piam & sanctam, non satisfacere, sed se excusare; quia verendum est, nè alius accipiat coronam nostram, nobîs exclusîs. 2. Considera Regni cœlestis convivio aptos esse *pauperes*, qui vel nihil proprium habent, ùt Religiosi, vel divitias contemnunt, victu & amictu contenti: deinde *debiles*, qui suis viribus non fidunt, sed gratiæ Dei: tum *cæcos*, qui simpliciter credunt quod Ecclesia; & suo judicio non innituntur: & *claudos*, qui nihil boni se posse facere putant, nisì juventur baculô divini auxilii, ac denique *qui cogi se sinunt*, id est, ex alterius arbitrio, & sub obedientia vivunt; qui malunt subesse, quàm præesse.

N O T A.

Meditationem hanc, paucîs mutatîs, posse accommodari ad Sanctam Eucharistiam, quæ cœna est, quia vesperi in Cœna à Christo instituta: deinde in fine diei, id est vitæ Christi. Magna est, tum quia locò cibi & potûs Caro Christi & Sanguis, imò totus Christus Deus & Homo, manducandus proponitur, omne delectamentum in se habens, tum quia nemo fidelis ab ea excluditur, & usque in finem mundi ubique celebranda est. Excusant autem se ab hac cœna, superbiæ, avaritiæ & luxuriæ dediti, id est omnes propter hæc & similia peccata indigni. Admittuntur autem humiles, qui peccata sua confitentur, & vitæ emendationem, divinâ auxiliante gratiâ, proponunt.

DOMINICA III. POST PENTEC.

De ove perdita. Luc. 15.

1. P*Harisæi & Scribæ murmurabant contra JEsum, quòd reciperet peccatores, & manducaret cum illis.* Considera

ſidera ſummam charitatem Chriſti, quòd nullum p.ccatorem, quantumvis maximâ injuriâ ab eo affectus ſit, contemnat: deinde ad ſe per pœnitentiam benignè recipiat: receptum etiam ad menſam ſuam admittat, & cibô Corporis & Sanguinis ſui velut chariſſimum, ac cui intimè deinceps velit adhærere, reficiat. 2. Conſidera malitiam Phariſæorum, qui bonitate Dei & aliorum bonô exemplô facti ſunt pejores: ut diſcas ingenium mundi eſſe, murmurare & detrahere piis, ſi quid boni agant, eóſque irriſionibûs, aliíſque modîs impedire.

II. *Quidam ove una ex centum perditâ, imponit eam inventam humeris, & alias ad gratulandum ſibi invitat. Idem facit mulier de drachma una ex decem, perditâ & inventâ.* Conſidera nonaginta novem oves eſſe novem Choros Angelorum, quia ſuperant numerum hominum: ovem perditam autem eſſe hominem, quam Chriſtus inventam, quando incarnatus eſt, impoſuit humeris, portans iniquitatem omnium noſtrum & in cruce expians. Adde, tantam fuiſſe ejus charitatem, ut pro te ſolo perdito paratus fuerit pati: nam Paulus ſic loquitur de eo: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Gal. 2. 2. Conſidera mulierem illam eſſe Beatam Mariam, quæ accenſâ fidei magnæ lucernâ, everrit totam domum animæ ſuæ, ſic, ut nullas habuerit peccati ſordes, crebríſque precibûs pulſans Dei fores, tandem invenit drachmam perditam, id eſt gratiam concipiendi Chriſtum, qui, hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei formatum & ſignatum, liberaret à pulvere peccati. Unde Archangelus dixit: *Inveniſti gratiam apud Deum.* Luc. 2.

III. *Mulier inventâ drachmâ, ad congratulandum convocat amicas & vicinas. Dico autem vobis, inquit JEſus,*

sus, quòd ità gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Considera Beatam Virginem Mariam mox post conceptum Christum per montana cucurrisse ad cognatam Elizabeth, illámq; ei congratulatam de benedicto fructu ventris, & inventâ drachmâ. 2. Cogita, si Christus & Mater ejus volunt, ut sibi congratulemur, quando aliquis ad fidem vel vitam bonam convertitur: si Angeli gaudent, qui tamen non sunt ejusdem naturæ nobiscum; quantò magìs nos debemus gaudere, cùm sit noster frater, ejusdem nobiscum naturæ? 3. Considera ex hac parabola sequi, nullum prorsus posse desperare. Si enim gaudent omnes Angeli in cœlo, si gaudet Deus, ità, ut cupiat sibi etiam ab alio congratulari de conversione peccatoris, tanquam de invento thesauro perdito: qua de causa poterit quis vel cogitare de desperatione?

DOMINICA IV. POST PENTEC:

Christus docet ex navi Petri. Luc. 5.

I. *TUrba irruente, Christus ascendit in navim Petri, & in ea pusillum à terra reducta sedens docuit turbam.* Considera quanto fervore turba hæc accurrerit ad audiendum verbum Dei, nos autem non ad audiendas pias exhortationes, sed ad audiendas nugas & nova hujus sæculi pari fervore sæpè ferimur. 2. Christum docere è navi Petri, ut ostendat Romanam Ecclesiam variis tempestatibus in mari hujus mundi agitatam, ut virtus ejus magìs elucescat, & te idem passurum, si in ea persistas. 3. Navim reductam fuisse à terra, quia doctrina concionatoris & vita non debet esse terrena, sed cœlestis.

II. *Ut cessavit loqui, dixit Simeoni: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondit: Tota*

nocte

nocte nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Rumpebatur autem rete ex copia piscium. Considera Christum in concione movere corda; sed nostrûm est cooperari illi verbô & exemplô: Ducere nempe in altum, est aspirare ad cœlestia, & in nullo sibi parcere ad animas lucrandas. Laxare retia, est divinas Scripturas esse breves verbîs, sed laxas mysteriîs, si explicentur. 2. Nullum fructum ex concionibus etiam magno labore factis capi, si fiant nocte, id est in statu peccati, ad vanam gloriam, frigidè, citra voluntatem Dei & superiorum. Si autem fiant in gratia & ad gloriam Dei, & superiorum nutu, maximus est proventus.

III. *Petrô ex stupore in genua lapsô, & clamanti: Exi à me, Domine, quia peccator sum: dixit, Noli timere: ex hoc homines eris capiens, & relictîs omnibûs, secutus est eum.* Considera processum Petri in sua conversione: 1. commodat ex charitate Christo navem & recipit piscibûs plenam: 2. procidit ex humilitate in genua, & constituitur piscator hominum: 3 cupit exire à se Christum, & eò propiùs illum Christus accedit, nam relictîs rebûs secutus est eum ut nunquam ab illo discederet: sic ex parvis initiis pervenitur ad summa. 2. Quales debeant esse piscatores hominum, nempe humiles, & qui priùs se sinant capi à Christo quàm alios capiant: deinde, qui Christi vitam & mores sequuntur, contemptîs hujus mundi retibûs, id est opibûs, honoribûs & voluptatibûs.

DOMINICA V. POST PENTEC:

De justitia Pharisæorum. Matth. 5.

I. DIxit JEsus discipulis: *Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non in-*

intrabitis in Regnum cælorum. Considera quanta fuerit justitia Pharisæorum: crebrò jejunabant, orabant in Templo & plateis, decimas facultatum suarum dabant, gratias Deo pro beneficiis agebant, Legem in fimbria vestium gestabant. Vide an major tua sit? 2. Considera quàm magna sit Evangelicæ Legis perfectio, quæ Legem Mosaicam, quoad moralia, non tollit, sed perficit: prohibet enim non tantùm externa opera mala, sed etiam internas cordis cogitationes & affectiones pravas, quia fontes sunt malorum.

II. *Antiquis dictum est, Non occides: Ego autem dico, irrascentem fratri reum esse judiciô: qui verò dixerit Raca, conciliô: qui fatue: reum gehennæ.* Considera, in nova Lege eâdem pœnâ, digna censeri peccata interna & externa: nam non solùm qui occidit, sed etiam, qui irascitur in corde, ira ad occisionem tendente, & multò magìs, qui verbô probrosô iram eandem declarat, mortaliter peccat, licèt alius aliô graviùs peccet: & ideo primus judicii, secundus concilii, tertius gehennæ reus dicitur. Si quis autem ex passione minùs deliberatâ irascatur, vel asperius verbum effutiat, peccatum veniale ùt plurimùm est. 2. Considera ista peccata apud homines quidem levia censeri, sed non apud Deum: *Non enim viæ meæ* inquit ipse apud Prophetam, *sunt sicut viæ vestræ, & cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ.* Isaiæ 55.

III. *Si offers munus tuum ad altare, vade & priùs reconciliare fratri à te offenso, & tunc offer.* Considera charitatis fraternæ præceptum præponi cultui divino. Quòd si fieri debebat in Sacrificio Legis veteris, multò magìs debet fieri in Sacrificio Missæ & Communione Eucharistiæ, quæ est Sacramentum unio-

nis

nis : *Unum enim corpus ſumus*, ait Paulus, *qui de uno pane participamus*, 1. Cor. 10. 2. Nota, quòd bona opera noſtra, quæ tamen ſunt Dei dona, Deus dignetur accipere locò muneris, dum tamen nihil proſint divinæ ejus Majeſtati.

DOMINICA VI. POST PENTEC.

De ſeptem panibus. Marc. 8.

I. *JESUS ait, convocatis diſcipulis : Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me : & ſi demiſero jejunos, deficient in via.* Conſidera Chriſtum conſilio diſcipulorum uti : ut diſcas, ſivè Superior ſis, ſivè non, non ſpernere conſilia ſubditorum & ſimplicium, cùm conſtet Deum reſpicere humiles, & ſapientiam dare parvulis. 2. Nota, non doctos & potentes, ſed humilem turbam ſequi Chriſtum, & quidem tantô deſideriô proficiendi, ut triduò eum ſecuta ſit, non cogitans de cibo : ut diſcas libenter laborare in inſtructione populi ſimplicis & puerorum, & magis anhelare ad cibum ſpiritualem animæ, quàm corporalem; quia ſi ille deſit, verè deficiemus in vita ſpirituali.

II. *Chriſtus ſeptem panibùs, paucíſque piſciculìs benedictìs, quatuor millia hominum pavit in ſolitudine.* Conſidera, nos hujus mundi viam ad æternam patriam ſecuros tranſire non poſſe, nisì à Chriſto reficiamur ſeptem Spiritûs Sancti donìs : mundus enim hic deſertum eſt, quia cogimur eum deſerere, non habentes hìc manentem civitatem : imò ſolitudo eſt, in quo nihil veri boni eſt, ſed tantùm umbra & vanitas vanitatum. Pauci piſciculi ſunt exempla paucorum Sanctorum. 2. Conſidera Chriſtum per manus Apoſtolorum panes diſtribuiſſe : ut ſcias Deum dona ſua nobis per medios ſuperiores communicare, &

ideo

ideo ad eorum voluntatem & manus nobis, maximè si religiosi simus, respiciendum est.

III. *Saturati sunt omnes, & sustulerunt quod supererat de fragmentis septem sportas.* Considera liberalitatem Christi, qui ità pascit liberaliter pios, ut semper satiet spiritualiter. 2. Debere nos reliquias mensæ colligere, nè pereant; sed aliis quoque distribuantur, hoc est, dona spiritualia nobis à Deo collata etiam aliis communicare. 3. Si quid largiamur corporale vel spirituale aliis, non fieri nos pauperiores sed ditiores, sic ut pro septem panibus plura panum millia accipiamus.

DOMINICA VII. POST PENTEC.

De falsis Prophetis. Matth. 7.

I. JESUS dixit discipulis: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt in vestibus ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Considera bonitatem & sapientiam Dei, qui tantum malum, id est falsos doctores, tot animarum perversores non permitteret, nisì inde majus bonum colligeret: ut discas ex quovis malo commodum spirituale colligere. 2. Per falsos Prophetas non tantùm intelligi hæreticos & hypocritas, sed omnes, qui carnalia & svavia obtrudunt sub specie virtutis; ùt est caro nostra, mundus & diabolus: caro enim prædicit te non diu victurum, si durè ipsam tractes, sed falsò; quia Sancti, qui jejunia maxima coluêre, diutissimè vixêre. 3. Intrinsecùs illos esse lupos rapaces, quia etiamsi intrinsecùs ostendant vestem ovilem, id est promittant incolumitatem corporis, tamen quærunt intus occidere animam.

II. *A fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor mala bonos fructus facere: & ideo excindetur, & in ignem*

ignem mittetur. Considera, sicut, quales hæretici hujus temporis sint, opera ostendunt, utpote, quæ prorsus sunt carnalia: (cùm ipsi refugiant omnia, quæ carni & sanguini sunt molesta) sic etiam quales prophetæ sint caro & mundus, ostendunt effectus; reddunt enim conscientiam inquietam, fervorem pietatis tollunt, agunt tentationes carnales, creant inconstantiam in vocatione, &c. 2. Expende hominem comparari arbori, quia sicut illa in terra plantata fructum cum ramis producit sursum; sic homo licèt in terra sit, conversationem debet habere in cœlis, & fructus producere cœlestes; alioquin, excidendus & in flammas æternas conjiciendus.

III. *Non omnis qui dicit: Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris, qui in cœlis est.* Considera neminem ad vitam æternam venturum, nisì fidem vel vocationem quam profitetur, opere compleat. Deus enim voluntatem suam declaravit, immediatè quidem in divinis, mediatè verò in humanis, Ecclesiæ, & cujusque sacræ Religionis præceptìs ac studiis. 2. Deum non tam ad externas ceremonias & opera, jejunia, cilicia, cantum in Ecclesia, quàm ad cor purum respicere: *Hæc enim est voluntas Dei*, ait Apostolus, *sanctificatio vestra*, 1. Thess. 4.

DOMINICA VIII. POST PENTEC.

De villico iniquitatis. Luc. 16.

1. DIxit JEsus discipulis: *Dives quidam vocat villicum, qui dissipârat bona illius, jubetq; reddere rationem villicationis.* Considera divitem illum esse Deum, cujus est *orbis terræ & plenitudo ejus*; villicum esse quemcunque nostrûm, quia cuique villam ani-

mæ;

mæ, corporis, fortunarum, ingenii, doctrinæ, bonorúmque aliorum naturalium & supernaturalium colendam dedit: quam si in Dei gloriam & laudem nostram & aliorum salutem non coluimus, reddemus rationem in die judicii, quia omnia ista nostra non sunt, sed Dei. 2. Tunc vocari nos à Domino, cum concionibus, morbis, bonis exemplis, internis inspirationibus monemur strictam aliquando reddendam rationem de villa malè administrata, & de donis Dei malè expensis.

II. *Ait villicus intra se: Quid faciam? fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam: debitores mihi faciam amicos, detrahendo aliquid de summa debitorum.* Considera hæc, villicum vel peccatorem dicere, postquam interiùs commotus est ad pœnitentiam: post mortem enim, cùm reddenda ratio est, non erit fodiendi vel mendicandi locus, quia nemo ampliùs poterit vel bonîs operibûs, vel precibûs tunc quicquam mereri. 2. Debitores esse pauperes, & omnes illos, quibus possumus talentô nobis concreditô, sivè opum, sivè doctrinæ & eloquentiæ, sivè alio prodesse: hos enim facimus nobis amicos, cùm illis liberaliter quidquid possumus, vel ex facultatibus nostris, vel ex doctrina, vel alio auxilio impertimur, quia impetramus nobis remissionē peccatorum, ut amici facti mereamur vitam æternam.

III. *Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Considera divitias dici Mammona iniquitatis, non quòd naturâ suâ malæ sint, cùm omnes creaturæ Dei bonæ sint: sed quia Apostolo teste, *qui divites fieri volunt, facilè incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mer-*

mergunt homines in interitum. 1. Tim. 6. Quia pauperum piorum eſt Regnum cœlorum, Matth. 5. 2. Nos debere per eleemoſynam, vel unam magnam, (quam faciunt, qui ſemel omnia dant pauperibus ingrediendo religionem) vel plures minores, à pauperibus emere Regnum cœlorum. Unde colligis, quanti faciat Deus paupertatem ſpiritûs & opera miſericordiæ.

DOMINICA IX. POST PENTEC.

De fletu Chriſti ſuper Jeruſalem. Luc. 19.

I. JESUS *videns civitatem Jeruſalem, flevit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognoviſſes & tu.* Conſidera Dominum inter ſummos honores hoc die (Palmarum) à populo ſibi delatos, lachrymari de Hieroſolymæ excidio poſt multos annos futuro: ut præbeat nobis exemplum, nè rebûs proſperè fluentibûs obliviſcamur afflictionum proximi: hoc enim facit ſocietas in uno corpore; ut ſi unum membrum patiatur, compatiantur cætera. 2. Eum fleviſſe, non ob ruinam materialem urbis, ſed ob peccata, quæ cauſam ruinæ dederunt: ut nos quoque diſcamus deflere, non temporalia damna, ſed peccata noſtra: & rectè, quia lachrymîs temporalia damna non poſſumus reſarcire: poſſumus autem damnum ſpirituale, ut elutô peccatô, gratiam Dei recuperemus. 3. Conſidera omnia mala noſtra oriri ex defectu cognitionis: nam dæmon velat oculos peccatoris, nè gravitatem peccati cognoſcat, & itâ eâ ignoratâ in ſuum exitum ruat.

II. *Venient dies, & circumdabunt te inimici tui valle, & coanguſtabunt te undique.* Conſidera id quidem ad literam intelligi de obſidione arctiſſima Hieroſolymæ, myſticè autem de morte peccatoris: dæmones enim moriturum tantô numerô cingunt, ut ſpes vix ſit

eva-

evadendi. Coangustant objectîs peccatîs præteritîs & futurîs pœnîs: prosternunt quoque in terram, hoc est, in desperationem adducunt, nec relinquunt lapidem super lapidem, id est, bonis omnibûs, quæ unquam fecit, privant: causa est, quia non cognovit *tempus visitationis suæ*, quod non est aliud quàm tempus hujus vitæ, in qua visitamur admonitionibûs, exemplîs & legibûs ad officium virtutis.

III. *Christus ingressus templum ejecit ementes & vendentes, dicens: Domus mea domus orationis vocabitur.* Considera, Dominum ardentibûs oculîs severè, ementes & vendentes objurgantem, tum etiam irruentem in mensas & evertentem, adjuvantibûs discipulîs: ut discas magnô zelô uti, quando Divinæ Majestatis gloria est vindicanda. 2. Si domus illa veteris Legis erat Dei domus orationis, in qua arca lignea servabatur; quantomagìs domus Dei & orationis erit domus nostra, in qua ipse Christus Deus & homo in Eucharistia est præsens: ac proinde in templîs semper cum magna reverentia est versandum, & orationi, non fabulis vacandum.

DOMINICA X. POST PENTEC.

De Pharisæo & Publicano. Luc. 18.

1. JESUS dixit discipulis: *Duo homines ascenderunt in templum ut orarent. Unus erat Pharisæus sic orans: Deus, gratias ago, quòd non sim sicut cæteri hominum, jejuno bis in sabbatho, decimas do.* Considera quàm sit terribilis in consiliis suis Deus. Quis enim nostrum non præferat hodie Pharisæum: qui tam multa bona facit, & de iis Deo gratias agit, Publicano, qui multa mala fecerat, & nihil boni? tamen hic justificatus est præ illo. 2. Nota in quo peccârit Pharisæus: 1. quia censuit se justum; quod solus Deus

ſcit. 2. quia ſe laudavit : *Laudet te alienus*, ait Sapiens, *& non os tuum.* Prov. 27. 3. quia cæteros cenſuit injuſtos, contra illud : *Nolite judicare.* 4. quia cæteris ſe prætulit, cùm Apoſtolus doceat, quòd in humilitate omnes ſuperiores debeamus arbitrari.

II. *Alter Publicanus ſtans à longè, nec oculos audebat ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori.* Conſidera, quas Deus veræ humilitatis conditiones in iſto notârit: 1. quòd non auſus fuerit oculos ad cœlum levare, reputans ſe eſſe nihil : & quid eſt homo licèt juſtus, reſpectu Dei, niſi pulvis & cinis? 2. quia confeſſus eſt ſe nihil boni feciſſe, nec habere, nec habiturum, niſi ex mera Dei gratia, dicens: *Deus, eſto mihi propitius:* 3. quia non modò nulli ſe prætulit, ſed indignum etiam cenſuit, ut propè alios ſtaret: 4. quia ſe accuſavit ùt peccatorem: *Juſtus enim ſui accuſator eſt*, ait Sapiens Prov. 18. 5. quia & intus ſuam indignitatem agnovit, percutiens pectus.

III. *Amen dico vobis, deſcendit hic juſtificatus ab illo, quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur*, &c. Conſidera quantum malum ſit ſuperbia, reſpectu cæterorum vitiorum, ut nempe ſimul & ſemel omnia bona opera deſtruat : ut nihil ſint, nec proſint : cætera enim vitia ſingulas tantùm virtutes tollunt ; ùt ira patientiam, avaritia liberalitatē &c. Contra humilitas, etſi nulla bona, imò multa mala conjuncta habeat, omne bonum ſibi conciliat. 2. Conſidera, quàm humiles deinceps eſſe nos conveniat, animô, verbô, & opere, & propter arcanum Dei judicium, ſemper pavidos, nunquam de bonis operibus gloriantes, ſed omnium minimos judicantes.

DO-

DOMINICA XI. POST PENTEC.

De surdo & muto. Matth. 7.

I. *QUidam adducunt Christo surdum & mutum, precantes ut imponat illi manum.* Considera surdum spiritualiter esse, qui aures claudit concionibus, monitionibus, & inspirationibus Dei & conscientiæ: Mutum, qui os claudit ad agendas Deo gratias, ad confitenda Sacerdoti peccata, ad colloquia pia, ad juvandum proximum. 2. Si sanari velimus ab utroque malo, non debere solùm nosipsos Dominum orare, sed etiam Sanctîs uti intercessoribûs, ut multiplicatîs oratoribûs faciliùs impetretur venia.

II. *Christus eum de turba seorsum eduxit, digitos in aures inseruit, expuens tetigit linguam, suspiciens in cœlum ingemuit & ait, Ephpheta: ac sanatus est.* Considera, quibûs ritibûs usus sit Dominus: ut discas quomodò & tu à peccatis curari debeas: Primò enim opus est, ut pravam societatem & occasiones peccandi deseras: 2. ut gratiam Spiritûs Sancti, qui per digitum in sacra Scriptura designatur, implores: 3. ut sapientiam ea tantùm loquendi obtineas, quæ ad ædificationem sunt: ut enim saliva ex capite defluit: sic sapientia ex intellectu: 4. ut doleas de peccatis, & de cœlo expectes indulgentiam: 5. ut peccatum per confessionem publicam vel privatam aperias, & opera Dei prædices: sic enim desines esse surdus & mutus.

III. *Et præcepit eis nè cui dicerent: illi autem tantò plùs prædicabant, dicentes: Bene omnia fecit.* Considera 1. à Christo hìc nos discere, quantum studium ad conservandam humilitatem conferre debeamus, nempe ex parte nostra bonorum operum, quæ facimus,

laudem & vanam gloriam fugiendo : 2. à turba, quòd grati esse debeamus pro beneficiis à Deo acceptis, & zelum habere in tuenda Dei gloria, alteriusque honore ac famâ bonâ, nosipsos potiùs aliis postponendo. 2. Considera, & tecum omnia bene fecisse hactenus Dominum, ideoque ab eo laudando & benedicendo nunquam cessa : ac vehementer dole, si quando in adversis divinam providentiam impia obmurmuratione suggillaveris.

DOMINICA XII. POST PENTEC.

De Samaritano & Levita. Luc. 10.

I. DIxit JEsus discipulis : *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis : multi enim Reges & Prophetæ ea voluerunt videre, & non viderunt.* Considera, sicut Beatiores Prophetîs erant Apostoli, quòd non solùm oculîs mentis vel fidei viderent Christum, sed etiam corporis : ità te quoque multîs millibûs fidelium Christi beatiorem esse, qui occasionem non habent tam multa bona videndi & audiendi (ut qui inter Turcas vel hæreticos vivunt) sicut tu habes : & ideo pro tanto beneficio gratias age.

II. *Legisperito tentanti Christum, Quid faciendo vitam æternam possideret ; respondit. Si Deum toto corde, animâ & viribûs diligeret, & proximum suum sicut seipsum.* Considera, tibi quantumvis probo, nunquam defuturos vel dæmones vel homines, qui sinistrîs suspicionibûs vel vexationibûs tantam probent patientiam. 2. Perpende quàm perfectè, ardenter & purè, excluso omni vano amore rerum creatarum, opum, honorum & voluptatum, diligere debeas Deum : deinde an revera proximum, id est quemlibet hominem tua ope indigentem, sivè fidelis sit, sivè infidelis, diligas sicut teipsum, non solùm corde & verbîs,

sed

sed opere & virtute, ùt exigit Sanctus Joannes & Sanctus Jacobus.

III. *Legisperito quærenti quis esset proximus, Christus respondit: Quidam in via à latronibus vulneratus est. Transiens illuc Sacerdos & Levita, nihil juverunt: sed Samaritanus infundens oleum & vinum, jumentóque impositum duxit in stabulum, & stabulario commendavit.* Considera quemlibet mortaliter peccantem incidere in latrones, nempe dæmones, & spoliari omnibûs gratiæ donîs, ac vulnerari etiam in naturalibus, nec posse curari nisì à Samaritano, id est custode Christo, qui nec *dormiens nec dormitans custodit Israël*, Psal. 120. Soli enim Dei gtatiæ tribuenda est hominis conversio. Is autem peccatori non modo oleum misericordiæ suæ infundit, sed etiam vinum justitiæ, movens ad pœnitentiam, & ità impositum corpori suo: *Deus enim posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*, Isaiæ 52. Duxit in stabulum, id est Ecclesiam; & stabulario, id est Ecclesiæ Ministris; duos denarios, id est potestatem, Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ administrandi, ut curetur à peccatis, impertivit. Considera, quoties animam tuam peccat ô lethalî sauciatam divinus hic Samaritanus sanaverit, ac ipsi nihilominus pro accepto beneficio, quantùm in se fuit, mortem intuleris: qualis est & quanta ista ingratitudo! num pertranseunda districtissimè illius justitia?

DOMINICA XIII. POST PENTEC.

De decem leprosis. Luc. 17.

I. *CHristo occurrente, duodecim Leprosi steterunt à longè & clamarunt: JEsu Præceptor miserere nostri.* Considera per Leprosos decem, designari omnes peccatores vel transgressores præceptorum Deca-

Modlitwa

S. Grzegorza Papieza w Kaplicy S. Jędrzeia w Rzymie złotym charakterem na marmorze wypisana, ktora przez dni 30 codziennie odprawuiący godzinę smierci moiey przed zeysciem przed 3 ma dniami wiedzieć będzie y szczęśliwie umrze.

Oto dziśiay na czole moim kładę Chorągiew Wiary + Znak Zwycięstwa + Tytuł Tryumfalny Chrystusa Zbawiciela, Krola Chwały, Krola Zydowskiego, Syn Błogosławioney Panny Maryi, za nas pod Pontskim Piłatem Ukrzyżowan niech mnie broni od wszelkiey dnia dzisieyszego Turbacyi, mysli

y od przeciwnośći Ciała, od
Naiazdow Szatanskich, od mocy
nieprzyiaciol widomych y nie
widomych tudziesz od wszel-
kich czarow, y od wszelkiego
szkodliwego lub zbytniego po-
karmu y napoiu, bolu y utra
pienia, passyi y smierci, y
od złych ludzi zgorszenia, nie-
bespieczenst smierci, ognia
y woyny, y od wszelkich grze-
chow, y od wszego upadku
y naymnieyszego niewczasu
od nagłey y niespodziewa-
ney smierci, W Imie Oyca
wszechmogącego + y Syna +
tego y Ducha S. + Amen.

Prophetia S. Ma
lachiæ Archiep. Ardmac.
Qui obscuris Symbolis Summos
Pontif. p tot secula comproba
vit et posteris cosignavit.

logi, vel certè, qui incurabiles quaſdam retinent imperfectiones: Ut enim leproſi ſuo fœtido anhelitu alios corrumpunt, ità imperfecti & leves ſua converſatione aliis obſunt. 2. Ut in leproſis multa minuta & fœda erumpunt ulcera & ſemper ſitiunt; ità in imperfectis novi ſemper defectus oriuntur, & nullis voluptatibûs vel recreationibûs ſatiantur. 2. Conſidera, ut tales mundentur, debere ſe ſtare à longè, id eſt, valde ſe humiliare, & indignitatem ac fœditatem ſuam agnoſcere. 2. Toto corde auxilium Dei invocare.

II. *Chriſtus juſſit ut oſtenderent ſe Sacerdotibus: & dum irent, mundati ſunt.* Conſidera Chriſtum mittere Leproſos ad Sacerdotes antequam eos curaſſet: ut diſcas morbos animi non tantùm confiteri Deo, ſed etiam Sacerdoti. Curati verò ſunt in via, dum irent: ut diſcas quanta ſit virtus fidei & obedientiæ, & ideo libenter inſpirationi divinæ parere.

III. *Unus videns ſe mundatum rediit & voce magna ſupplex Chriſto gratias egit, & hic erat Samaritanus & alienigena.* Conſidera Leproſum hunc, quia gratus fuit, majora dona meruiſſe, nempe ſanitatem animæ: Chriſtus ſiquidem ei dixit: *Vade, fides tua te ſalvum fecit.* Cæteri novem, quia ingrati, animâ & corpore perierunt. 2. Conſidera unum tantùm ex decem ſalvari, & veram eſſe ſententiam Chriſti: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi,* Matth. 20. Et ſalvari quidem alienigenam præ aliis: ut ſcias Deum non eſſe acceptatorem perſonarum, ſed omnibus gratiam ſuam impertiri, qui eam non reſpuunt.

DOMINICA XIV. POST PENTEC.

De duobus Dominis. Matt. 6.

I. JESUS dixit diſcipulis: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire: non poteſtis ſervire Deo & Ma-*

mo-

monæ. Considera hic per duos dominos intelligi duos contrarios, Deum & dæmonem, qui dicitur Mammon, id est Deus divitiarum. Hi enim contraria svadent. Deus vult cœlestia appeti, carnem domari, superflua nostra dari pauperibus : dæmon verò vult appeti temporalia, carnem deliciis nutriri, aliena rapi. Si ergò vis Deo servire, necesse est ut cœlestia quæras, non carnis illecebras, non opes, honores, voluptates, quas Deus vult contemni.

II. *Ideò dico vobis, nè solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Considera hic Christum quatuor vel quinque argumentîs probare, nos debere sollicitudinem de rebus ad vitam sustentandam necessariis rejicere in solum Deum, omnium bonorum Auctorem, juxta illud : *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*, Psal: 49. Unde discis, quanta vanitas sit mundanorum, qui à manè ad vesperam nulli rei, nisì victui curando student, ac si Deus non esset in cœlo sollicitus de nobis suis filiis : E contra, quanta felicitas Religiosorum, qui victu & amictu parco contenti, Deo se totos consecrârunt.

III. *Quærite primùm Regnum Dei & Justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Considera tum primò quærere nos Regnum Dei, cùm operam damus, ut simus in gratia, & mandata ejus observemus : per hæc enim pervenitur ad Regnum Dei. Deinde, cùm quidquid cogitamus, loquimur & facimus, ad Dei gloriam & salutem animæ nostræ facimus. 2. Considera, ubi id fecerimus, nobis etiam in amictu & victu necessaria, modò sollicitudinem aliquam moderatam non negligamus, minimè defu-

tura : nam anxiam tantùm & immoderatam sollicitudinem rerum temporalium damnat Dominus.

DOMINICA XV. POST PENTEC.

De *filio viduæ Naim.* Luc. 7.

I. CUm *JEsus appropinquaret portæ civitatis Naim, ecce defunctus efferebatur filius viduæ.* Considera horam mortis omnibus, etiam juvenibus & sanis esse incertam, & ideo vigilare debere. 2. Te tantùm in vita mundo gratum fore, post mortem autem fore statim exportandum, & ideo non mundum, sed sanctam vitam operáque bona amplecti debere cum Christo, quia illa te post mortem non deserent. 3. Defunctũ, spiritualiter significare peccatorem, ob peccatum mortale defunctum Deo, eúmque efferri à quatuor bajulis, quorum duo antecedunt, nempè consvetudo peccandi, & prava societas: duo sequuntur, spes scilicet vitæ longioris, & præsumptio de misericordia Dei.

II. *Dominus viduæ dixit, Noli flere. Et portatoribus stantibus tetigit loculum, dicens: Adolescens, surge. Et resedit, locutus est, & matri redditus.* Considera in hoc exemplo quibũs modîs peccator, vel aliquis multîs imperfectionibũs obrutus resipiscat: 1. Deus calamitate vel fletu illius ad misericordiam movetur: 2. per gratiam & desiderium pœnitentiæ tangit ejus cor: 3. per contritionem ex peccato surgit: 4. loquitur, accusando se in confessione. 5. verbîs Christi & Sacerdotis absolventis, vitæ gratiæ restituitur: 6. portatores stant, id est, deseruntur omnia quæ in peccato eum fovebant: 7. Matri Ecclesiæ restituitur.

III. *Accepit omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, Quia Propheta magnus surrexit in nobis.* Considera-

dera, sicut inter miracula corporalia nullum majus est excitatione mortui, ità inter spiritualia nullum esse majus conversione peccatoris, & ideo sicut homines illi Naimitæ hôc factô profecerunt inreverentiâ & religione erga Deum, cúmque laudarunt & glorificarunt, sic Angeli in cœlo gaudent super peccatore pœnitentiam agente.

DOMINICA XVI. POST PENTEC.

De Hydropico. Luc. 14.

I. *CUm introisset JEsus in domum Pharisæi sabbato manducare panem, ipsi observabant eum.* Considera benignitatem Christi non refugientis consortium hominum improborum, qui ad calumniandum eum observabant, ut suô colloquiô possit eos ab errore & peccatis deducere: unde disce, non esse semper eorum conventum fugiendum; sed laborandum, ut nostrô exemplô verbôque meliores fiant: & si pusillanimis sis: ora Deum, ut audeas ex zelo coram talibus aliquid boni dicere. 2. Nomine panis, indicari sobria debere esse convivia. Certè, Scriptura panem & aquam appellat initium vitæ hominis: & experientia docet centum annis vixisse, qui sobriè pane solo contenti vixêre. Quòd si tibi non liceat per superiores sic vivere, saltèm paucis contentus vive, & respue ferculorum copiam.

II. *Hydropicum ibi præsentem sanat, & probat sanari posse sabbato, sicut asinum in foveam lapsum licet extrahere.* Considera rursus Christi charitatem, quod quavis data occasione, etiam tempore prandii sanet hydropicum, etsi sciret Pharisæis illud displicere. 2. quòd argumentis conatur probare, se posse illis benefacere. 3. quòd occultè conatur eorum hydropisin, id est inflationem & fastum mentis, sanare, & ideo

ideo de humilitate exemplum subjungit. Considera 2. Pharisæos nihil respondere potuisse: quid ergo respondebunt in die Judicii, quando strictissimè omnia inquirentur?

III. *Cùm vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Considera Christiani hominis esse, non solùm civiles mores servare, sed etiam alios, quamvìs prandii tempore, docere. Et si hæc regula, quòd humilis exaltandus sit, fallax sit in mundo, ubi humiliantes se sæpè manent inglorii & contempti: infallibilis tamen est in conspectu Dei, quia Deus, ait Beatus Petrus, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 3. Considera neminem digniùs interesse Convivio cœlesti Sanctæ Eucharistiæ, quàm qui humilis est, dicens cum Publicano: *Domine, propitiùs esto mibi peccatori.*

DOMINICA XVII. POST PENTEC.

De mandato magno in Lege. Matth. 22.

1. L*Egis Doctori roganti, quod est mandatum magnum in Lege? respondit JEsus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, anima, mente, hoc est maximum & primum mandatum.* Considera tunc ex toto corde diligi Deum, quando omnes cogitationes in eum reflectimus: totâ animâ, cùm affectiones omnes in eum convertimus: tota mente, cùm omnes quinque sensus facimus ei servire: denique cùm nihil diligimus nisi propter seipsum. 2. Considera, cùm aliquem diligis, te libenter cum eo colloqui, ejus domum adire, secreta patefacere, cum eo comedere, & munera donare. Sic fac cum Deo. Libenter in oratione & meditatione cum eo colloquâre: templum, quod est ejus Domus, crebro accede, pecca-

ta ejus Vicario confitere, sæpè communica, & teipsum, quô munus eî gratiùs dare non potes, omniáque opera bona offer ad ejus gloriam,& vicissim majora recipies : non enim finit se vinci dilectione aut liberalitate.

II. *Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Considera proximum non esse tantùm amicum Christianum, sed omnes homines tam notos quàm ignotos, amicos vel inimicos, fideles quàm infideles : omnes enim ad Imaginem Dei creati sunt, & unius Parentis nostri Adæ filii, pro quibus omnibus orare debemus, offensas condonare, bona temporalia & spiritualia precari : quia pro omnibus etiam crucifixoribus suis, Christus mortuus est. Expende quàm longè absis à perfectione hujus dilectionis ! 2. Considera tam necessariam esse dilectionem, ut sinè illa nec Deus rectè diligatur : *Qui* enim *non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt*, inquit Beatus Joannes, *quomodò potest diligere* ? 1. Joan. 4.

III. *In his duobus mandatis tota Lex pendet & Prophetæ.* Considera id à Christo dici, non quòd alia præcepta & documenta non sint, sed quòd omnium, quæ præcipiuntur consuluntur, prohibentur, promittuntur & docentur in Prophetis, totáque Scriptura, finis sit dilectio Dei & proximi, ut si illa à quibuscunque tandem operibus etiam optimis absit, nihil prosint ad salutem : qui finis, quò facilior est, & naturæ humanæ convenientior, (amanti enim nihil est difficile) eò studiosiùs eum propositum habere debeamus. Quid faciliùs & jucundiùs, quàm diligere bonum ? quodnam autem Deo majus bonum invenies ? plerique tamen ipsum non amant, ità ut ad ipsum redamandum, nos præceptô obstrin-

gere oportuerit. O amentia! ô cæcitas! ô malitia hominum, qui Deum non amant! ô bonitas & inaudita Dei sapientia, qui non alia ex causa amorem hominum expetit, quàm ut iis beneficia conferat.

FERIA IV. QUATUR TEMPORUM.

De dæmonio muto.

Vide suprà Meditationem Dominicæ 3. Quadragesimæ.

FERIA VI. QUATUOR TEMPORUM.

De conversione Mariæ Magdalenæ.

Vide Meditationem de ejus Festo, 22. Julii.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

De ficulnea plantata in vinea, & muliere inclinata. Luc. 13.

1. DIxit JEsus turbis: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & post tres annos non inveniens fructum in ea, dixit ad cultorem vineæ: Incide illam: ut quid terram occupat?* Considera 1. Deum esse Dominum vineæ; agricolam, quemlibet hominem, qui aliis præest, præsertim Pastores, Concionatores, Confessarios, atque adeò Angelos ipsos custodes; vineam esse Ecclesiam: ficulneam, unumquemque fidelem; tres annos significare tempus cuilibet ad pœnitentiam & conversionem accommodatum. 2. Perpende te esse hanc ficulneam inutilem & infructuosam, quamdiu hæres in peccato, nec fructus facis dignos pœnitentiæ: Et terram frustra te occupare, quando obicem ponis aliorum bonis operibus, quemadmodùm ficulnea protendendo radices & umbram, nocumento est vicinis arboribus. 3. Considera dominum vineæ non præcipere ut excindatur ficulnea, nisi post tres annos: ut videas quanta sit Dei benignitas erga peccatorem, quem etsi damnare meritò possit post per-

perpetratum primum peccatum lethale, finit nihil-
ominus vivere, ac in dies & per multos annos pec-
cata peccatis addere, si fortè convertatur & agat
pœnitentiam.

II. *Agricola respondit : Domine, dimitte illam usque
dum fodiam circa illam, & mittam stercora : & siquidem
fecerit fructum; sin autem, succides illam.* Considera 1.
agricolas rogare Dominum ut expectet donec ex-
colatur & impingvetur arbor, quando Sacerdotes &
animarum Rectores precibûs ac Sacrificiis peccato-
ris conversionem postulant; & circa ficulneam fo-
dere, quando eorum monitîs & concionibûs pec-
catores proficiunt. 2. Considera non evicisse agri-
colam apud dominum vineæ, quin abscissa fuerit
ficulnea & in ignem injecta, quòd tempus conces-
sum ad fructus faciendos jam præteriisset : ut dis-
cas orationes ac bona opera nostra ac præposito-
rum nostrorum, imò etiam Sanctorum Suffragia,
fore inutilia apud Deum, si malè tempus impende-
rimus nobis ad pœnitentiam concessum. 3. Consi-
dera tempus esse elapsum, quando completa est pec-
catorum, mensura, hoc est quando numerus peccato-
rum, quæ Deus statuerat ignoscere, nullâ factâ
pœnitentiâ, completus est. Tunc videlicet Deus
jubet excindi ficulneam, hoc est peccatores repro-
bat, alios citiùs, alios verò seriùs : nullus verò
certus est de completa mensura, etsi nonnullum
possit esse judicium, pura cordis obduratio, non
quòd desint gratiæ sufficientes, quibûs si bene u-
tantur, salvari possint; sed efficaces non percipiunt,
utpote culpâ suâ indigni.

III. *Ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis an-
nis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat
sursum respicere. Quam cùm videret JEsus, imposuit illi
manus, & confestim erecta est : & ait illi, mulier dimissa*

es ab infirmitate tua. Confidera 1. Chriftum Dominum fanaffe hanc mulierem coram judæis, ftatim poft allatam ficulneæ parabolam, ut re ipfa comprobaret, quid hæc arbor fterilis fignificaret, puta hominem, qui ità peccatîs onuftus eft, & terrenis rebus addictus, ut ad cœleftia nunquam fefe erigat, nec de mifericordia, feu gratia confequenda cogitet, quâ valeat fructus dignos pœnitentiæ proferre, qualis erat mifer ifte populus. 2. Confidera Chriftum Dominum ad fanandam hanc mulierem, quatuor egiffe : 1. illam afpexit : 2. illam vocavit ad fe : 3. tetigit : 4. eandem fanatam effe retulit, ut oftendat idem præftare peccatori, cujus nondum eft completa menfura. 1. illum afpicit, gratia præveniente : 2. vocat gratia excitante : 3. tangit vexatione aliqua, fivè interna fivè externa : 4. confert gratiam juftificantem. 3. Perpende quid hæc mulier egerit ut fanaretur : 1. in Chriftum etiam oculos injecit, eundem audivit, & vocata ftatim acceffit : 2. libenter fe tangi permifit : 3. cùm primùm fanata eft, Chriftum glorificavit. Idem contingit peccatori, quando fpiritualiter à Deo fanatur : 1. libenter Dei moventis impulfum recipit, & gratiæ excitanti affenfum præbet : 2. Deo per veram pœnitentiam cooperatur ; 3. memor Beneficii accepti Deum laudat, ejusque gloriam, tum verbîs, tum bonîs operibûs promovet.

DOMINICA XVIII. POST PENTEC.

De Paralytico. Matth. 9.

1. C*Hriftus paralytico in lecto jacenti, ob fidem deportantium eum, dixit : Confide fili ; remittuntur tibi peccata tua.* Confidera Chriftum non rogatum primò ei remittere peccata : ut difcas priùs in te aliisq;

fa-

sanitatem animæ quærere, quàm corporis: deinde, peccata sæpè esse causam morborum. Considera bonum esse te versari in societate multorum piorum, ut si non tua fide & operibûs, illorum saltèm pietate & precibûs sanitatem spiritualem impetres, maximè si paralyticus sis, id est multîs imperfectionibûs obnoxius.

II. *JEsus videns cogitationes blasphemas Scribarum, ait: Quid est faciliùs dicere. Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere, Surge & ambula?* Considera, exemplô Christi nos doceri, ut quoties prava menti obrepit cogitatio, debere reprehensione nostri ipsam mox repelli, dicendo: Ut quid cogitas malum in corde tuo? 2. Servum Dei contra maledicos & detractores non aliîs armîs uti, quàm boni operis exemplô, ùt hic Christus fecit sanans paralyticum, ut ostenderet se posse remittere peccata: quòd Scribæ putabant blasphemum.

III. *Tunc ait Paralytico, Surge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Considera paralyticum intelligi spiritualiter peccatorem operibûs meritoriîs destitutum, vel otiô turpi in sua vocatione manentem. Is 1. Deo confidens à vitiis vel imperfectionibus antiquis debet surgere, per bonum propositum vitæ emendandæ: 2. tollere lectum, id est, corpus suum cogere, servire justitiæ, quod priùs servivit iniquitati, castigaréque illud jejunîs, disciplinîs, &c. 3. vadere in domum suam, id est, bonorum operum exercitio de virtute in virtutem proficere, donec perveniat ad domum, id est, ad Patriam cœlestem.

DOMINICA XIX. POST PENTEC.

De veste nuptiali. Matth. 22.

1. D*Ixit JEsus discipulis parabolam: Rex ad nuptias filii*

 sui

ſui invitavit multos : ſed quidam ſe excuſarunt, alii verò invitatores occiderunt. Conſidera, Deum feciſſe nuptias filio ſuo, quando carnem humanam ex Beata Virgine aſſumpſit, ad quas & tu es invitatus. His qui interſunt, id eſt, Chriſtum per fidem vivam recipiunt, ii ſunt filii, amici & domeſtici Dei, hæredes Regni, fratres & ſocii individui, donorum Spiritûs Sancti & omnium chariſmatum cœleſtium participes : *Qui* enim *adhæret Deo*, ait Apoſtolus, *unus ſpiritus eſt cum eo*, 1. Cor. 6. Conſidera duo genera hominum ſe excuſaſſe, viſentes villam, & negotiatores, id eſt homines ſuperbos & avaros, qui aucupandis honoribus, vel cumulandis opibus hujus ſæculi ſunt addicti.

II. *Rex verò iratus perdidit homicidas, & ex viis publicis alios tam bonos quàm malos invitari juſſit, donec impletæ eſſent nuptiæ diſcumbentium.* Conſidera, quis ſit exitus eorum, qui ad has nuptias venire negligunt, vel etiam invitatores ſuos re ipſa occidunt, vel ſaltèm moleſtè ferunt : ùt ſunt omnes Concionatores, qui ad pœnitentiam &Sacramenta alia homines invitant : poſt breves enim hujus ſæculi voluptates, æterna eos manet damnatio & perditio. Mali in mundo rident & vexant pios crebrò cœleſtes has nuptias per ſacram Communionem frequentantes : ſed poſtea ipſi vexabuntur à dæmonum exercitu in inferno. 2. Conſidera in locum illorum alios invitari ex publicis viis, id eſt pauperes ſpiritu & humiles, qui locum ſuperborum & locupletum ſuppleant, quia ad has nuptias nulli aditus datur, niſi veram colat humilitatem, & fidei conjunctam retineat charitatem.

III. *Rex videns hominem non veſtitum veſte nuptiali, ait : Amice, quomodò huc intraſti? At ille obmutuit. Tunc*

Rex

Rex dixit ministris : Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Considera eum, qui veste nuptiali caruit, licèt interfuerit nuptiis, damnari. Sunt enim aliquando hypocritæ, qui videntur foris pii : cum aliis orant : confitentur, communicant, sed sinè veste nuptiali, id est non sincerè & cum pura intentione Deo placendi vitámque emendandi ; sed fictè, ut tantùm placeant hominibus, vel ut nequitia eorum non patefiat, ut discas talis semper intus esse in conscientia, qualem te exteriùs verbîs & operibûs esse ostendis : tunc enim eris non tantùm inter multos vocatos, sed etiam inter paucos electos.

DOMINICA XX. POST PENTEC:

De Reguli filio. Joan. 4.

I. R*Egulus rogat JEsum ut descendat, sanétque filium suum incipientem mori.* Considera vanitatem omnium, quæ in mundo sunt : quid enim nobilitas & opes profuêre Regulo, ut à morte liberaret filium ? 2. Dei sapientiam tam variîs mirîsq; modîs homines pertrahentem ad salutem : occasione enim hujus lethalis morbi factum est, ut & Regulus quæreret Christum, & tota ejus familia converteretur : ut meritò morbi inter dona Dei sæpè sint reponendi, & optandi potiùs quàm horrendi.

II. *Dixit JEsus ad eum : nisì signa & prodigia videritis, non credetis.* Considera Christum duriusculè alloqui Regulum, tùm quòd fides ejus esset imperfecta : credebat enim ab eo quidem filium sanari posse, sed præsente : & ideo secundò petiit, ut descenderet : tum quia divites in hoc mundo suas habent consolationes, & sæpè tantas, ut nonnisì in-

crepationibûs excitari queant ad curandam salutem. 2. Expende, num aliquid tuæ quoque fidei desit: si enim verè crederes Dei promissionibus de vita æterna, & comminationibus futuri Judicii, Purgatorii, & Inferni longè ardentior esses in exercitatione pietatis, omniúmque bonorum operum.

III. *Dixit ei JEsus: Vade, filius tuus vivit. Credensque Regulus sermoni, ibat: & postquam ex obviis servis cognovit filium reconvaluisse eâdem horâ, credidit ipse & domus ejus tota.* Considera te illum esse Regulum, quia regendas habes potentias animi tui internas & externas, omniáque membra, ut subsint Deo & rationi: filius tuus est anima tua, quæ dum lapsa est in peccatum mortale, aut lapsui proxima est, mox clamare debes ad Dominum: & si firmiter credideris, quòd solo nutu te juvare queat, non solùm anima à peccato liberabitur, sed etiam gratiam consequeris alios convertendi.

DOMINICA XXI. POST PENTEC.

De Rege rationem ponente cum servo. Matth. 21.

I. REx *quidam servo suo decem millia talenta remisit; eò, quòd prociderit in terram, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Considera Regem esse Christum, servum esse quemvis hominem, qui à Deo creatus est, Christi Sanguine redemptus, & in vineam vitæ præsentis conductus, ut Christo serviat. Hic autem decem millia talenta debet, quando decem præcepta transgreditur, quia nullô modô homo satisfacere potest vel pro unius peccati transgressione, sed eget merâ Christi Regis misericordiâ, quam consequetur, si ex parte sua humiliârit se, pœnitentiam egerit, & proposuerit emendationem. 2. Cogita quoties per relapsum ho-

homo' debitum illud decem millium talentorum renovârit, & tamen ex ineffabili misericordia Dei integram, non dimidiam veniam impetrârit, quoad culpæ offensam, & aliquando etiam quoad pœnam, dum fuit contritio vel indulgentia plenaria pœnitentiæ conjuncta.

II. *Ille servus abiens, conservo suo debitum centum denariorum, licèt hic procidens rogasset pro patientia, non dimisit, sed in carcerem misit. Quô cognitò, Rex iratus tradidit servum suum tortoribus, donec universum debitum redderet.* Considera crudelitatem servi nolentis remittere debitum, cùm hoc, nempe decem coronatorum, nullum fuerit respectu prioris, quod erat centum viginti vasorum auri: ut discas te quoque crudelem fore, si injuriam non remittas proximo, cùm hæc nulla sit, respectu injuriæ per peccatum Deo factæ. 2. Considera quid movere te debeat, ut libenter injuriam illatam remittas proximo: 1. quia Deus præcipit diligi proximum: 2. Dei longanimitas in tolerandis impiis & inimicis donec se emendent, idque in annos multos. 3. quia efficeris hoc actu Filius Dei: *Diligite* inquit Christus, *inimicos vestros, & eritis filii Altissimi*, Matth. 5. 3. Perpende, ingratitudine iram Dei provocari, & pœnas peccatorum augeri.

III. *Ità & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Considera quanti faciat Deus dilectionem proximi, quoad condonationem injuriæ, ut suam scilicet dilectionem & misericordiam ei neget, ac præterea in æternas flammas eum detrudat. 2. non sufficere illi, vel ore tantùm fiat remissio, sed ex corde; ut nullam aversionem sentiat in animo, nec recordetur ampliùs injuriæ: Nam etiam in veteri Lege

 scri-

scriptum est: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Lev. 19.

DOMINICA XXII. POST PENTEC.

De numismate census. Matth. 22.

I. P*Harisæorum discipuli cum Herodianis missi, ut Christum caperent in sermone, aiunt: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, nec respicis personam hominum.* Considera quòd sit ingenium improborum hominum, nempe alios malos sibi adsciscere: 2. quod per se nequeunt, id per alios moliri: 3. consilia inire contra bonos: 4. fictè agere: 5. adulari & laudare. 2. Contrà, notam piorum & Christi imitatorum esse, ut sint Magistri, id est, auctores bonorum operum aliis verbô & exemplô, deinde veraces, non ficti, qui scilicet promissa præstent. 3. Viam Dei docentes in veritate, non tractando nugas, sed pia colloquia usurpando, solidas virtutes proponendo & exercendo. 4. Neminem timentes nisi solum Deum, ac omnibus liberè veritatem prædicantes, laudando bonos, increpando malos.

II. *Petentibus an census dandus esset Cæsari, respondit JEsus: Quid me tentatis, hypocritæ? ostendite mihi numisma census. Et obtulerunt denarium signatum imagine Cæsaris.* Considera Dominum adulatoribus non ablandiri, quia solent non laudare, sed suam quærere utilitatem: ut discas non diligere favores humanos: 2. fictos & fraudulentos non posse diu latere: 3. rectè nos facere, quando ex ipsorum verbis ipsos redarguimus: nam quia dixerunt Christum non esse acceptatorē personarum, illis non pepercit, sed hypocritas vocavit. 2. Considera, contra tentationes dæmonis, carnis & mundi, quæ sit

sit imago impressa animæ nostræ, nempe Dei ad cujus imaginem creatus es, & in Baptismo reformatus, adjunctô signô Crucis, cum subscriptione, *Declina à malo, & fac bonum*: quod in Baptismo promisisti. Et si religionem ingressus es, cum inscriptione: *Serva paupertatem, castitatem, & obedientiam*, quia vovisti.

III. *Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Considera nos per libertatem à peccato & dæmone, quam habemus per Christum, non eximi ab obedientia superiorum, tam sæcularium quàm spiritualium: tum quia illi vigilant pro nobis in temporalibus & spiritualibus, tum quia Christus, licèt verè Dominus & Superior omnium, eximi noluit: jussit enim didrachma pro se & Petro dari, nè scandalizaret. 2. Hìc Cæsarem anteponi Deo, quia Deo obedire nequit, qui rebellis est Imperatori, vel Superiori suo immediato, sic neque Deum diligere potest, qui proximum odit.

DOMINICA XXIII. POST PENTTEC.

De Principis filia, & de Hemorrhoissa. Matth. 9.

1. *PRinceps Synagogæ, cùm adoratô Christô petiisset manum imponi filiæ defunctæ, ad domum ejus secutus est, & ejectâ turbâ cum tibicinibus, manum apprehendens, eam excitavit.* Considera tria fecisse Principem illum: 1. se publicè ad pedes Christi abjecit: 2. impensè eum rogavit pro filia: 3. credidit, tactu manuum, posse salvari. Sic si quid exorare velis à Deo, 1. valde humilia te coram Deo: *Oratio enim humiliantis se penetrat nubes*, Eccl. 35. 2. ora, non tepidè, sed cum affectu: 3. cum fiducia te impetraturum nihil hæsitans, ùt docet Beatus Ja-

cobus, 2. Considera Christum omissa concione mox surrexisse, ut promptè operam, cùm exigitur, proximo accomodemus, etiam in temporalibus: Magdalena enim & Martha sunt sorores, hoc est vita activa & contemplativa, seipsas invicem comitantur. 3. Considera per ejectam turbam moneri nos, si velimus à prava vita resurgere, malam societatem deserendam & desideria inutilia.

II. *Mulier sanguinis fluxum diu passa, retrò tetigit fimbriam vestis Christi, dicens intra se: Si tetigero, salvus ero.* Considera, ex multis Christum secutis hanc mulierem tantùm fuisse sanatam, quia non pari fide & devotione cum hac secuti sunt. Nos ergò, qui toties adimus Altare Domini sanctum, videamus, ut debita devotione adeamus, nè tangendo Christum nullum referamus fructum. 2. Hanc mulierem non sanatam, cùm proposuit tangere vestem Christi, sed cùm tetigit: ut discas non satis esse propositum facere vitæ emendandæ, sed re ipsa emendandam. 3. Eam fimbriam, id est, extremam tantùm partem vestis Christi attigisse. Fimbria illa est Christi Passio, respectu totius vitæ, quam si solam humiliter meditando & imitando tangamus, valebit ad omnes infirmitates nostras curandas.

III. *At JEsus conversus dixit illi: Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* Considera Christum sanitatem restitutam non suæ virtuti, sed fidei mulieris tribuere, ut doceret nos in bonis operibus nostris non quærere laudes nostras, sed solam Dei gloriam. 2. Hâc amabilî loquendi formulâ eum declarare voluisse, quàm benignè, non ùt Judex severus, sed ùt clemens Pater peccatorem humilem

lem & compunctum recipiat: deinde, ut novum solatium illi afferet, intelligerétque ipsa se etiam spiritualiter in anima sanatam: Ideo enim vocat filiam.

N O T *A.*

Si Dominicæ post Pentecosten plures sint 24. reliquas post 23. supplendas esse ex iis, quæ residuæ sunt post Epiphaniam; ità ut illa, quæ 24. notatur, semper ultimô locô ponatur.

DOMINICA XXIV. POST PENTEC.

De abominatione desolationis. Matth. 24.

I. DIxit JEsus discipulis: *Cùm videritis abominationem in loco sancto, tunc qui in Judea sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto non descendant: & qui in agro, non revertantur tollere tunicam suam.* Considera, nos hìc doceri, quid agere debeamus, quando est talis desolatio, hoc est, cùm sacra negliguntur, Imagines dejiciuntur, Missa aboletur, Catholici expelluntur, ùt nunc fit toto ferè Oriente, & magna parte Europæ. Primò enim qui in Judæa sunt, id est, constantes manent in confessione fidei Catholicæ, debent fugere ad montes, id est contemplari coelestia, & in bonis coelestibus spem suam figere. 2. manere in tecto, id est, omnia terrena calcare & contemnere, nec solliciti esse de temporalibus. 3. in agro manere, id est in agro & vinea Domini excollenda persistere, & alios saltèm ad fidem convertere.

II. *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus: orate autem nè fiat fuga vestra hyeme vel sabbatho. Erit tunc tribulatio magna, sed breviabuntur dies illi.* Considera quàm periculosè multi hoc tempore fideles, vel inter Turcas vel hæreticos versentur, maxi-

mè qui infantulos nutriunt, id est in fide non sunt fortes, ut pro Christo ferant ludibria & verbera: quotidie enim videmus quàm multi eam ob rem deficiant. 2. orandum esse sæpè Deum, nè in isto frigore exercitiorum pietatis, jejuniorum, aliarúmque pœnitentiarum: vel in sabbatho, id est, negligenti frequentatione concionum & officiorum divinorum in templis, multi fugiant, & à vita sancta desistant. 3. Considera, magnam quidem persecutionem hactenus passam Ecclesiam Catholicam; sed sperandum non diu duraturam, propter electorum preces & opera bona.

III. *Si quis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, in deserto vel penetralibus, nolite credere: sicut enim fulgur exit ab Oriente & paret usque ad Occidentem, ità erit adventus Filii hominis.* Considera hinc manifestum signum dari Ecclesiæ hæreticæ, si in aliquo angulo orbis esse dicatur, ùt in Germaniæ parte, vel Angliæ: sordes enim sunt in angulis. Catholica autem Ecclesia toto orbe spargi debet, & sicut lumen ab Oriente in Occidentem tendere: unde & nostrô sæculô in utraque in Orientali & Occidentali viget, ubi nullus est hæreticus. 2. Considera adventum Christi ad judicium, subitò futurum, & ideo convenienis esse, ut omnes vigilemus (nihil enim illô est incertiùs) & in Ecclesia Catholica Sanctáque vita perseveremus.

ME-

MEDITATIONES DE FESTIS SANCTORUM.

Totô annô juxta ordinem mensium occurrentibus.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI. 30. Novembris.

De vocatione Apostolorum. Matth. 4.

1. *AMbulans JEsus juxta mare, videt duos fratres, Petrum & Andream, mittentes rete in mare.* Considera, quòd viderit eos non tã corporaliter, quàm spiritualiter divino nempe oculorum conjectu, quô eos ab æterno, ad Apostolicum munus elegerat. Verè felix conjectus, qui ex peccatoribus fecit justos, & ex hominibus vilibus, mundi Principes, ex piscatoribus Apostolos. Considera illos fuisse fratres, quia capita Ecclesiæ suæ esse noluit, nisì mutuò se diligentes: *In hoc cognoscent omnes*, inquit alibi Christus, *quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Vis ergo Deum in te oculum defigere? cura ut colas concordiam & unionem fraternam. Considera eos vocatos ex mari, ut exemplô Domini discerent animas ex tempestuoso hujus sæculi naufragio extrahere. Unde non deseruerunt piscandi officium, sed meliùs reddiderunt.

II.

II. *Ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum: & illi continuò relictis retibûs, sicut postea Jacobus quoque & Joannes secuti sunt eum.* Considera subitò secutos, relicto opere imperfecto: ut videas quàm obedientiam exigat à Religioso Deus, qui Apostolicam perfectionem sequi conatur, nempe ut nulla interposita mora pareat superiorum mandato. 2. Considera horum exemplô tria esse relinquenda sequenti Christum: 1. retia, id est opera peccatorum, quibûs homines velut funibûs & retibûs illaqueantur: 2. navem, id est, possessiones mundi & omnia temporalia: 3. affectum erga parentes & cognatos: quod significatum est hìc, cùm Joannes & Jacobus patrem Zebedæum reliquerunt. O quàm felix est relictio & desertio, quæ cum tanto bono, imò cum thesauro omnium bonorum, commutatur.

III. *Vidit alios duos fratres reficientes in navi retia sua, qui & secuti sunt eum.* Considera, hôc exemplô moneri concionatores, qui sunt hominum piscatores, ut aliquando relicta nonnihil piscatione animarum, vacent retibûs reficiendìs, id est colligendo spiritui & emendandìs defectibûs, ut renovato spiritu, postea majore fructu redeant ad piscationem animarum. 2. Considera Petrum, qui designat ferventem actionem, priùs vocatum quàm Joannem, qui significat contemplationem: ut discas non perveniri ad perfectionem contemplationis, nisì, per antegressionem quasì sedulam sui mortificationem.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI.

6. Decembris.

De talentis. Matth. 25.

1. *HOmo quidam peregrè proficiscens vocavit servos suos,* &c.

&c. *& uni dedit quinque talenta, & lucratus est alia quinque,* &c. Considera 1. per talenta designari: 1. bona naturæ & gratiæ: 2. externa & acquisita, puta scientias, honores, dignitates: 3. bona fidelibus propria, eáque malis & bonis communia, veluti fidem, spem, Sacramentorum usum, & jus ad ipsa: 4. solis justis propria, gratiam scilicet & charitatem, quibûs nostram salutem perfectè operamur, & augmentum gloriæ comparamus: 5. gratias gratis datas, non ad proprium commodum, sed utilitatem proximi, nobis à Deo concessas & ordinatas. Considera 2. talentorum hujus mundi solum Deum esse distributorem & largitorem; ac proinde magnas infinitæ ipsius Majestatis gratias exhibendas, non solùm ab iis, qui quinque, sed & ab illis, qui vel unicum vel duo talenta acceperint: nemo enim justè de divina ordinatione, & Dei sapientissimi & infinitè boni dispositione conqueri potest. Considera 3. talenta ideo tibi à Deo esse distributa, ut illis scilicet bene omninò utaris, velut idoneîs instrumentîs, ad gratiam tibi promerendam, & propriam ac proximi salutem diligentissimè procurandam. Considera 4. si nunquam tepidè ac perfunctoriè, sed magno cum fervore Deo semper inservias, & de die in diem magìs ac magìs in virtutibus proficias, fore, ut sub finem vitæ tuæ valeas cum servo fideli sic Deum alloqui: Domine tot vel tot talenta tradidisti mihi: ecce duplo majora per misericordiam tuam lucratus sum. Considera 5. Deum gratiæ incremento in præsenti vita, & gloriæ in futura, remunerari eum, qui fideliter usque ad mortem divinæ servituti fuerit mancipatus: *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

II.

II. Confidera 1. D. Nicolaum ideo ad fublimem fanctitatis gradum afcendiffe, magnamque in cœlo gloriam adeptum effe, quia bene ufus eft talentis ac donîs à Deo acceptîs, idque exercitiô virtutum ac potiffimùm quatuor: 1. fobrietatis: nam cùm infans adhuc fugens effet, in cunis jacens quartîs & fextîs feriîs, ac femel tantùm fub vefperam ubera materna fuxit: quâ infantili fobrietate docuit, quàm caftus, quàm magnus in Ecclefia Dei effet futurus. Eandem enim jejunandi confvetudinem totâ vitâ tenuit: fed & quotidie femel tantùm comedit idque vefperi, & unô contentus ferculô à carnibus femper abftinuit: Lectionem itèm facram, menfæ adhibuit, 2. Confidera, hôc exemplô eum docuiffe quàm falutare fit pueros ab infantia bonis affvefcere operibus, tum quia opera illorum, ut mundiora, ità funt chariora, tum quia plerumque durant in fenium: *Quod* enim *nova tefta capit*, vulgò dicitur, *inveterata fapit*.

III. Confidera alias virtutes Beati Nicolai: 1. charitatem ardentiffimam: nam aurô multô clam in domum cujufdam noctu projectô, patris inopiam & trium puellarum virginum, quæ per proftitutionem corporis coactæ fuiffent nefandum quæftum facere, fuftulit. Deinde Epifcopus factus, pauperibus, viduis & orphanis, aliifque, confiliô, pecuniâ & labore nunquam defuit, nihil fibi refervans nisì vitæ neceffaria, & fupellectilem opportunam. Imò adolefcens adhuc, facultates omnes in pauperes erogavit. 2. humilitatem fingularem: nam ideo noctu aurum in alienam domum injecit, ut opus tam præftans, omnibus ignotum maneret. 3. religionem & devotionem, quâ flagravit: nam Hierofolymam, causâ vifendorum locorum facro-

rum

rum peregrinatus est. Primus in templum orandi causâ se conferebat, postremus exibat, eóque indiciô Mirræ in Licia ab Episcopis congregatis electus est Episcopus, cùm divinitiùs moniti essent eligendum eum, qui primus templum manè iniret.

IN FESTO CONCEPTIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

8. Decembris.

De immaculata ejus Conceptione.

I. CONsidera quomodò Beata Virgo ante constitutionem mundi à Deo electa fuerit & prædestinata, ut esset Dei Mater, & tam excellenti puritate niteret, quantâ nulla ante ipsam creatura nituisset, aliîsque innumerîs dotibûs ornaretur, quæ variîs vaticiniîs in veteri Lege sunt præmonstratæ: ut intelligeremus eam super omnes alios Sanctos colendam, & ad eam in omnibus necessitatibus corporalibus & spiritualibus refugiendum. 2. Considera, si hæc ab æterno de ea facta & dicta sint, eò quòd in utero Filium Dei esset deportatura; quanta puritate, quibûs virtutum dotibûs & nos ornati esse debeamus, qui eundem Dei Filium in Sanctissimo Sacramento toties realiter in ore & utero recipimus, imò quotidie, si Sacerdotes simus, manibûs tractamus.

II. Considera, cur Parentes Beatæ Virginis Joachim & Annam, licèt justos, tamen permiserit esse pauperes & steriles, ac ideo coram mundo contemptos: nempe quia conveniebat nihil cum mundo commercii habere eos, ex quibus nasci debebat ea Virgo, cujus fructus futurus esset ipse Magister & Doctor paupertatis, humilitatis & contemptus sui: sic enim radix germini, & fructus arbori respondit.

dit. 2. Confidera quantô gaudiô hac conceptione affecti fint Angeli in cœlo, Patres Sancti in Lymbo, Parentes Beatæ Virginis Joachim & Anna: intellexerunt enim hôc ipsô fpem injectam brevi reftituendas Angelorum in cœlefti Hierufalem ruinas, & totius humani generis liberationem à tyranni dæmonis & peccati fervitute fecuturam.

III. Confidera Conceptionem fuiffe fingularem, & nunquam à condito mundo auditam, nempe omnis peccati, etiam originalis, expertem. Si enim Beata Virgo concepta fuiffet in peccato, aliquando ferva fuiffet diaboli, & rea æternæ damnationis. Quis autem credat Filium Dei puriffimum, in cujus poteftate erat eligere & condere Matrem, qualem vellet, voluiffe concipi à Matre, quæ aliquando dæmoni infeftiffimo fuo hofti effet fubjecta? 2. Confidera, ideo ab Ecclefia fancta hanc Conceptionem Beatæ Virginis folemniter celebrari; ut pluris meritum Paffionis Chrifti faciamus: meruit enim Chriftus, ut Mater fua, contra curfum ordinarium humanarum generationum, finè peccato conciperetur, ac ut nos in dies majori puritati operam daremus, & per crebras confeffiones aliáque præfidia quadantenus ejus puritatem imitaremur.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.
21. Decembris.

De converfione ejus ab incredulitate. Joan. 20.

I. *THomas unus de duodecim non erat cum eis quando venit JEfus. Dixerunt ergò ei alii difcipuli: Vidimus Dominum.* Confidera Thomam non potuiffe videre Chriftum poft mortem redivivum, quia aberat à domo, in qua congregati erant Apoftoli:

ut

ut intelligas multis consolationibus donisque spiritualibus destitui eos, qui à bonorum societate se temerè segregant. 2. Considera Thomam licèt ad Apostolos tandem rediisset, nè quidem ipsis affirmantibus se vidisse Dominum, voluisse credere: ut discas quantum damnum spiritualis profectus homo faciat, si vel ad breve tempus in mundo vel societate carnalium hominum versetur, nempe ut planè impudens & arrogans reddatur, & judicia aliorum fide dignorum contemnat, ac tandem fide excidat.

II. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & digitum mittam in eam, non credam.* Considera Thomæ similes in hac parte esse, tum sæculares, tum religiosos. Illos quidem, quando in pietate constantes manent, donec prosperè eis omnia cedunt; cùm verò perperam, à pia vita descifcunt. Hos verò quando in officio manent, quamdiu consolationes spirituales affluunt, iis autem sublatis tepescunt, sicut accidit huic Apostolo Thomæ: Nam ante Passionem, cùm cæteri Apostoli dissvaderent Christo nè in Bethaniam iret, ob periculum lapidationis, Thomas spiritu ardens dixit: *Eamus & nos & moriamur cum eo:* & tamen cum aliis, captô Christô, aufugit, & fortè longiùs quàm alii, quia rariùs comparuit.

III. Considera ex commemorato jam dicto apparere, quanto amore erga Christum flagrârit, eôq; exemplô nos doceri, oblata occasione, libenter pro Christo ejusque Fide & Evangelio mori, sicut & ipse tandem mortuus est, ídque in locis totius orbis remotissimis, ut in India Orientali extrema: quod fortè factum fuit, tum ut majorem charitatem erga Deum demonstraret, tum ut lapsum

ſuum hoc labore acuratiùs deleret. 2. Conſidera, cùm Chriſtus poſt ultimam cœnam dixiſſet: *Vado parare vobis locum*, & addidiſſet, *Quò vado ſcitis, & viam ſcitis*; Thomam reſpondiſſe, *Domine, neſcimus quò vadis*. Unde intelligis eum tam humilem fuiſſe, ut non erubuerit palam ignorantiam ſuam fateri: deinde exemplum dediſſe, ut non oſcitanter, ſed diligenter ſenſum verborum Chriſti ſcrutemur, & è peritioribus percontemur.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS. 26. Decembris.

Chriſtus prædicit occidendos Prophetas. Matth. 23.

1. DIxit JEſus turbis & Principibus Sacerdotum: *Ecce mitto ad vos Prophetas, ſapientes & ſcribas, & ex illis occidetis.* Conſidera ineffabilem Dei bonitatem erga ſuos, quòd cùm ſciret ſe, Stephanum, Apoſtolos paulò poſt, talia paſſuros (non enim prædixiſſet, niſi ſciviſſet) tamen & ipſe prædicare perrexerit, & Apoſtolos miſerit: ut diſcamus dum docemus, concionamur, vel aliud bonum aliis præſtamus, non ſtatim deſpondere animum, vel Provinciam docendi relinquere, ſi fructus non reſpondeat. 2. Conſidera ejuſdem ſapientiam, cur ſciens, prudens, tanta mala permiſerit: ut videlicet Judæi ſuum Meſſiam, imò ipſum Creatorem ſuum (quô nullum atrociùs malum excogitari poteſt) in crucem agerent, Stephanum lapidarent, Jacobum Apoſtolum trucidarent, Apoſtolos flagellarent: permiſit autem, quia maxima bona inde elicere norât: diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum: Ex Chriſti enim morte, ſecuta eſt ſalus mundi: ex morte reliquorum, converſio multorum, magnum meritum ipſorum, ædificatio po-

posterorum, & multitudo miraculorum : & nominatim ex oratione Sancti Stephani pro lapidantibus facta, teste Sancto Augustino, conversio Beati Pauli.

II. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina pullos suos sub alas, & noluisti.* Considera incredibilem charitatem Christi erga Hierosolymitanos, quòd eos tum, cùm omni amore essent indignissimi, imò capitales sui inimici, vocet filios; quòd se non patrem vel dominum eorum, sed matrem vocet, & talem quidem matrem, quæ proinde nos amet, ac gallina pullos : (nihil enim intensiùs & teneriùs amare solemus, quàm fœtus parvulorum hominum & bestiarum) ut inde discant omnes Superiores, quanto amore subditos interiùs & exteriùs prosequi debeant, licèt malos & immorigeros, ut eos juvent. 2. Considera gallinam in eo maximè amorem erga pullos ostendere, quò clamore & rostrô eos defendat cum periculo vitæ suæ contra rapaces milvos : deinde, quòd ut illos alat, se fame conficiat, & macie consumatur, demum & alîs contra æstum, frigus aliáque incommoda contegat : ut discant, qui alios regendos & erudiendos habent, sæpè monere ut caveant à laqueis dæmonis, labori non parcere ut illi proficiant in literis & virtute, duabúsque alîs veritatis & disciplinæ eos in officio contineri.

III. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Considera quàm gravî pœnâ tandem mulctentur à Deo, qui postquàm multîs beneficiîs affecti sunt, tamen iîs contemptîs in sua improbitate obstinatè persistunt, ut scilicet non solùm deserantur ipsi, sed etiam posteri eorum, & è medio tollatur domus

 ora-

orationis, nempe templum, hoc eſt, omnis cultus divinus tollatur, ac proinde & omnia ſpiritualia ſubſidia. Cogita, ſi magnîs multîsque beneficiîs à Deo hactenus affectus ſis, & maximè ſi ad Eccleſiaſticum vel etiam Religioſum ſtatum te vocârit, quô majus beneficium nulli contingere poteſt, an vocationi tuæ facias ſatis: ſi enim ſecus fiat, verendum erit, nè domus tua, id eſt anima, quæ eſt templum Spiritûs Sancti, omnibus ſpiritualibus præſidiis propter ingratitudinem deſtituatur.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

27. Decembris.

Chriſtus Petrum vult ſe ſequi, & Joannem manere. Joann. 21.

1. DIxit JEſus Petro: *Sequere me, Petrus autem ſecutus eſt, & diſcipulus quem diligebat JEſus, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus.* Conſidera Chriſtum ſimul atque Petrum ſummum ſuæ Eccleſiæ Paſtorem præfeciſſet, ab eo exigere, ut etiam, in anima pro ovibus ponenda, ſe ſequatur, qui & paratum ſe oſtendit, mox Chriſtum diſcedentem è loco ſecutus: ut diſcant, qui ad prælaturas & regimen aliorum vocantur; non ad quietem & honores, ſed ad labores & paſſionem ſe vocari. 2. Conſidera Joannem, ſi non re ipſa quoad mortem, ſaltèm voluntate & opere, citra mortem, ſecutum Petrum & Chriſtum: nam in Actis Apoſtolorum, incarceratus & flagellatus eſt: Romæ etiam à Domitiano in ferventis olei dolium injectus, calicem venenô infectum ebibit, in Pathmo exulavit, cum Matre Dei metu mortis poſitæ ſub cruce Chriſti ſte-

ſtetit, Chriſtus Matrem ei ſub cruce commendavit. Denique chariſſimus Chriſto fuit ob caſtitatem & charitatem, quam unam omnibus uſque ad mortem commendavit, dicens: *Filioli diligite invicem, & ſufficit.*

II. *Cùm vidiſſet Petrus Joannem ſequentem, dicit JEſu: Domine, hic autem quid? Et reſpondit: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.* Conſidera hìc Chriſtum curioſitatis vitium, ut aliàs in Martha, Joanne & Jacobo, reprehendere in Sancto Petro, quòd plùs æquô ſollicitus ſit de obitu Sancti Joannis: id enim pendebat ex judicio ſolo divino, nempe in hanc linguæ intemperantiam lapſus, quòd plùs æquô amaret Sanctum Joannem optaretque eum ſuæ Paſſionis ſocium. Unde diſce, ſi curioſitatis vitiô deliquerit in hoc genere is, qui jam erat ſummus Pontifex conſtitutus, & eô ipſô, curam ſuſceperat Sancti Joannis velut ovis, quantùm delinquant illi, qui aliorum curam non gerunt. 2. Conſidera modeſtiam Sancti Joannis, nihil de ſuæ vitæ exitu ſolliciti, nihil ex Domino percunctantis, quia in ſola Chriſti providentia & voluntate aquieſcebat, ac cùm Davide dicebat: *In manibus tuis ſortes meæ, ùt jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum:* Ut diſcas neglectis hominum perſvaſionibus animum ſervare liberum & æquabilem, & libenter illud amplecti quod Domino viſum fuerit, dicendo: *Fiat voluntas tua.*

III. *Exiit ſermo, diſcipulum illum non moriturum, & tamen non dixit JEſus, Non morietur, ſed ſic eum volo manere.* Conſidera humilitatem Sancti Joannis, qui cùm ex reſponſione Chriſti natam illam opinionem adverteret ſe non moriturum, non dubitavit illam confutare in ipſo Evangelio à ſe ſcripto, dum

quasi negat illam ſententiam verbîs Chriſti ſubjectam, nè vanâ gloriâ efferretur; cogitans ſe non meliore conditione fore quàm Chriſtum & Beatam Virginem, qui mortui fuiſſent. 2. Conſidera, quare Chriſtus ambiguè locutus fuerit, ut certa de exitu Sancti Joañis non potuerit ex ejus verbis elici ſententia, nempè ut doceret noſtrum non eſſe curiosè ſcrutari & ſcire futura: 2. ut ſuperbiam humani ingenii ſupprimeret, & ſcirent homines ſinè ſingulari auxilio Spiritûs Sancti non poſſe intelligere ſacrarum Scripturarum myſteria.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

28. Decembris.

De fuga in Ægyptum. Matth. 2:

I. *ANgelus in ſomnis dixit Joſeph: Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Conſidera Chriſtum à primo ortu ſuo cœpiſſe pati ærumnas & perſecutiones: ut diſcas, ſi diſcipulus Chriſti eſſe velis, paratus eſſe ad tentationem: & cùm actu pateris, tunc te verè diſcipulum eſſe, ùt loquebatur Sanctus Ignatius: *Omnes*, inquit Apoſtolus, *qui in Chriſto piè vivere volunt, perſecutionem patientur.*

II. *Qui conſurgens, accipit puerum & matrem ejus nocte & ſeceſſit in Ægyptum.* Conſidera promptiſſimam obedientiam Joſeph, mox licèt nox eſſet, ſurgentis & totam rem Beatæ Virgini indicantis. Cogita, ut commota primò ſint tenellæ Virgini viſcera, ut ſe illico collegerit, & ad iter, ut erat obedientiſſima, parârit: quomodò puerulum excitârit, & ploranti compaſſa ſit, cogitans has dolorum eſſe primitias, quas Sanctus Simeon prædixerat. 2. Conſidera, quàm magnâ in Dominum fiduciâ, cu-

jus

jus se voluntati devoverant, exilium susceperint, & pauculîs panibûs & pañis in asinum conjectîs (in paupertate enim tanta facilè erat se parare) in viam alacriter se dederint. Quæ enim causa timendi erat de infelici successu, si Deus iter illud mandabat, si Deum brachiîs suîs portabant? 3. Considera an te quoque adjungere velis in viam, & rogare Beatam Virginem, ut oneris sui deportando Filio velit participem facere: Et si illa assenserit, cogita tu ipse, qui soles fugere labores, & amare quietem, quanto corporis sudore tam longam peregrinationem, thesaurum pretiosum deportando confecerit.

III. *Et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut impleretur Prophetia: Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Considera Beatam Virginem, ubi in Ægyptum pervenit, ibi non invenisse aut Regium Palatium tantô Filio dignum, aut commoda ad fessos artus refocillandos necessaria. Si enim inter cives suos in Bethleem obtinuit aliud nihil quàm stabulum & præsepè in quo illum collocaret; quid meliùs obtinuerit apud barbaros & infideles? Ut ergò paupercula erat & peregrina, ità & in vilem se domunculam vel tugurium receperit, & labore manuum suarum unà cum Josepho quotidianum victum comparaverit. 2. Considera quantâ curâ totô hôc exilii septenniô dilectum Filium suum educârit, quâque cautione & reverentia contrectârit, quem sciebat suum esse Dominum & Deum, quanta religione flexîs genibûs eum è cunis sublevârit, in easdem reposuerit, quantô gaudiô affecti sint ambo Parentes, quando eum jam ætate crescentem, per domum ambulantem, de divinis rebus loquentem, & orationi vacantem viderunt & audierunt.

II. PARS.

De nece Innocentum, & reditu ex Ægypto pueri.

I. HErodes *videns se illusum à Magis, iratus occidit omnes pueros in Bethleem, à bimatu & infrà.* Considera quid non ausus fuerit scelestus ille Rex, ut Regiam dignitatem, quam habebat, non amitteret. Quæ enim tyrannis immanior esse potuit, quàm tam copiosum effundere sanguinem, tot infantes jugulare, tot matres resistentes & abscondentes filios suos confodere? tot patres orbare filiis hæredibus? *O cæca,* ait Beatus Leo, *stultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas divinum tuo furore consilium! Dominus mundi non temporale quærit regnum, qui præstat æternum.* Hinc disce, quousque amor inordinatus progrediatur: & certò tibi persvade te quoque in eundem impacturum scopulum, nisi mortificationi tuarum passionum operam dederis.

II. Considera quanta Dei bonitas reluceat in istorum infantium gloria: ut: quòd Deus eorum mortem non solùm pro Sacrificio, sed etiam pro Martyrio acceptârit: ubi non fuit votum occisi, sed necessitas; non desiderium morientis, sed crudelitas occidentis; non meritum, sed infortunium. Omnia enim supplevit divina gratia, mutans miseriam in coronam, & casum in meritum: ut discas in imperfectionibus tuis, si pusillanimis sis, non desperare: Deus enim paratus est; modò bona in nobis voluntas sit, imperfectum nostrum supplere.

III. *Defuncto Herode, Joseph ab Angelo jussus rediit in teram Israël, & audiens Archelaum regnare, abiit in Galilæam, & habitavit in Nazareth.* Considera Dei providentiam erga suos in medio persecutionum eorum recordantis, & suo tempore juvantis. Cogi-

ta

ta quantum hôc nunciô Sancti illi recreati sint: quâ alacritate iter ingressi, lacrymantibûs Ægyptiis, qui eorum sanctitatem norânt. Vide puerum JEsum jam grandiusculum, propriis pedibûs cum baculo in manibus cum fatigatione ambulantem. Vide eos in summo æstu sæpè humi sinè umbraculo in locis desertis sedentes, destitutos necessariô cibô potuque, noctu verò speluncâ aliquâ, & in nuda terra recubantes. 2. Considera Josephum reversum in terram Israël, licèt sciret Deum esse protectorem suum, tamen noluisse redire in Judæam: ut discas homines justos, licèt de sua salute securos, non debere se objicere periculis, & Deum tentare; sed ex parte sua, quando possunt, declinare. Sicut & ideo fugit in Ægyptum.

IN FESTO S. SYLVESTRI PAPÆ.

31. Decembris.

De *lumbis præcingendis.* Luc. 12.

I. DIxit JEsus discipulis: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris* Considera 1. castitatem quam lumbi præcincti significant, facilem esse, ad sanctitatem, viam, & ab ea sumendum esse initium. 2. Præcinctis lumbis significari castitatem comparari & conservari corporis afflictionibûs. 3. Considera, gestandam esse lucernam manibûs, hoc est, charitatis opera esse exercenda, sinè quibus nemo dives salvari potest. In utroque Sanctus Sylvester emicuit. Prima viam illi ad Sacerdotium fecit, imò ad summum Pontificatum: ob secundam, quòd Timothei corpus propriis manibûs sepelisset, traditus est in custodiam.

II. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis.* Considera 1. quâ vi-

vigilantiâ Paterfamilias ſub veſperam ab uxore, liberis ac domeſticis expectatur domi, præſertim cùm illius reditus incertus eſt, quoties de illo ſubrepit cogitatio, ac ſermo habetur. Hic eſt veri ſervi Chriſti typus atque exemplar, qui omnes in illum cogitationes intentas habet. 2. Perpende ſi par eſt quemquam vigilare, maximè Sanctos, quòd nempe graviori jacturæ obnoxii ſint quàm alii. Hâc maximè vigilantia Sanctus Sylveſter excelluit, qui Pontifex Maximus, premente Eccleſiam perſecutione ſub Conſtantino, noctes omnes vigilabat in ſpeluncis deliteſcens, fusîs precibûs ac lachrymis ad Deum, tum pro hujus Imperatoris converſione, tum pro tuendo grege ſibi commiſſo: evicítque hôc pactô ut ſanatum à lepra, Imperatorem ſalutaribûs undîs tingeret, ſicque Chriſtianorum numerum ampliaret. Eâdem vigilantia ad damnandam Arianam hæreſim in Nicæna civitate trecentorum octodecim Epiſcoporum Concilium coëgit.

III. *Si ſciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, utique vigilaret.* Conſidera eos verè dici patresſamilias, qui plures filios ſpirituales habent; ac eoſdem verè vigilare, cùm de illorum promovenda ſalute ſolliciti ſunt: hac ratione non modò Prælati ac Sacerdotes patrisfamilias nomen obtinent; verùm etiam ſæculares, qui pro modulo ſuo peccatoribus inſtruendis ac convertendis incumbunt. In his totus fuit Sanctus Sylveſter, qui tot infideles convertit, & quidem penè innumeros vel in uno Imperatore Conſtantino. O meritò patrisfamilias nomine dignum! 2. Conſidera latronis adventu mortem atque obitum deſignari: hæc enim unumquemque diripit, Sanctos æquè ac peccatores, & quidem incautos ac minùs cogitantes, latronis inſtar.

ſtar. Itáque non minùs animæ ſaluti invigila quàm corporis, cùm nocturnum latronem times: ſi enim ſcires quâ horâ venturus eſſet, vigilares utique. Sic ſe geſſit Sanctus ille Pontifex, quem etſi mors abſtulit, attamen non incautum, imò benè paratum & omnibûs virtutibûs ornatum.

IN FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

2. Februarii.

De Purificatione Beatæ Virginis, & pueri JEſu præſentantione. Luc. 2.

I. *DEtulerunt parentes puerum in Templum, ut præſentarent eum Deo tanquam primogenitum, offerentes pro eo conſvetum munus par turturum, aut duos pullos columbarum.* Conſidera pueri JEſu humilitatem ſemper creſcere, natus erat ùt pauper, circumciſus quaſì peccator, nunc offertur ùt ſervus quinque ſiclis redimendus. 2. Parentum paupertatem, qui quoniam agnum emere & offerre non poterant, offerunt par columbarum. Sed ſinè myſterio id factum non eſt, quia umbræ & typo præferri debuit veritas: puer enim erat verus Agnus, qui tollit peccata mundi, & ſeipſum tunc Deo offerebat pro ſalute noſtra, paratus ſuo tempore pati. 3. Expende quid duo pulli ſignificent: nempe nos, qui Deo nos ſæpè offerimus, debere eſſe ſimplices, omnis doli expertes, charitate magna præditos (ſunt enim columbæ ſociales) & fœcundos in bonis operibus.

II. *Simeon veniens eâdem horâ in Templum, accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine.* Conſidera quantâ reverentiâ puerum in medio templi à Beata Virgine exceperit: quàm devotè manantibus præ gaudio lachrymîs,

ſit

ſit oſculatus, & pectori ſuo applicuerit: quot laudes de eo dixerit, quòd eô viſô paratus fuerit mori. Qui enim Chriſtum diligit, facilè vitam hanc & omnia temporalia contemnit. 2. ob quas virtutes meruerit videre & recipere: 1. quia erat in eo Spiritus Sanctus, cui parens venit in templum: 2. quia juſtus, id eſt, ab omni peccato liber, & omni virtute ornatus: 3. quia timoratus timore filiali: præſentem enim quaſi Deum ſemper cernens timebat peccare: 4. expectans conſolationem Iſraël, id eſt, adventum Chriſti. Non poteſt enim Deus iis deeſſe, à quibus avidè expectatur. Has virtutes & tu ſequere, ſi quando cum fructu vis Chriſtum non in ulnis, ſed ore & corde recipere in Sancta Euchariſtia.

III. *Anna ſuperveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël.* Conſidera Deum nullam habere acceptionem perſonarum, ſexûs, ætatis, conditionis, ſed tantùm virtutis: 2. ideo ſenes duos hìc in exemplum proponi, ut diſcas in virtutum ſtudio perſeverandum uſque in finem vitæ, quô dignus ſis recipere Chriſtum, & in æternum retinere: 3. vide ob quas virtutes meruerit videre Chriſtum: 1. quia annîs ferè octuaginta caſtè vixerat: 2. quia non diſcedebat de templo: 3. orabat die ac nocte: 4. jejuniis aliiſque pœnitentiis affligebat corpus ſuum: 5. omnibus laudes Chriſti aññunciabat.

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

24. Februarii.

Matth. 11.

I. JESUS *dixit: Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Conſidera JEſum exultaſſe ſpiritu, cùm hæc verba proferret, ut refert Beatus Lucas, id eſt, ingen-

genti spirituali gaudiô æterno Patri, qua homo erat, egisse gratias, quòd fidei Christianæ mysteria, non hujus sæculi sapientibus, qui, omnia ratione & intelligentiâ, metiuntur, neque prudentibus, qui non quærunt nisi quæ sua sunt, id est opes, honores & voluptates carnis, patefaceret; sed tantùm parvulis, id est humiliter de se sentientibus & judicium suum Deo subjicientibus: utì erat Beata Virgo, quæ licèt esset Mater Dei, tamen se vocabat ancillam: utì Sanctus Matthias cæteríque Apostoli, qui gloriabantur se non aliud scire, quàm JEsum & hunc crucifixum. 3. Considera, primariam quidem hujus rei causam non esse aliam quàm divinam voluntatem: subjunxit enim hic Christus: *Ità Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*: tamen quia illa voluntas non potest non esse sapientissima & rationi maximè congruens, & illa addi causa, quoniam homo, sicut & Lucifer Angelus, per fastum & superbiam salute exciderat, decuisse contrario antidoto humilitatis potest & saluti restitui.

II. *Venite omnes ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Considera Domini bonitatem neminem omninò à gratia & salute excludentis, si parvulus in oculis suis & humilis esse velit: *Vult* enim *omnes homines*, ait Beatus Paulus, *salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. 2. Considera, invitari maximè eos, qui laborem sustinent & difficultatem in superandis tentationibus dæmonis, mundi, & carnis, & onerati sunt vel pondere gravium scelerum, vel magnarum multarúmque imperfectionum: omnes enim paratus est reficere, vel liberando eos à dictis laboribus & oneribus, vel communicando gratiam ut tribulationes fortiter ferant. 3. Considera nos quoque debere cooperari Christo, nempe venire, non corporeo motu, sed spirituali,

utpote per mentis converſionem, deſiderium Deo placendi, dolorem de peccatis, propoſitum emendandæ vitæ, & imitationem virtutum humilitatis & manſvetudinis: nam ſubdit.

III. *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris: Jugum enim meum ſvave eſt, & onus meum leve.* Conſidera non ſatis eſſe ut credamus in Chriſtum, & onere peccatorum liberi ſimus; ſed opus eſſe non tam onus quàm jugum doctrinæ Evangelicæ & divinorum præceptorum, (ac ſi religioſus ſis, etiam conſiliorum) in humeros noſtros ſuſcipere: quod non grave eſt, ſed leve; non amarum, ſed ſvave, ſicut aviculis ſvave levéque eſt jugum alarum, quia earum ope volant. Unde Sanctus Joannes diſertè dicit: *Mandata ejus gravia non ſunt*: Et Rex David: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* Conſidera, levia & ſvavia reddi omnibus, qui verè Deum diligunt, & in ejus gratia ſunt: amanti enim nihil difficile. 2. Qui ſpiritum ſequuntur, non carnem: ſpiritus autem promptus eſt, caro autem infirma. 3. Qui cogitant quanta merces parata ſit in cœlis. 4. Qui oculos in Chriſti vitam & Paſſionem conjiciunt. 5. Qui cum Chriſto humiles ſunt & mites corde.

IN FESTO S. JOSEPHI.

19. Martii.

De Virginitate Beatæ Virginis ſponſo Joſeph revelata.

Matth. 1.

I. *CUm eſſet deſponſata Mater JEſu Maria Joſeph, antequam convenirent inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto.* Conſidera quare non de ſimplici virgine, ſed de deſponſata Chriſtus concipitur: 1. ut per

per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur: 2. nè lapidaretur à Judæis adultera: 3. ut in Ægiptum fugiens haberet solatium & adjutorem: 4. ut partus ejus celaretur diabolo: ut discas dona cœlestia non facile mundo & dæmonibus patefacienda, nè margaritas projiciamus ante porcos, & nè per vanam gloriam ea amittamus. 2. Considera Beatam Virginem, etsi sciret se gestatione uteri causam suspicionis & mœroris daturam Josepho; tamen innocentiæ suæ consciam & in Deo confisam, conticuisse: ut discas non turbari si quando iniquè infameris, modò conscientia te non redarguat: fiduciam autem omnem reponere in Deo, qui non negliget innocentiam tuam, cùm opus erit, patefacere toti mundo.

II. *Joseph cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Considera, licèt Joseph secundùm Legem potuerit accusare & repudiare Virginem postquàm cognovit esse gravidam, tamen ad tuendum ejus honorem maluit eam dimittere occultè: ut discas omnium proximorum nomen & famam, etiam post eorum lapsum, quoad fieri potest, tueri: deinde eum priùs rem diu expendisse, quàm aliquid decerneret, & ideo apud Deum meruisse mysterii revelationem: ut discas in rebus dubiis non præcipitare consilium, sed invocatô Dei auxiliô sedulò perpendere quid opus sit factò. 2. Considera, si Deus, & Matrem suam & Sponsum ejus justum permisit tantopere affligi, non esse quod nos peccatores queramur, si aliqua afflictione à Domino visitemur: si enim justi simus, proderit ad meritum; si imperfecti, ad vitæ emendationem.

III. *Hæc eô cogitante, Angelus Domini in somnis apparens ei, dixit: Noli timere accipere Mariam conjugem*

tuam

tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est : pariet autem filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Considera quanta mysteria Angelus paucis his verbis sit complexus. Revelavit enim jam adesse Salvatorem tantopere à Patribus expectatum, omnes divinas promissiones vocesque Prophetarum completas, Conceptionem ejus esse miraculosam, nempe opus Spiritûs sancti, & ex Matre Virgine profectam salutem quoque ab hoc Salvatore expectatam, non esse temporalem, sed spiritualem & æternam : addidit enim Angelus : *Ipse salvum faciet populum à peccatis eorum.* 2. Considera quantô gaudiô perfusus fuerit sanctus Joseph, postquam è somno evigilavit, dum videt se non modò ab omni metu & suspicione liberum, sed etiam in tantam dignitatem evectum, ut esset electus in Sponsum Custodemque Matris Dei, imò in Nutritium ipsius Messiæ & Salvatoris. Unde nec dubium est eum statim ad pedes beatæ Virginis tum fortè precibûs vacantis accidisse, & veniam pro erratis & suspicionibus humiliter postulâsse, unaque cum ea, Deo pro revelatione facta, gratias egisse : ubi discas in Deo, si quando ad tempus affligeris, spem omnem collocare, qui suo tempore novit cum tentatione facere proventum, exiguumque mœrorem amplissimis compensare consolationibûs.

MEDITATIO II.

De beati Josephi excellentiis.

1. COnsidera ex paucis, quæ de beato Josepho, Evangelistæ ac sancti Patres prodiderunt, cognosci facilè posse, quàm eximius sanctitate fuerit : Primò enim in Evangelio vir justus appellatur, hoc est, qui non modò cuique suum tribueret; sed qui omnium virtutum genere præditus esset,

set, in utroque autem ità excelluit, ut non modò ab omni lethali culpa, sed ab omni etiam propè veniali, quoad vixit, immunis fuit. Nonnulli etiam Doctores arbitrati sunt ab utero matris esse sanctificatum, & perpetuam, quam à teneris annis Deo voverat, virginitatem coluisse. 2. eximia illius sanctitas etiam ex nomine innuitur: Joseph enim filius accrescens dicitur: sic enim in dies crevit gratia, quam à Deo acceperat, ut ad extremum usq; spiritum novîs incrementîs aucta fuerit. 2. Ex affinitate quam cum JEsu & Mariæ nominibus Josephi nomen habet, sic malignis spiritibus est formidandum, quàm piè ipsum invocantibus comprobatur esse propitium.

II. Considera sanctitatem beati Josephi elici, quòd Deiparæ Virginis sponsus fuerit, ac proinde omnium illius gratiarum prærogativâ insignitus, ut ipsa beata Virgo ad Deiparæ dignitatem evecta pares huic dignitati gratias ac munera consecuta est. In aliis connubiis cedunt in mulierum decus virorum prærogativæ, sed hìc à conjuge totus splendor in sponsum dilabitur, unô verbô, ut æqua fuit utriusque conditio, prope sic parem sanctitate ac virtutibus beata Virgo sponsum habere debuit: unde ut hominum mediatrix esset Maria apud filium, ità eorumdem mediator Joseph apud Mariam & Christum: & quidem in summa laudum mariti Gorgoniæ ex Gregorio hæc fuit, quôd Gorgoniæ maritus fuerit, satis Josephum laudare est, cùm Mariæ sponsum prædicas.

III. Considera aliud sanctitatis Josephi argumentum, quòd Christi nutritius haberetur, ac esset: hoc enim nomine parem in Christum cum parente Virgine potestatem ex connubii legibus conse-

cutus est: utì enim agri dominus metallorum illic nascentium possessor est, ità jure matrimonii in corpus Virginis, & in fructum illius potestatem habuit ac dominium: porrò familiæ caput cùm esset Joseph, in JESUM ac Mariam, quâ constabat, dominium consecutus est, ac proinde illi JESUS subditus erat ùt Parenti, Virgo verò ùt Sponso. Proh dignitatem! subditum habere illum, cui cœlum & terra famulatur! Deinde si inter natos mulierum non est natus major Joanne Baptista, quòd præco Christi fuerit; quantò major beatus Joseph, qui & Patris ac Rectoris Christi nomen sortitus est. Si denique beatissima Virgo sanctitate & gratiâ Sanctis omnibus excelluit, ità ipse eosdem virtutum omnium prærogativa antecessisse meritò putandus est.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS B. V. MARIÆ 25. Martii.

Angelus nunciavit beatæ Virgini, ipsam concepturam filium. Luc. 1.

1. *ANgelus Gabriel beatam Virginem in Nazareth salutans, divinique Verbi conceptionem ei nuncians, dixit: Ave gratiâ plena, &c. Ecce concipies in utero & paries filium.* Considera Angelum beatam Virginem non in publico, sed domi in cubiculo reclusam, & in rerum divinarum meditatione suspensam invenisse: ut discas, si Angelicâ consolatione frui velis, continere te domi, & orationi vacare. 2. Considera, quanto splendore Angelus complerît virgineum cubile, quanta submissione eam salutarît, dicens: *Ave gratiâ plena*, nec mirùm, quia alios Sanctos tantùm ornarât quibûsdam donîs gratiæ, hanc autem complevit omnibûs. Si autem gratiâ plena erat ante Christi conceptionem, quantum

tum

tum gratiæ post conceptionem accesserit. 3. Considera vocari plenam gratiâ apud Deum, ut nos ad eam tamquam patronam, advocatam, & mediatricem refugium haberemus; ut sicut per eam Christum habuimus, ità sciremus & cætera dona per ejus intercessionem deinceps obtenturos.

II. *Maria turbata est hoc sermone, & cogitabat qualis esset cogitatio, addens: Quomodò fiet illud, quoniam virum non cognosco?* Considera eam turbari, quoniam proprium est castarum virginum ad præsentiam virorum turbari: deinde quia tanta laude se indignam putabat: Sancti enim & humiles, quò plùs laudantur, hòc magìs pudefiunt: solent enim inquirere, non in virtutes, sed in defectus, ut eos emendent. Turbata est, sed non perturbata: nam cauta & prudens expendere cœpit, qualis esset salutatio, antequam responderet. 2. Considera zelum castitatis beatæ Virginis: licèt enim firmiter crederet perfici debere, quidquid Deus per Angelum promisisset, nempe se parituram, tamen modi ignara percunctabatur, quomodò, cùm votô se obstrinxisset de servanda virginitate, parere posset, nec ante mater Dei esse consensit, quàm inviolatam fore virginitatem suam cognovit.

III. *Cùm Angelus dixit: Spiritus sanctus superveniet in te, &c. Maria respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Considera, præsentem cum Angelo quasi assistere sanctam Trinitatem, & expectare filiæ suæ responsum, observaréque humilia verba ex ejus ore egressura: ipsam verò post sermonem Angeli positîs humi genibûs, manibûs verò oculîsque in cœlum sublatîs, humiliter & cum lacrymis respondisse: *Ecce ancilla Domini, &c.* ut discas quamprimùm ad divinum servitium vo-

caris, & re sedulò discussâ, advertis vocationem esse à Deo, non diu cunctari. 2. Considera beatam Virginem paucîs hîs verbîs magnas virtutes nobis imitandas expressisse. 1. obedientiam promptam in re ardua, dum ait, *Ecce*. 2. humilitatem, dum sciens se electam in Dei matrem, vocat *ancillam*. 3. caritatem ardentem & zelum pro salute aliorum, dum ait, *fiat mihi*. 4. fidem, cùm ait, *secundùm verbum tuum*: firmissimè enim credebat promissum Angeli complendum, & verè prolatîs hîs verbîs illico concepit in utero Deum hominem.

IN FESTO MARCI EVANGELISTÆ.
24. Aprilis.

De septuaginta discipulorum electione & missione.
Luc. 10.

1. POst *hæc designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem, in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus.* Considera 1. Christum Dominum multos habere in domo sua, hoc est Ecclesia, ministros, nonnullos Apostolos, discipulos alios, alios Evangelistas, Prophetas, ac linguarum Interpretes. Non omnibus datur Apostolico munere fungi, sed unicuique satis esse debet in ea, quâ vocatus est, vocatione ambulare: nihil enim vile aut abjectum est in summi Dei ministerio. 2. non esse cujusquam seipsum divinæ servituti immiscere, quantumcunque infimæ. 3 Perpende Christum Dominum binos ac binos discipulos mittere: ut discas Evangelii ministris necessariam esse caritatem, quæ duorum numerô tum erga Deum ac proximum designatur. *Si caritatem non habuero, nihil sum.* Hac caritate sanctus Marcus maximè enituit, ex quo præsertim inter Christi di-

sci-

ſcipulos eſt annumeratus: hac virtute etiam Evangeliſtæ munus aſſecutus eſt, & Petro cariſſimus munia Apoſtolica obire, ac martyrii tandem palmam adipiſci.

II. *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Conſidera 1. meſſem eſſe ampliſſimam: quot enim omnis generis peccata non modò apud infideles ac hæreticos, verùm etiam apud Chriſtianos reſecanda atque amputanda reperias? ſi totus mundus aliàs ab Apoſtolo in maligno eſſe dictus eſt, quantò ampliùs hac tempeſtate id ipſum comprobatur. 2. Meritò Chriſtum dixiſſe meſſem eſſe amplam, paucóſque eſſe operarios: ſeptuaginta enim duo tantùm cum illo computabantur, cùm ad quatuor vel quinque millia virorum, qui eum ſequebantur, parata eſſe meſſem viderentur: nunc verò exigua meſſis, ac operarii, vel qui hoc nomine cenſentur, multi: quot enim Sacerdotes putes ac Religioſos vitiis deditos, quot ignaros, vecordes ac otioſos reperias? Populo interim vitiîs ac ignorantiâ pereunte, non utique otioſam vitam egit D. Marcus: egregiam enim navavit operam, tum in conſcribendo Evangelio, tum in peragrandis Ægypto, Alexandria, aliiſque regionibus, vocandiſque hominibûs ad Chriſtum, ad extremum uſque ſpiritum deſudavit. Quàm paucos ejuſmodi operarios hodie computabis? nonne igitur rogandus Dominus meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam?

III. *Ego mitto vos ſicut agnos inter lupos: nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.* Conſidera 1. operarios Evangelicos debere inſtar agnorum magnam profiteri benignitatem. 2. Impios, uti

utì paganos ac hæreticos meritò lupos appellari, ob immanitatem ac rabiem quâ adversùs Sanctos desæviunt. 3. Sanctum Marcum instar agni fuisse inter lupos, cùm inter ipsa sacra mysteria crudelissima morte est interfectus. 4. Christum discipulos sinè sacculo, pera ac calceamentis mittere, ut homines, divinæ providentiæ esse fidendum doceret, nec deesse quicquam sperantibus in Deum, ac regnum illius provehentibus. Argumentum habes in D. Marco, cui, quoad vixit, omnia cumulatissimè divina providentia suppeditavit.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI MINORIS, APOSTOLORUM.

1. Maii.

Non turbetur cor vestrum, &c. Joan. 14.

I. JESUS dixit discipulis: *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.* Considera hominem in fide vera & cultu pietatis constantem nullam habere causam tristitiæ vel perturbationis: *Hæc enim est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*, ait beatus Joannes. Et ideo sanctorum Philippi & Jacobi aliorúmque Apostolorum in summis tribulationibus, adeò non sunt animi turbati, ut etiam gauderent, quòd illîs digni facti essent: Imò sanctus Jacobus ex pinnaculo templi dejectus, pro suis interfectoribus orabat.

II. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si minus dixissem vobis: Vado parare vobis locum.* Considera Christum hîs verbîs Apostolos, & nos animare, & multa pro ipso perferenda, quasì diceret: Estote bonô animô, nihil frustra pro me patiemini: siquidem tam varia in cœlo parabo vobis præmia, quàm fuerint vestra merita, quia ibi quis-

quiſque recipiet ſecundùm ſua opera. Unde, teſte beatô Paulô, ſicut ſol claritate à luna & aliis ſtellis differt, ſic & Sancti different inter ſe. 2. Conſidera, ſi velis ad locum beatitudinis ante conſtitutionem mundi, imò ab æterno, tibi aliiſque electis paratum venire; neceſſè eſſe ut illum cum Chriſto tibi præpares. Chriſtus eum præparavit ſua Paſſione, Aſcenſione & miſſione Spiritûs ſancti, tu verò ſimiliter bonîs operibûs & paſſione: *Chriſtus* enim *paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum.*

III. Conſidera virtutes Apoſtolicas Jacobi fratris Domini, imitatione dignas. Vinum & ſiceram ab infantia non bibit, carnibûs & piſcibûs abſtinuit, lineâ tantùm veſte uſus, non oleô unctus, non balneô uſus, ità ſæpe in genua procumbens, ut callum obduxerit ad modum cameli: tam ſanctus, ut fimbriam veſtis populus conaretur attingere, ut ſolus intraret Sancta Sanctorum: nonagenarius pro Chriſto lapidatus, & fullonis fuſte enectus. Sanctus Philippus totus fuit in concilianda Dei cognitione & dilectione apud homines: Nathanaëlem adduxit ad Chriſtum. Per viginti annos deſudavit in Aſia, ubi innumeros infideles convertit: tandem pro Chriſto flagellari, lapidari, crucifigi, ac mori meruit.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

3. Maii.

De Nicodemo & regeneratione. Joan. 3.

I. *NIcodemus Princeps Judæorum, cognitis, miraculis Chriſti, nocte eum adiit, inſtrui ab eo deſiderans.* Conſidera bona fortunæ non eſſe magnifaciendà, cùm hunc Nicodemum, nobilitas generis & doctrinæ præſtantia (erat enim Phariſæus) impedierint quò minùs palam auderet ſequi Chriſtum.

2. Conſidera illos noctè Chriſtum adire, quos pudet coram hominibus frequenter confiteri, comunicare, flexîs genibûs orare, pia colloquia habere, *&c.* Hi ſanè hoc terribile ipſius Chriſti verbum debent timere: *Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram Patre meo.* Idcirco etiam Chriſtus Dominus auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ac Miſſæ ſacrificium inſtituit, quòd ſacratiſſimæ Hoſtiæ & Calicis elevatione ſignificatur. Ea itèm de cauſa ſignum Crucis in omnibus Sacramentis ac cæremoniis impenditur: atq; crux ob id erat in templis templorúmque pinnacúlis, viis publicis ac plateis erecta: & hôc ſacratiſſimô ſignô Chriſtiani omnes, ſingulìs diebûs ac momentîs, data quaque occaſione, ſe muniunt. Hæc eſt, unô verbô, inſtitutionis hujus Feſti ratio, aliorumque omnium, præter poſteriores duas Quadrageſimæ hebdomadas, & ſextas quasque ferias, quibus peculiaris cultus ſacratiſſimæ Cruci exhibetur. 3. Nota ſapientiam Chriſti, neque ruditatem ejus, quia ex ſignis factis colligit Chriſtum tantùm eſſe Prophetam; neque timiditatem, ſtatim reprehendentis; ſed poſt detectam majorem ignorantiam, cùm dixit: *Tu es Magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?*

II. *Dixit ei* JESUS: *Niſì quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei: quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Conſidera Chriſtum præcipua fidei capita hìc tradere illi, ùt de Baptiſmo & ſancta Trinitate (nominat enim Patrem, Filium & Spiritum ſanctum) de Pœnitentia, de Incarnatione, de ſigno Crucis & Paſſione, de Aſcenſione in cœlum, de vita æterna. 2. Conſidera te, ſicut dum eſſes infans, non potuiſti ſalvus fieri, niſì per Bapti-

ptiſmum renaſcereris ex aquæ elementaris ablutione & gratia Spiritûs ſancti, ſic neque nunc poſtquam relapſus es vel in unum peccatum mortale, poſſe te venire ad regnum Dei, niſì renaſcaris & renoveris per pœnitentiam ex aqua lacrymarum, id eſt contritionis & abſolutionis Sacerdotis, quâ confertur gratia Spiritûs ſancti. Deinde niſì ſecundùm ſpiritum, & non ſecundùm carnem deinceps vitam inſtituas: *Quod enim eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Si ſpiritu vivimus*, ait Apoſtolus Gal. 5. *ſpiritu & ambulemus.*

III. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto*, *ità exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat.* Conſidera Chriſtum loqui de ſua crucifixione futura: nihil enim ſæpiùs vel clariùs præfiguratum, vel prædictum à Prophetis fuit, quàm Chriſti Paſſio: & ideo Eunuchus Reginæ Candacis, intellectô locô Iſaiæ de Paſſione, mox converſus eſt, & à Philippo baptizatus. 2. Expende cur Chriſtus in extrema Cœna Euchariſtiam etiam confici voluerit in commemorationem ſuæ Paſſionis, niſì, ut diſcas, nihil æquè ad converſionem peccatoris, ad vitam ſanctam inſtituendam ad pœnitentiam, ad gratias continenter Deo agendas poſſe movere, ac meditationem crucifixionis Chriſti: nec mirùm, quia per illam omnes Prophetiæ impletæ ſunt: & ideo dixit, *Conſummatum eſt.* 3. Conſidera vocem *oportet*: nec enim tantum oportuit, quia prædictum fuit, ſed quia ab æterno ità Filius Dei decreverat, & Pater, ut fieret, ex mero amore in nos, mandaverat. O incredibilem ſanctæ Trinitatis erga nos indignos amorem!

IN FESTO S. BARNABÆ APOSTOLI.

11. Junii.

De missione Apostolorum. Matth. 10.

I. *ECce ego mitto vos sicut oves inter lupos : estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Considera 1. Apostolum idem esse ac missum : ut discas nullum esse munus Ecclesiasticum suscipiendum, nisi ad id legitima vocatione deputeris. Unde qui ad Prædicationis munus sinè ulla missione sese ingerunt, gravissimè delinquunt, nec à Christo deputati esse censendi sunt. 2. Apostolorum munus, Apostolicásque virtutes non incongruè trium animalium typis adumbrari, ovium, serpentium ac columbarum : ovium quidem, ob singularem benignitatem ; serpentium, ob prudentiam ; & columbarum, ob simplicitatem : quas in D. Barnaba præclarè expressas habes, præsertim cùm à Paulo discedere non est veritus ad tempus, ut cognatum suum Marcum, qui ab utroque defecerat, Christo recuperaret : in hoc enim non minùs simplicitatis ac benignitatis, quàm prudentiæ specimen edidit.

II. *Cavete ab hominibus : tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos.* Considera 1. non minùs esse cavendum ab hominibus, quàm à feris agrestioribus : 1. quòd feræ ut plurimùm procul à nobis absint, boni verò sint malis admixti in hoc mundo : 2. quòd feræ minimè nos inducant in peccatum, ùt plerique homines ac mulieres. 3. Plùs etiam cavendum esse ab hominibus quàm à dæmonibus : plùs enim ab his abhorremus quàm ab illis, utpote nobis similibûs, quibûs idcirco dæmon utitur ad struendas nobis insidias. 4. Si quibus est ab hominibus cavendum, maximè iis, qui alio-

aliorum saluti incumbunt ; quantò magis à vanis laudibus & exhibito nobis honore, quàm ab ipsa persecutione, atque adeò maledictis ac probris est cavendum. Hôc D. Barnabas exemplô comprobavit, qui oblatos sibi honores acerrimè respuit, nec graviter tulit se à Paulo, cui datus fuerat Apostolatûs ac peregrinationis comes, esse rejectum, collocata omni spe in Deum, à quo non erat repellendus, quod res ipsa comprobavit: nam post exantlatos multos labores in adhortandis & conciliandis Christo Domino hominibus, tandem martyrii palmam est consecutus.

III. *Eritis odio omnibus propter nomen meum : qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Considera 1. parvì esse pendenda hominum odia, cùm ob divinum cultum & præceptorum ipsius observantiam excitantur, imò verò utiliùs esse nos odio ab hominibus haberi, quàm ab iisdem redamari: redamando enim nos mundus ad se allicit, odiô verò propulsat atque avertit: quò fit, ut faciliùs spernatur ac abdicetur. 2. quod subinde suppetunt pleræque virtutum occasiones, puta humilitatis, patientiæ, spei, caritatis Dei ac proximi, quæ nimio mundi affectu ac studiô periclitantur. Hujusmodi odium D. Barnabæ emolumento cessit: cùm enim aliàs Judæis Christum Messiam esse validissimîs rationibûs comprobasset, ab iis lapidibûs appetitus, crúdeliter interfectus est: 3. Perpende non esse satis, persecutiones ac varia cruciatuum genera diu tolerasse pro Christo; sed ad obitum usque perseverare, si cum Apostolo isto velis æternæ felicitatis gloriam adipisci.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

24. Junii.

De S. Joannis Nativitate. Luc. 1.

I. *ELizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium: Vicini autem & cognati congratulabantur ei.* Considera nullum Sanctorum esse post Christum & Beatam Virginem, in quem æquè oculos conjicere debeamus: ac in Sanctum Joannem Baptistam, cujus laus non solùm est crebra apud Sanctum Lucam & Evangelistas, verùm etiam apud Sanctitatis omnis Auctorem Christum, nunc illum præferentem inconstanti populo, nunc Patribus & Prophetis, nunc omnium mulierum filiis, nunc inter Angelos ponentem: ut dubitare non debeas laude dignissima, quæ de ejus virtutibus scribuntur. 2. Congratulati sunt Beatæ Elizabeth amici & cognati, quòd tandem ejus votô satisfatum esset ut sterilis pararet filium, secundùm Angeli prædictionem, & quidem prædictionem tam magnificam: Dixerat enim eum fore magnum coram Domino, non coram mundo, replendum Spiritu Sancto, vinum & siceram non bibiturum, filios Israël conversurum, &c. ut discas gratulari proficienti in virtute, non autem proficienti in opibus & vanitate sæculi.

II. *Die octavo circumcisus est puer: & cùm cognati vellent eum vocari Zachariam, mater & pater Zacharias ex instinctu Angeli vocari jussère Joannem.* Considera Joannem fuisse circumcisum, non quòd opus haberet (erat enim in utero sanctificatus) sed ut exemplô Christi obsequeretur Legi, nullique offendiculum præberet. 2. Considera, non esse illi impositum nomen paternum, sed Joannis, id est gra-

tiæ Dei. Ipse Præcursor erat futurus auctoris Legis & gratiæ & digito eundem demonstraturus: *Lex enim & Prophetæ usque ad Joannem.* 3. Illud in circumcisione impositum: ut intelligamus signum esse gratiæ Dei in nobis habitantis, si à corde nostro omnes carnales cupiditates rescindamus, eò quòd in uno corde non possit simul versari Christus & mundus.

III. *Et factus est timor super omnes vicinos eorum in corde dicentium: Quis puer iste erit? & Zacharias repletus est Spiritu Sancto, prophetans: Benedictus Deus Israël,* &c. Considera populum propter miranda, quæ acciderunt in nativitate Sancti Joannis, mente sciscitari, qualis tandem futurus sit? Sed Angelus id aperuit, fore magnum coram Deo, severam vitam acturum, magnô zelô improbos reprehensurum, & ad pœnitentiam adducturum, alios etiam pertracturum ad vitam perfectam: ut scias has virtutes esse imitatione dignissimas. 2. Zachariam patrem Sancti Joannis post lingvam solutam, mox erupisse in laudes Dei: ut disceremus, cùm gratiâ aliquâ spirituali vel temporali donati sumus, statim nos debere suæ Divinæ Majestati ore operéque gratos exhibere: sic enim gratiam acceptam conservabimus, augebimúsque.

MEDITATIO II.

De vita & virtutibus in Evangelio expressis.

1. CONsidera, cùm Christus clarè dixerit Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexisse majorem Joanne Baptista:* ob quasnam virtutes tantum præconium meruerit, & invenies præcipuè tres, humilitatem scilicet, vitæ severitatem, & charitatem in Deum & proximum: propter hæc enim tria pii

etiam

etiam apud vulgus hominum Sanctitatis opinionem conciliare solent. Primò ergò expende in quo declarârit humilitatem, declaravit autem 1. in eo quod cùm multi etiam Pharisæi & Sadducæi, Baptismi ab eo suscipiendi causâ, confluerent, palam fassus sit post se venturum alium, cujus non esset dignus corrigiam calceamentorum solvere: cogitârant enim multi in corde suo, fortè ipsum esse Messiam: deinde, cùm Christus ipse advenisset, humiliter restitit, dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* 2. Cùm Judæi ad eum misissent Legatos, & Sacerdotes & Levitas, rogatûm, an esset Messias, an Elias Propheta: negavit se esse eum: tametsi sinè mendacio potuisset se Eliam & Prophetam vocare: nam Christus ità eum vocavit. Cùm verô iidem urgerent, Quis ergò esset? respondit, se esse *Vocem clamantis in deserto*, qua nil fragilius. 3. Cùm ejus discipuli rursum jactarent, respondit: *Christum oportet crescere, me autem minui, qui de cœlo venit, super omnes est: qui de terra est, de terra loquitur.* Ecce ex humilitate vocat sua dicta terrena, Christi cœlestia. 4. Humilitatem etiam vili victu & amictu, cùm tamen nobili stirpe esset oriundus declaravit.

II. Considera vitæ austeritatem: 1. in habitatione, quia à prima pueritia in sollitudine vixit usque ad annum ætatis trigesimum: 2. in victu, quia cibus ejus fuit locustæ & mel sylvestre, potus aqua: vinum enim & siceram non bibit, teste Angelo: 3. in vestitu, qui fuit ex pilis camelorum, cum zona pellicea. Adjunge duritiem lecti, nempe terræ, continuas quasì vigilias, preces, meditationes rerum divinarum diu noctúque. Unde Sancti Patres eum vocant Principem Patriarcham Eremitarum & omnium Monachorum; nam egressus è

sol-

sollitudine, discipulos, quos collegit, docuit jejunare, cùm tamen Christus id non exigeret à suis discipulis.

III. Considera charitatem & zelum, quòd omnes hortaretur ad pœnitentiam, confessionem peccatorum, Baptismum, & fructus pœnitentiæ dignos, id est, ad bona opera : 2. quòd milites, publicanos & mulieres, & alios quosvis homines institueret quomodò vivere deberent: 3. quòd discipulos collegerit, ut eos postea mitteret ad Christum, utì misit Andream Apostolum : 4. quòd ubique non tam sui quàm Christi honoris rationem habuerit, & illi testimonium præbuerit: 5. quòd liberè Sadducæos & Pharisæos hypocritas arguerit, & progeniem viperarum vocârit, & ignem inferni, veram non agentibus pœnitentiam, minatus sit : 6. quòd Herodem Regem reprehenderit, & pro veritate sanguinem fuderit.

IN FESTO SS. PETRI & PAULI APOSTOLORUM.

19. Junii.

De remuneratione confessionis Petri, Matth. 16.

1. *CHristus quærit ex discipulis, Quem dicunt homines filium hominis? Respondent, alii Joannem Baptistam, alii Eliam.* Considera humilitatem Christi, quòd dum scit Petrum confessurum se esse Filium Dei vivi, vocat se Filium hominis : ut discamus semper submisse de nobis sentire & loqui: si quam autem mereamur laudem, illam ab aliis potiùs enunciandam, juxta illud: *Laudet te alienus, & non os tuum.* 2. Considera ideo varias fuisse opiniones de Christo in turba hominum, quia inter se erant divisi, & nullum certum caput vel Doctorem seque-

quebantur. Apoſtoli verò, quia ducem & caput habebant Petrum, in opinione de Chriſto conſenſere; ut diſcas, ſi errare nolis, libenter ſubjicere judicium tuum Eccleſiæ; ſummo Pontifici, ſuperiori.

II. *Vos autem, quem me dicitis eſſe? Reſpondens Simon dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Tunc JEſus: Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi.* Conſidera, quòd Dominus in quæſtione poſita diſcrimen faciat inter homines & diſcipulos, quaſi non homines eſſent, inquit Hieronymus; ſed Dii quidam: ut oſtendat honorificè loquendum de Miniſtris Eccleſiæ: deinde, plura exigi ab his & Religioſis, qui majora dona à Deo acceperunt à Deo, quàm à plebeis, juxta illud: *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo.* 2. Conſidera, dum Chriſtus laudans Petrum ob profeſſionem Fidei, vocat beatum, ſimul occaſionem præbere non efferendi ſe, quia addit, non carnem & ſanguinem, ſed Patrem cœleſtem id ei revelaſſe: ut diſcas moderatè ſemper, cùm opus eſt, homines laudare, nè locus ſit vanæ gloriæ.

III. *Ego dico tibi, Quia tu eſt Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & dabo tibi claves Regni cælorum,* &c. Conſidera, Chriſtum hìc Simonis nomen mutare in Petri, & cum nomine novo facere priùs petram, ac deinde fundare ſuper eum Eccleſiam: ut utraque re moneretur conſtantiæ in confeſſione fidei factæ, tuendæ & conſervandæ, ac ut ſinè trepidatione primatum, licèt rem arduam, in ſe ſuſciperet; ſciens, nec inferni portas contra petram prevalituras: Quò diſcas, cùm arduum aliquod officium tibi à ſuperiore imponitur, non defutura præſidia divinitùs, quibus illud ſuſtineas

cum

cum fructu. 2. Considera summum Christi amorem in nos & Ecclesiam, quòd Apostolis, eorúmque duci & capiti imprimis, tam admirandam reliquerit potestatem in terris, ut scilicet in potestate eorum esset aperire & claudere cœlum, ac quod proprium est Dei solius, remittere & ligare peccata: & quod ampliùs est, eandem potestatem ratam esse voluerit, etiam in simplicissimis Sacerdotibus, licèt malis. Quid hôc cogitari potest mirabiliùs?

MEDITATIO II.

De Sancti Petri vita.

I. CONsidera, cùm Sanctus Petrus Princeps Apostolorum fuerit, cur à Christo illi Principatus fuerit delatus: nec dubium, quin ob eximias virtutes, quas deprehendes imprimìs, tres; fidem, humilitatem & ardentem charitatem. Fidem ostendit excellentem in eo quòd Christo roganti discipulos, quid de se sentirent, ipse solus mox dixerit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: ob quam professionem ei promissum est, quòd caput Ecclesiæ esset futurus: Deinde Christo ambulante super aquas, & ipse insiliit in aquas, fidens potentiæ Christi, & super eas ambulavit. In quem locum scribens Hieronymus: *In omnibus locis*, inquit, *ardentissimæ fidei invenitur Petrus.* Ad hæc cùm tota nocte laborans, nihil cepisset piscium; *In verbo tuo*, inquit ad JEsum, *laxabo rete*: & tot capti sunt, ut ruptum sit rete. Post Resurrectionem verò, cùm stante Cristo in littore, Joannes diceret, *Dominus est*; Petrus tunica succinctus abjecit se in mare.

II. Considera ejus humilitatem: nam apud Lucam, conspectô miraculô capturæ piscium, in ge-

nua procidens se Christi præsentiâ indignum censuit, & dixit: *Exi à me, quia homo peccator sum.* In lotione etiam pedum horrore concussus: *Domine*, inquit, *tu mihi lavas pedes*? Post Ascensionem Christi, cùm fuisset jam Pastor summus, passus est se mitti ab aliis Apostolis in Samariam, & apud Simonem coriarium hospitatus est, & palam à Beato Paulo reprehendi sustinuit, memor scilicet dicti Christi: *Qui major est in vobis, fiat sicut junior, & qui præcessor, sicut ministrator.* Denique capite in terram verso petiit affigi, nè æquaretur Christo.

III. Considera summum ejus amorem in Christum, & zelum: nam Joan. 2. cùm Christus tertiò ab eo rogasset: *Diligis me plùs his?* respondit, *Domine, tu scis quia amo te.* Declarârat autem sæpiùs, ut cùm relictîs retibûs secutus esset Christum. 2. Cùm Christo narrante se occidendum, eum increpavit, & dixit: *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc.* 3. cùm nocte, quâ captus est Christus, dixit: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor in te*: cùm pro defensione Christi Malcho resecuit aurem: cùm captum usque in atrium Principis Sacerdotum secutus est: cùm post negatum Christum, flevit amarè. Clemens Romanus scribit eum quoties gallum cantantem audiret in genua procidisse, & flevisse. 4. cùm Christo dicente, *Non habebis partem mecum, si non lavero pedes tuos*, obtulit & manus & caput. 5. cùm expiscatus est ex Joanne, Quis traditurus esset Christum? nam *Si scivisset*, ait Chrisostomus, *dentibûs discerpsisset.* 6. cùm ex zelo post acceptum Spiritum Sanctum, primus prædicavit Christum: & initiô tria millia, post quinque millia convertit: Ananiam & Saphiram, quia promissa non servârant, extinxit, claudum sanavit:

Cor-

Cornelium gentilem baptizavit cum tota domo. 7. cùm passus est pro Christo: *Majorem enim charitatem nemo habet, quàm qui animam dat pro amicis suis.*

MEDITATIO III.

De Sancti Pauli virtutibus.

I. COnsidera, quænam præcipuè virtutes emicuerint in Sancto Paulo Apostolo, quòd post Beatum Petrum tanti fiat in Ecclesia: & invenies ternas maximè emicuisse; humilitatem, amorem erga salutem proximi, & desiderium ardens patiendi pro Christo cum fortitudine singulari conjunctum. Humilitatem ostendit statim in conversione sua, cùm de cœlo vocatus, dixit: *Domine, quid me vis facere?* Divinæ voluntati se subjiciens, & Ananiæ institutioni. 2. cùm ad Corinthios scripsit: *Non judicavi me scire aliquid nisì JEsum, & hunc crucifixum:* Et *Novissimè omnium Christus tanquam abortivo visus est & mihi: ego enim sum minimus Apostolorum, quia non sum dignus vocari Apostolus: Gratia autem Dei sum id quod sum.* Et, *nihil minùs fui ab iis, qui supra modum sunt Apostoli, etsi nihil sum.* Et ad Thimotheum: *JEsus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* 3. cùm vocat se *servum & vinctum JEsu Christi*. 4. cùm licèt à Deo ductus, post annos aliquot Prædicationis venit Jerosolymam ad Apostolos, ut conferret cum illis Evangelium, nè fortè in vanum curreret.

II. Considera flagrantem amorem erga salutem proximi, quem ostendit ità scribens Romanis: *Veritatem dico in Christo, optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Et ad Corinthios: *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos*

facerem. Et, *ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris, licèt plùs vos diligens, minùs diligar.* Unde, cùm nullam mercedem ab illis ob prædicationem recipere vellet, sed propriis manibûs nocte laboraret; ità scripsit: *Bonum est mihi magìs mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.* Deinde ex carcere scripsit Philemoni pro Onesimo servo furace, ut eum recipiat in gratiam: *Tu*, inquiens, *illum ut mea viscera suscipe.*

III. Considera amorem ejus in Christum, & ardens desiderium pro eo patiendi, quod declarârat, ità scribens Romanis: *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo JEsu.* Et Galatis: *Mihi absit gloriari nisì in cruce Domini nostri JEsu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: Ego stigmata Domini JEsu in corpore meo porto, Christo confixus sum cruci.* Et Corinthiis: *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Ter virgìs cæsus sum, ter naufragium feci*, &c. Et tandem pro Christo passus est.

IN FESTO VISITATIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

2. Julii.

De Maria cognatam suam visitante. Luc. 1.

I. EXurgens *Maria abiit in montana cum festinatione, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elizabeth.* Considera ardentem Beatæ Virginis charitatem, postquam Christum in utero concepit, quòd cùm sola inter domunculæ suæ secretum vivere consve-

vis-

vissct, nunc eam nec ætas tenella, nec virginalis verecundia, nec montium asperitas retardavit quominùs inviseret cognatam suam Elizabeth. 2. profundam humilitatem, quòd cùm esset facta Mater Dei, ac ideo dignissima, quæ visitaretur, non verita est se demittere, instar ancillæ, ad visitandam Elizabeth, longè se inferiorem. 3. diligentiam in itinere perficiendo, & fervorem, quia cum magna festinatione, & pedes, in comitatu aliquot pauperum virginum, imò Angelorum multorum, cum summa modestia & alacritate per aspera montium eucurrit. *Nescit tarda molimina*, ait Sanctus Ambrosius, *Spiritûs Sancti gratia.*

II. *Ut audivit Maria salutationem Elizabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta Spiritu Sancto, exclamavit : Benedicta tu inter mulieres : unde hoc mihi, ut Mater Domini veniat ad me ?* Considera quàm Beati sint, qui visitantur à Maria: nam ejus præsentiâ & Sanctus Joannes in utero existens repletus est Spiritu Sancto, & ipsa Elizabeth: ac Joannes quidem rationis usu divinitùs in eo accelerato, præ gaudio exultavit, tentans ex utero egredi, ut Christum cum Matre videret. 2. Considera quomodò Sancta Elizabeth ruat in amplexus Beatæ Virginis, dicens: Benedicta sis arbor, benedictus & fructus ex tali arbore productus. Unde ergò merui, ut tu Dei Mater venires ad me, cùm ego potiùs, utpote serva & ancilla tua, debebam venire ad te? Sed humilitas tua voluit prævenire me, sicut postea est præventurus Filius tuus Filium meum, cùm petet ab eo baptizari. 3. Considera, si Elizabeth ob adventum Beatæ Virginis exclamat, *Unde hoc mihi*; quid nos dicere debeamus, qui sumus

pleni peccatis, cùm toties domum animæ nostræ ingreditur Filius Dei in Sancta Eucharistia.

III. *Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum. Et mansit cum illa quasì mensibùs tribùs, & reversa est in domum suam.* Considera quantò hoc laudum præconiò Maria rubore suffusa fuerit; quomodò se contra dejecerit: & cùm ignem cordi inclusum ampliùs coërcere non posset, oculìs in cœlum sublatìs, gloriam omnem in Deum transtulerit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*, à quo omnia bona sunt mihi hactenus collata: Infans quoque Joannes ob meam præsentiam exultat, ac spiritus meus exultavit in Deo salutari meo. 2. Considera quantìs lætitiìs incesserint duæ illæ Beatæ Matres, quibûs laudibûs, quâ gratiarum actione Deum pro suæ conceptionis beneficio sint persecutæ, quanta charitate & studio Beata Virgo omnia servilia ancillarum officia per totos tres menses ibi exhibuerit, quomodò se mutuò humilitate & charitate prævenerint, ac denique quanta cum consolatione Beata Virgo tandem domum, ut concursum hominum in nativitate Joannis futurum fugeret, revenerit, O anima mea! utinam comitari potuisses Mariam per illos montes! utinam licuisset videre svaves illos Sanctarum Matrum amplexus! inaudire mutua salutationis officiosæ verba! non dubito quin cum Sacra Virgine occinuisses sacrúm canticum *Magnificat*. Nunc autem, quia corpore non potes, spiritu saltèm te misce tantìs gaudiìs, abjice te ad pedes nunc hujus, nunc illius, & in utero Beatæ Mariæ adora Sponsum, in utero verò Beatæ Elizabethæ sponsi amicum.

IN

IN FESTO B. MARIÆ MAGDALENÆ. 22. Julij.

De conversione ejus. Luc. 7.

I. *CHristo invitato & accubante in Pharisæi domo, ingressa est mulier, quæ fuerat in civitate peccatrix, deferens alabastrinum vas unguento plenum.* Considera bonum JEsum ex summa benignitate, & ardenti animas juvandi zelo nunc invitatum adire convivia, nunc se ultro invitare, utì fecit bono Zachæo, nec aliam ob causam quàm ad convertendos peccatores: Et quamvìs Pharisæi criminaturi illum essent, quòd pranderet cum peccatoribus; nunc tamen & Pharisæum adire, ut ejus redargueret superbiam, 3. Considera, discumbente JEsu, Mariam Magdalenam peccatricem, omni abjecto pudore, irruere in locum convivii, omnia gemitibus complere, & jucunda turbare colloquia: quod grave quidem fuit Pharisæo, sed non Christo: ferebat enim in vase sui cordis unguentum odoriferum humilitatis & contritionis, valde Deo gratum, quia *cor contritum & humiliatum*, ait David, *Deus non despicies.*

II. *Stans verò, cœpit pedes ejus rigare lacrymìs & capillìs suìs abstergere, deosculari, ungere.* Considera ejus humilitatem retro stantis, quia non audebat se in conspectum Christi dare, sed nec mutire, quia crebri singultus vocem intercludebant; silentium certè non ad cælum solùm pertingens, sed & cor Dei penetrans. 2. Nota quomodò tacta dolore cordis, distracto capitis ornatu ruat ad pedes, licèt ex via sordibus plenos; quanto imbre lacrymarum perfundat; quàm extergat capillìs sedulò; quoties oscula cum suspiriis imprimat; quanta copia unguenti

tingat. 3. Confidera quàm patienter Chriſtus toleret omnia, quanta cum voluptate aſpiciat, quàm efficaciter radiis ſuæ gratiæ illuſtret ejus animam & lavet, quantum convivarum ſilentium, quàm Angeli gaudeant ibi præſentes ſuper peccatrice pœnitentiam agente.

III. *Criminatam eam à Phariſæo defendit Chriſtus, & ait ad ipſum : Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Et ad ipſam : Fides tua te ſalvam fecit. vade in pace.* Confidera bonitatem JEſu, quòd cùm Phariſæus injuriam fecerit : & Chriſto, judicans eum non eſſe Prophetam : & mulieri, vocans peccatricem ; Chriſtus, neglectâ ſuâ injuriâ, patrocinium ſuſcipiat famæ mulieris, concipiatque eum ſe plus à muliere ob officia amoris præſtita diligi, quàm ab ipſo, qui nec caput ſuum unxiſſet : quod tamen hoſpitibus fieri ſolebat. 3. Cogita quantam lætitiam, pacem & tranquillitatem animi ſenſerit Magdalena, auditîs verbîs Chriſti : *Remittuntur tibi peccata, & Fides tua te ſalvam fecit.* Tanta enim conſolatione cor ejus colliqueſcere cœpit, ut ſtatim ſe è conſpectu Chriſti proripuerit. 3. Confidera, in hoc convivio tria fuiſſe convivia : 1. Phariſæus pavit Chriſtum : ut diſcas & tu eum paſcere ſanctîs deſideriîs & piîs operibûs : 2. Magdalena pavit eundẽ corde contrito : ut tu quoq; diſcas rogare : *Cor mundum crea in me Deus.* 3. Chriſtus pavit Magdalenam pane gratiæ & amoris divini, ut deinceps ſorderent illi mundi illecebræ : ut & tu quoque talem panem de cœlo poſtules.

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

25. Julii.

De petitione matris filiorum Zebedæi. Matth. 20.

1. *MAter filiorum Zebedæi, cùm à Chriſto petiiſſet, ut unus filiorum ad dexteram ejus, alter ad ſiniſtram*

sederet; respondit, Nescitis quid petatis. Considera cæcitatem discipulorum Christi, qui cùm omnibûs relictîs illi adhæsissent, & eô ipsô punctô temporis de Passione sua loquentem audissent, jam per matrem petitionem proponunt ambitionis & proprii amoris plenam: ut scias nè in Religionis quidem statu te à talibus cogitationibus & tentationibus fore securum, si carnem & sanguinem consulas. & non alios Spiritu Christi præditos. 2. Considera, quàm benignè & sapienter Christus eis respondeat, *Nescitis*: benignè, quia texit turpem lapsum palliô ignorantiæ: verè, quia pompam externam tantùm temporalis Regni præ oculis habebant, & non advertebant quot curæ, pericula, & labores sub eo delitescerent: deinde quia eorum petitio cum Christi doctrina & exemplis è diametro pugnabat. Verè nescit quid petat, qui extra Deum aliquid quærit, quia deserto fonte claro, accedit ad turbidos rivulos, relictîs æternîs, quærit fluxa. Deum amare, illíque per observationem mandatorum & consiliorum servire, verè est regnare.

II. *Christo rogante, Possentne secum calicem bibere? Respondêre, Possumus. Tum Christus, Bibetis quidem: sed sessionem petitam dare non est meum, sed Patris. Et audientes decem, indignati sunt.* Considera quanta sit vis affectuum humanorum, ut quando se offert spes alicujus dignitatis, non experta virium imbecillitate, contemptîs omnibûs impendentibûs periculîs, ad eam homo aspiret, & dicat, possum, cùm non possit. 2. Considera, quàm prudenter, nè causam mœroris daret discipulis, petitionem, nec probet, nec renuat; sed ità respondit, ut sperare potuerint se sessione illa, non temporali, sed spirituali, potituros. 3. Considera ideo reliquos decem

indignatos, quia utique res odiosa est, velle anteponi & imperare aliis: indeque disce tutiùs esse versari in loco humili, in quo nullus est invidiæ locus.

III. *Dixit Christus discipulis: Principes dominantur eorum: qui autem inter vos vult fieri major, sit vester minister; sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam.* Considera munus eorum, qui ad dignitatem Prælati & Superioris, vel Magistri vocati sunt, esse; ut ipsi non tam dominentur, quàm serviant subditis, eorum bonum anteponendo proprio: ac ideo majores esse, quò plus se submittunt, & majores labores & affectiones pro salute subditorum usque ad mortem sustinent. 2. Considera quomodò Christus totâ vitâ suâ ministrârit, & se demiserit, ac animam suam posuerit pro tua salute: & invenies exemplar perfectissimum quod imiteris, si velis esse ejus discipulus. 3. Considera quàm longè descendant à Spiritu Christi, qui non alia de causa ad Prælaturas & dignitates aspirant, nisì ut aliis imperent, magnas opes congerant, & lautè vivant.

IN FESTO S. ANNÆ.
26. Julii.

De thesauro abscondito in agro. Matth. 13.

1. *Simile est Regnum cælorum thesauro abscondito in agro.* Considera 1. Regnum cœlorum thesauro assimilari: ut enim, qui thesaurum reperit, se Beatum putat, ità qui gloriæ cœlestis thesaurum consecutus est, potiori jure dicendus est Beatus: nam, ùt ait Apostolus, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*, & *Satiabor* inquit David, *cùm apparuerit gloria*

tua

tua. Idem Regnum thesauro abscondito dici simile, quòd sit plerísque ignotum: & sanè si perspecta haberemus bona omnia nobis à Deo illic reposita, reliqua omnia cum Paulo arbitraremur ùt stercora. 3. Etsi Regnum cœlorum thesaurus absconditus dicatur, facilè tamen posse reperiri ac possideri, si voluerimus, abnegatione nempe rerum temporalium, atque intima cum Deo adhæsione comparatur. Sic D. Anna triplici bonorum temporalium distributione, Templo scilicet rebúsque sacris, egenis, ac rei familiaris usibus, thesaurum istum comparavit.

II. *Simile est Regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventâ autem unâ pretiosâ, vendit omnia quæ habet & emit eam.* Considera 1. per Regnum cœlorum Ecclesiam designari, utpote bonorum omnium spiritualium, quæ ad nos promanant, uberrimum fontem: & quidem meritò, cùm omnes Ecclesiæ ac Fidei alumni, consiliorum ac præceptorum Dei studiosissimi, jamjam futuræ felicitatis pignus habent. Exemplum esto Beatissima Anna, quæ etsi sterilis, spe tamen futurorum bonorum unà cum Beato Joachimo pacatissimam vitam agebat, factúmque, ut assiduo precationum usu ac studiô Deiparæ Virginis Parens aliquando fuerit. 2. Perpende Regnum idem cœlorum margaritæ esse simile, quòd, ùt illa in medio mari nascitur; ità Regnum Dei variis lachrymarum atque ærumnarum aquis comparatur. Cogita quantam lachrymarum vim ob sterilitatem, quæ tunc temporis opprobrio ducebatur, Sancta ANNA profuderit. 4. Margaritam hanc facultatum omnium divenditione comparari, cùm abdicatis rebus omni-

omnibus adhæres, vel in pauperes erogatis, Monasticam vitam profiteris.

III. *Simile est Regnum cœlorum sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti.* Considera 1. Regnum cœlorum, seu præsentis Ecclesiæ statum, reticulis ac sagenæ, atque adeò margaritæ, thesauro abscondito, & grano sinapis, rebus alioquin vulgaribus, à Christo Domino assimilari. ut vilium istarum rerum familiarî notitiâ, pro ingenii nostri exiguitate, ac propemodùm stupiditate, ad divinas res percipiendas instituamur. 2. Perpende quòd quemadmodùm retibûs omnia piscium genera concluduntur, grandium æquè ac pusillorum, pluriúmque inutilium, quàm utilium; sic in Ecclesia promiscuè bonos ac malos, ac plerumque plures ex his, quàm pios ac justos invenias; ut verùm sit quod Christus ait: *Multos esse vocatos, paucos electos*: inter quos sanè Beatissima Anna longè excelluit, quæ etiam ex nomine omnimodam gratiarum congeriem designat. 3. quòd ut ex comprehensis piscibus piscatores bonos ac utiles asservandos seligunt, malos autem ac inutiles iterum in Oceanum refundunt; ità in extremo Judicio justi omnes in cœlo sunt collocandi, impii verò ac nefarii ad inferos detrudendi. Vide, quid in Beata Anna jamjam lubeat imitari, ut inter electos tandem valeas computari.

IN FESTO S. LAURENTII MARTYRIS.
12. Augusti.

De grano frumenti. Joan. 12.

1. JESVS dixit discipulis: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Conside-

dera, licèt nomine hujus grani primario designetur Christus; granum purgatissimum ab omni peccati palea, quòd mortuum in terra crucis salutis æternæ fructum peperit: secundariò tamen designari ab Ecclesia mysticum ejus membrum Sanctum Laurentium, qui sicut granum, concussione flagelli persecutionis purgatus est ab omnibus terrenis affectionibus: ut discas non spernere tribulationes, quia purgant sæpiùs nos à multis peccatis. 2. Considera mortuum fuisse in terra; tum quia carnem suam in hac vita prorsùs spiritui subdidit & mortificavit, contemptîs omnibûs mundi deliciîs, tum quia constanter per atrocissima licèt tormenta, pro Christo mortem oppetiit. 3. Multum fructum attulisse, tum quia sua Passione maximam gloriam in cœlo & in terra obtinuit, tum quia suô exemplô & constantiâ plurimos ad Christi Fidem convertit, & ut similia paterentur, auctor fuit.

II. *Qui amat animam suam, perdet eam: qui verò odit, in vitam æternam custodit eam.* Considera eum amare animam, qui amat hujus mundi commoda, opes, honores, voluptates pro Christo: odisse autem, qui contemnit, utì fecit Sanctus Laurentius, qui desertîs omnibûs opibûs, desertâ Hispaniâ, licèt juvenis, servivit Xysto Papæ Rom. 2. Xystô ad supplicium raptô, exclamavit: *Quò progederis sinè filio, pater?* Cui respondit: *Majora tibi debentur certamina: post triduum Sacerdotem sequeris, Levita.* 3. Omnes facultates Ecclesiæ distribuit in pauperes, Christianis ante Passionem suam latentibus in cryptis pedes abluit, cœcum sanavit, multos convertit & baptizavit, craticulæ affixus tortores irrisit, Tyranno dixit: *Assatum est satis, versa & manduca*

Quia

Quia segnior erat ignis, inquit Beatus Leo, *qui foris ussit, quàm qui intus accendit; flammis corporeis superavi charitatis Christi flammâ non potuit.*

III. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit: si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Considera illum ministrare Christo, qui ejus mandatis & monitis tamquàm obediens famulus obedit. 2. qui ejus vices, si Sacerdos vel Superior sit, sedulò obit. 3. pauperibus & afflictis, operibus misericordiæ, vel corporalibus vel spiritualibus, subvenit. Testatus est enim sibi fieri quod vel minimo in ejus nomine fiet: quæ si nos quoque faciamus, verè Christum, velut Ducem & Magistrum nostrum sequimur. Perfectissimè autem secutus est Sanctus Laurentius, qui tam fidelis fuit Minister, ut etiam sanguinem pro eo profuderit, & exemplum ejus in Passione secutus. 3. Considera quantum præmium in cœlo Sancto Laurentio & omnibus, qui aliquid pro Christo patiuntur, aut Christi membris per charitatem seriò ministrant, paratum sit; quantus honor & gloria; sinè dubio major, quàm mens nostra excogitare queat.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. V. MARIÆ. 15. Augusti.

De Christo recepto in domum Marthæ. Luc. 10.

I. *MArtha excepit Christum in domum suam, cujus soror Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Considera Mariæ Magdalenæ non tribui domum, quia qui contemplativæ vitæ se dedicant in Religione, debent aspernari omnes hujus mundi possessiones & curas, solíque Christo adhærere. 2. Christum in eam recipi domum ubi Maria conjun-

cta

cta est Marthæ: ut significetur perfectiorem vitam eos profiteri, qui non solùm vitam contemplativam in meditando orandóque sequuntur; sed etiam activam, juvando proximum animâ & corpore, concionibûs, lectionibûs, confessionibûs, visitatione infirmorum & vinctorum. 3. Considera, quò quis humilior est, & ad Christi pedes se abjicit libentiùs, hoc magìs cœlestis doctrinæ ejus idoneum reddi. Hac etiam abjectione in terris, dum viveret Beatissima Virgo ad supremum cœlorum exaltari meruit.

II. *Marthæ conquerenti, se solam in ministerio relinqui, dixit Dominus: Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Considera Marthæ ministerium & sollicitudinem, licèt duplici nomine sancta fuerit, tum quia erat virtus charitatis & hospitalitatis, tum quia erat sollicitudo de ipso Sancto Sanctorum pascendo; tamen reprehensiunculâ non caruisse, quia nimia erat, & mentem inquietam reddebat: ut discas, si sæcularis sis, ità rei domesticæ curandæ invigilare, nè turbes mentem, & negligas officia pietatis: si verò religiosus, ità circa profectum in literis sollicitus sis, vel aliam rem, nè tuam salutem negligas. 2. Considera, Marthæ spiritualem aliquam invidentiolam obrepsisse, quasì molestè ferret sororem solam divinô Christi frui colloquiô, vel etiam sinistrum judicium, quasì otiosa esset, præstarétque eam secum laborare, quàm Christum molestare; ut discant omnes pietatis studiosi utrumque vitium cavere: facilè enim solent peccare sæculares, ut putent Clericos & Monachos esse homines otiosos: Et religiosi, qui laborant in proximis juvandis, ut putent contemplativos, qua-

quales sunt Eremitæ, Benedictini & Cartusiani, parum esse Ecclesiæ utiles.

III. *Porrò unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Considera unum simpliciter nobis omnibus esse necessarium : ut primùm quæramus regnum Dei, id est salutem animæ nostræ, uti quæsivit Magdalena, cætera enim omnia non absolutè, sed secundùm quid sunt necessaria, ùt victus, amictus, eruditio, &c. quatenus promovent ad salutem : *Quid enim prodest homini*, ait Christus, *si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur* ? 2. Considera bonam quidem partem cum Martha eligere seculares, qui ità domesticas res curant, ut Christo servire suo tempore non negligant : Clericos autem meliorem, quorum cura præcipua est divina peragere officia : Religiosos optimam, qui omnium rerum temporalium abjectione divinîs precibûs & contemplationibûs pro sua aliorúmque salute promovenda, vacant. Hoc est, quod vocant optimam partem eligere, & quòd Ecclesia, sub nomine Mariæ Magdalenæ, Mariæ Dei Genitrici adscribit, quæ quòd eâ bene semper usa sit, nunquam auferetur ab ea.

MEDITATIO II.

De gloriosa morte, assumptione, & Resurrectione Beatæ Virginis.

1. CONsidera quantô gaudiô Beata Virgo exultârit, cognitâ horâ dormitionis : vixerat enim in terra, velut in longo exilio. 2. quomodò ante mortem miraculosè Apostoli adfuerint, quanto honore eam affecerint, quàm ardentes preces cum ea fuderint, qûantum utrimque ex mu-

tuo

tuo conſpectu gaudium exortum. 3. Quanta pace & vultus ſerenitate inter Angelicos concentus & Apoſtolorum gemitus anima evolârit, quanta cum gloria, filii ſui brachiîs in foribus cœli excepta, & ad thronum Patris cœleſtis deducta.

II. Conſidera, quanta cum gloria & ſplendore, juſſu Patris cœleſtis, comitantibûs Angelîs, paulò poſt de cœlo delapſa ſit, ut omnium laborum ſocium corpus ſuum aſſumeret. 2. Cogita quantus mox Beatæ Virginis ſplendor, venuſtas, gloria apparuerit: ſi enim alii juſti ſplendebunt ſicut Sol, quantùm ſplendebit omnium juſtorum Princeps Mater Dei, quæ nullô unquam peccatô animam obſcuravit. 3. Perpende quàm mirabili Angelorum aliorumque Sanctorum comitatu in cœlum evecta ſit, quis concentus Angelorum, quæ laudes animarum ſanctarum, quàm glorioſus in cœlum ingreſſus fuerit.

III. Conſidera quantum gaudium fuerit Chriſto, videre & complecti chariſſimam ſuam Matrem, quàm amanter manu apprehenſam in lucem cœli inacceſſam introduxerit, quantò ſupra omnes thronos Angelorum & Sanctorum evexerit, & Sanctiſſimæ Trinitati præſentaverit. 2. Quomodò benignè recipiat eam Pater cœleſtis ùt Filiam, Filius ùt Matrem, Spiritus Sanctus ùt Sponſam: quomodò in ſplendidiſſima Sede ad dexteram Filii eam omnes tres collocent, & pretioſiſſimam Coronam duodecim ſtellîs, quaſì margaritîs fulgentem, ejus capiti iidem tres ſimul imponant, totâ cœleſtî curiâ fauſtîs acclamationibûs hymnîſque ſuaviſſimîs applaudente.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI

24. vel 25. Augusti.

De oratione Christi in monte. Luc. 6.

I. *CHristus exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei : & die facto, elegit ex discipulis duodecim, quos & Apostolos denominavit.* Considera admirabilem devotionem & profundam reverentiam, quâ cum multis lachrymis, nunc genibûs flexìs, nunc pronus Deo Patri pro nostra salute & Apostolis eligendis supplicârit : ut discas multò magìs tibi pro eadem salute tua ferventer supplicandum, nec magnum aliquod opus aggrediendum, nisì rem Deo priùs commendâris, & maximè, si quis tua opera in Prælatum & Ministrum Ecclesiæ, ubi respectus humani facilè hominem fallunt, sit eligendus. 2. Considera duodecim electos à Christo vocatos Apostolos, id est nuncios, quæ vox est humilitatis & obedientiæ, ut velut Dei Legati humiliter & promptè, quæ à Deo didicissent, annunciarent; Sancti Bartholomæi exemplô, qui hôc pactô ad fidem adduxit Polymium, seu Polemum Regem, Reginam, liberos, ac duodecim civitates integras.

II. *Cùm autem de monte descendisset, multos sanavit à langvoribus suis, & qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et quærebat turba eum tangere, quia virtus de illo exibat.* Considera Christum post electos Apostolos statim descendisse de monte : ut discas ea, quæ in monte contemplationis & rerum divinarum meditatione in cubiculo didicisti, & facere proposuisti, in opus convertere. 3. Ut operam tuam strenuè communices omnibus, qui morbô aliquô corporalî spiritualîve laborant, ac piîs moribûs rectá-

ctáque vivendi ratione tam bonum exemplum præbeas, ut tua consvetudine oblectentur, & intelligant virtutem à te exire, id est sibi tuam doctrinam & conversationem ad salutem animæ prodesse.

III. Considera Sanctum Bartholomæum duabûs maximè virtutibûs nunc commemoratîs excelluisse: nam primò centies interdiu, & centies noctu, scribitur flexîs genibûs Deum orare solitum. Deinde in citeriore India, Lycaonia & Armenia Evangelium prædicavit, virtutes suas omnibus, donec sanguinem pro Christo profunderet, probavit. 2. Tanto juvandi proximi quoad spirituales necessitates ardebat desideriô, ut in tota India citeriori, Licaonia, Armenia, qua potuit contentione ac studio Evangelium disseminârit, spretîs quibûscunque minîs, calumniîs ac laboribûs, quæ nunquam muneri Apostolico desunt, ad profusionem usque sanguinis ac propriæ vitæ pro fidei confessione: ferunt enim eum vivum excoriatum fuisse. 3. Conare nunc Sanctum Apostolum imitari: Et si pellem vivus dare non valeas pro Christi fide, saltèm viriliter contende pellem mutare perfecta rerum omnium abdicatione, ac tui abnegatione, ut perfectiùs Deo conjungaris.

IN FESTO S. LUDOVICI REGIS GALLIÆ. 26. Augusti.

De nobili sibi regnum accepturo. Luc. 19.

I. *HOmo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi Regnum, &c.* Considera 1. Regnum cœlorum interdum comparari, aliquando agricolæ, aliàs Regi, hìc verò nobili cuidam: ut discas omnibus cujuscunque statûs esse paratum: ea tamen Lege, ut quô studiô hi omnes divitiis ac ho-

noribus acquirendis incumbunt, eandem in comparanda gratia & gloriâ æternâ sollicitudinem adhibeant. 2. Perpende eos in regionem longinquam abire, qui à teneris annis divino servitio mancipantur, ac divinæ gratiæ comparandæ operam navant: sic enim rectâ ad Deum ac felicitatem tendunt, & à peccato procul & propè infinitîs spatiîs discedunt. Eam quippe vivendi rationem à primis annis Sanctus Ludovicus iniit, ut calcatîs vitiîs, sola juvante gratiâ, iter ad felicitatem sterneret, parârit, imò verò rebûs omnibûs, tum ad familiæ, tum ad Regni securitatem bene compositîs, cùm de conquerendo Jerosolymitano regno cogitabat, quod comparato exercitu recuperare parabat cœleste; Regnum longè nobiliori virtutum apparatu consequitur.

II. *Vocatîs autem servîs suîs, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.* Considera nobilem istum, Deum esse, qui servos ac sibi subditos habet omnes homines, Summos Pontifices, Optimates ac Reges, atque adeò ipsos Angelos: talenta verò unicuique concessa, esse, tum corporis tum animi dotes, quæ etsi inæquales, æquissima tamen distributione pro cujusque viribus ad gloriam Dei ac propriam salutem, singulis sunt assignatæ, ut constet quàm immeritò contra divinam providentiam obloquantur nonnulli, cùm vident bene omnia cedere malis, bonos verò undequaque vexari. Non ità sanè D. Ludovicus, qui cùm exercitum ac classem quàm ad Jerosolymorum ditionem recuperandam transmiserat, inediâ, miseriîs & grassante lue absumptam videret, omnia verò prospera esse Infidelibus ac Saracenis, cedente interim in Saracenos victoriâ, nunquam nè

le-

leviter quidem perturbatus vel oblocutus est, nec gravioris animi signa præbuit; sed in omnibus morem gessit divinæ voluntati. 2. Unicuique negotiatori esse impositum, hoc est, concessîs talentîs ac donis bene uti ad comparandas virtutes ac cœleste Regnum promerendum: quod accuratè præstitit Sanctus Ludovicus, qui tam fideliter in omnibus acceptâ gratiâ usus est, ut ab omni lethalis peccati noxa securus ac liber, maxima fecerit incrementa virtutum, assiduô pietatis ac misericordiæ in pauperes studiô, extructîs tum Monasteriîs, tum Collegiîs, ac Hospitiîs; adhibitîs etiam propriîs manibûs, in obsequium pauperum, nè dedignatus quidem, aliquando, quæ supererat ex eorum cibis, reliquias sumere.

III. *Factum est ut rediret: & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantùm quisque negotiatus esset.* Considera 1. boni patrisfamilias esse domesticorum suorum curam habere, & toti familiæ invigilare, nè quis æternæ saluti desit: nam *Qui suorum*, inquit Apostolus, *maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Vacabat hâc culpâ D. Ludovicus, quippe qui non domesticorum modò, verùm etiam subditorum curam gerebat, quos ut gravari vectigalibûs nolebat; ità etiam, si quos impios, sacrilegos, blasphemos, pejeratores, deprehenderet, in eos animadverti acerrimîs suppliciîs decernebat, procul etiam emendatîs aleatoribûs. Jus ipse dicebat, resectîs hôc pactô, non tantùm innumerîs jurgiorum seminibûs, sed prope infinitîs etiam clientelarum expensîs. 2. Hac bene vel malè administrati talenti ratione indicari typum districtissimi illius Judicii, quô unusquisque hominum pro bene vel malè impen-

sis divinæ gratiæ donis, præmia vel supplicia est relaturus. Dignus sanè Sanctus Ludovicus, quem pro recta talentorum acceptorum administratione, his tandem Christus Dominus amicissimis verbis interpellârit: *Euge serve bone & fidelis*, &c. *intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25. Et quidem hæc fuit extrema potentissimi Regis vox: *Introibo in domum tuam Domine*, &c. Psal. 5.

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.
8. Septembris.

De genealogia Christi. Matth. 1.

1. *Liber generationis JEsu Christi Filii David, filii Abraham, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob.* Considera quanta fuerit Beatæ Virginis nobilitas: majores enim ejus fuerunt, & splendore generis à Patriarcha Abraham oriundi, & veræ sapientiæ ac religionis opinione, & sanctitate ac virtutum præstantia in toto mundo illustrissimi: quibus Deus visibiliter Legem dedit, & familiariter locutus est, & in omnibus rebus semper auxiliô fuit. 2. Considera Beatam Virginem suîs virtutibûs, progenitoribus majorem conciliasse splendorem, quàm ab illis acceperit: unde sicut pretiosa gemma annulo aureo inserta, auget ejus splendorem, sic naturæ gloriæque dotes totam ejus stirpem clariorem reddiderunt.

II. *Jacob genuit Joseph Virum Mariæ, de qua natus est JEsus, qui vocatur Christus.* Considera Evangelistam post tot Patriarchas, Prophetas, & Reges nominatos (ut indicaret omnium virtutum & perfectionum summam) nominasse Mariam Virginem Dei Matrem, quâ nil sublimiùs dici potuit: Quid enim sanctiùs illâ esse potuit vel debuit, ex qua

pro-

prodiit Sanctus Sanctorum JESUS, Conditor & Salvator mundi? 2. Considera eam non solùm esse natam Matrem JEsu, sed etiam nostram: nam postquàm JEsus ex illâ natus, nascendo fuit factus noster frater, illa pariter facta est nostra Mater: Mater, inquàm, gratiæ; quia nobis per Filium suum, esse spirituale gratiæ comparavit; Mater misericordiæ, quia materno pietatis affectu conatur nobis in omnibus ærumnis, & maximè in hora mortis adesse.

III. Considera quantam lætitiam ejus ortus, attulerit toti mundo: & 1. Angelis, dum vident natam illam, quæ eorum ruinas sit restauratura. 2. Hominibus tunc Lymbi carceri inclusis, dum intelligunt aliquando finem fore suæ captivitatis. 3. Ejus Parentibus Ioachim & Annæ, quòd filiam edidissent, quæ futura erat Mater Dei. 4. Omnibus peccatoribus, non solùm quia ipsa prima fuit, quæ nasceretur immunis ab omni peccato, etiam originali; sed quià patrona & advocata futura erat omnium peccatorum. 5. Toti Ecclesiæ Sanctæ, quia sponsi ejus parens, nata est, Regina mundi, fenestra cœli, porta Paradisi, scala ad cœlum pertingens, stella matutina: stella illa de qua dixit Propheta, *Orietur stella ex Jacob.* Exultemus ergò, & dicamus cum Ecclesia: *Nativitas tua*, Dei *Genitrix Virgo, gaudium annunciavit universo mundo: ex te enim ortus est Sol Justitiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.*

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRUCIS.

14. Septembris.

De Crucifixione Christi. Joan. 12.

1. DIxit JEsus turbis: *Nunc Judicium est mundi:*

nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras : & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Considera summam sapientiam & potentiam Dei : quòd ea re, quâ nihil erat contemptibilius & infirmius in hoc mundo, nempe patibulô Crucis, omnem potentiam diaboli principis mundi, id est peccatorum, fregerit, & mundum totum à peccato & faucibus inferni & diaboli vindicaverit, id est, judicando liberaverit : ut discas humilitate & contemptu sui, omnes tentationes dæmonis & mundi frangi. 2. Considera tantum esse beneficium nobis esse præstitum, tum per exaltationem Christi in crucem & mortem, tantamque charitatem demonstratam, ut non modo allici, sed etiam trahi quôdam modô, licèt inviti in ejus amorem debeamus. Et tanta est vis Passionis, si seriò perpendatur, ut non tam moveat, quàm impellat hominem ad conversionem & pœnitentiam, ac mortem etiam, dum opus est, ùt accidit Martyribus, libentì animô perferendam.

II. *Respondit turba : audivimus ex Lege, quia Christus manet in æternum ; Et quomodò tu dicis : Oportet exaltari Filium hominis ?* Considera turbam, id est homines, mundi, mundanarumque rerum, ut opum, honorum, voluptatum, & vitæ carnalis amatores, non intelligere quæ sunt Spiritûs Dei, paupertatem, contemptum sui, passiones, mortem ; & ideo non potuerunt capere hæc in Christum convenire : at quì Christi sunt discipuli, illi sciunt per paupertatem, opprobria & multas tribulationes perveniri ad veras opes, honorem, vitam, ipsamque æternitatem : *Si* enim *granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert ;* sic Heraclius Imperator hoc die, non, cùm gemmîs

&

& aurô splendidus esset; sed cùm vili habitu nudîsque pedibûs indutus esset, meruit Crucem ipsam Christi à Persis recuperatam, in montem Calvariæ referre.

III. *Adhuc modicum lumen in vobis est: Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.* Considera 1. modicum lumen in iis esse, qui cum Apostolo Paulo dicere possunt: *Non judicavi me scire aliud, quàm JEsum & hunc crucifixum:* sicut modicum erat in dicta turba: quomodò enim sequeretur Christum clamantem: *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ideo solere nos frontem, totumque corpus sæpè insignire cruce, ut hoc lumen in omni actione nostra præferatur: alioqui enim facilè nos tenebræ & tenebrarum Princeps suîs tentationum laqueîs esset comprehensurus. 2. Considera media excellentissima ad dignoscendam Crucis excellentiam, fructusque percipiendos, esse 1. simplicitatem ac humilitatem. *Confiteor tibi Pater,* ait Christus Dominus, *quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis.* 2. frequentem ac piam Dominicæ Passionis meditationem, imprimìsque laborum ipsius imitationem, non solùm afflictiones à Deo oblatas præferendo, verùm etiam mortificationi tam internæ quàm externæ studendo.

IN FESTO S. MATHÆI APOSTOLI.

21. Septembris.

De ejus vocatione ad Christum. Matth. 9.

1. JESUS *videns Mathæum sedentem in telonio, ait: Sequere me. Et surgens secutus est eum.* Considera potentiam & clementiam eximiam Dei, quòd homi-

minem immerſum peccatis & hujus mundi curis (ùt ſunt telonarii) dignetur extrahere tam ſubitò ex peccatorum luto, & ad ſummam vitæ Apoſtolicæ perfectionem vocare ab uno extremo ad alterum: ut diſcas nullum eſſe peccatum vel imperfectionem, nullum etiam peccati ſtatum, ex quo Deus, ſi eum vocantem ſequi velis, non poſſit velitque te extrahere. 2. Conſidera promptam obedientiam Mathæi, omnibûs opibûs negotiísque poſthabitîs, Chriſtum inſequentis. Cogita, quoties te Chriſtus vocet, ut eum ſequare, ut in hac illâve virtute te exerceas, hoc vel illud bonum opus facias, & tamen ſanctam ejus inſpirationem reſpuis, vel ſi admittas, tamen exequi differs. Ora ergò Deum, ut ſemel omnibus cupiditatibus pravis renuncies, & Chriſto ſoli aurem præbeas.

II. *Diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores diſcumbebant cum Chriſto, & rogabant diſcipulos cur cum peccatoribus manducaret eorum Magiſter.* Conſidera tantas fuiſſe Chriſti virtutes cum ſumma humilitate conjunctas, ut etiam mali homines ſponte ſe ei adjungerent. Inſtrue ità & tu vitam, ut non ſolùm ſcandalo nulli ſis, ſed etiam modeſtiâ, pietate & comitate ad tuum colloquium alios allicias, & converſatione tua, meliores reddas. 2. diſce non curare oblocutiones, ſicut nec Chriſtus curavit: nam detractor ſibi ſoli nocet, ſicut qui candelam emungit, digitos ſuos tantùm urit, & aliis prodeſt. 3. diſce eos, qui cum Mathæo ſequuntur Chriſtum, & deſerunt mundum, lautum apponere convivium Chriſto, quia nulla re magìs delectatur, quàm perfectô ſui & mundi contemptu.

III. *Euntes dicite: Quid eſt? miſericordiam volo, &*

non sacrificium: non enim veni vocare justos sed peccatores. Considera rursum ineffabilem Christi clementiam & charitatem, quòd ei quasi gloriæ suæ oblito, potiùs cordi sit erga peccatores misericordia, quàm fuerint omnia sacrificia in honorem ejus oblata, imò non propter justos, quos tamen imprimìs complecti deberet, sed propter peccatores de cœlo descenderit, humanam naturam assumpserit, & contumeliosissimam mortem oppetierit. Considera, quàm charitas & Passio Christi efficax fuerit in conversione peccatoris Matthæi, ut & ipse Christi discipulus insignis, Apostolus & Evangelista factus sit: & postquàm in Æthiopia longè latéque fidem Christi propagasset, vicissim pro Christo, tempore Sacrificii incruenti in ara peracti sanguinem profuderit.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI. 26. Septembris.

De imitandis parvulis. Matth. 28.

1. *ROgantibus discipulis, Quis esset major in Regno cælorum? Christus statuit parvulum in medio illorum, dicens: Nisì efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum.* Considera quàm congruenter in hoc Festo præsens legatur Evangelium, quia sicut superbus Lucifer ob usurpatum divinum honorem ex Paradiso præceps ruit in profundum Inferni; sic humilis Sanctus Michaël cum toto bonorum Angelorum exercitu, subjiciendo se Creatori suo ad summam Beatorum gloriam est evectus. Unde æternum decretum Dei est, neminem venturum ad Angelorum gloriam, nisì eandem cum illis humilitatis viam calcaverit. 2. Considera, si Angeli, licèt beati, non dedignentur se ad mi-

ministerium hominum demittere, velut parvuli, (*Omnes* enim, teste Apostolo, *sunt administratorii spiritus*) & societatem nobis inire, ut restaurarent suas ruinas; quantò magìs homo homini se debet submittere, fraternè unicuique servire.

II. *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus ille, hic est major in Regno cœlorum.* Considera bonitatem Domini, tam facile medium præscribentis, ut simus in Regno cœlorum majores, quia, ùt scribit Sanctus Bernardus serm. 1. de Quadragesima, *Nihil est faciliùs volenti, quàm humiliare seipsum*: si enim exaltari volumus, multi sese opponunt: non ità quidem, si humilitati studemus. 2. Nota parvulorum proprium esse, ut sint malitiæ dolíque expertes, corpore menteque puri, non vindicare injurias, omnibus credere, submittere se majoribus, eosque revereri. Id imitare, & humilia te sicut parvulus.

III. *Videte nè contemnatis unum ex pusillis istis, quia Angeli eorum in cœlo semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Considera quàm grave peccatum sit parvifacere pusillos, maloque exemplô offendiculum illis præbere: si enim ea re offenditur Angelus eorum custos, qui semper versatur in Conspectu Dei, verendum est, nè non advocatum tuum, ùt solet, sed accusatorem agat. 2. Considera Angelos, etsi continenter in nobis custodiendis & ministrandis sint occupati, non ideo abstinere ab assidua Divinæ Faciei contemplatione: ut discas, licèt aliquando literariîs vel aliîs occupationibûs ad salutem proximi spectantibûs sis distentus, non debere tamen oblivisci orationis & contemplationis rerum cœlestium.

IN FESTO S. DIONYSII MARTYRIS 9. Octobris.

De fermento Pharisæorum. Luc. 12.

I. *ATtendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrysis. Nihil opertum est quod non revelетur*, &c. Considera 1. simulationem ac hypocrisin fermento comparari, quòd ut modicum fermentum totam massam corrumpit, ità simulatio totum animæ ornatum ac splendorem inficit. 2. quòd tabes ista ex purissimis virtutum actibus ortum habet, ut ex sincerissima consperſione fermentum conficitur. 3. quòd ut injectô fermento massa intumescit, sic animus facilè hypocrisis contagione, typô superbiæ intumescit. 4. quòd ut fermentum toti massæ admixtum, totum penetrat ac pervadit; ità extranea virtutis specie totum simulationis virus intùs delitescit: quô fit, ut quò invisibiliùs, eò insanabiliùs sit: unde toties repetitum à Christo: *Væ vobis, hypocritæ.* 2. Hypocrisin Pharisæorum fermentum appellari, quòd tum maximè cavenda sit, cùm in iis, qui speciem virtutis ac religionis præseferunt, reperitur. 3. Frustra hypocritas vitia sua sub fucata virtutis specie occultare, cùm in extremo Judicii die, imò etiam persæpè in hac vita, ùt Davidi accidit, propalanda sint ac evulganda. *Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis*, 2. Reg. 12. Paveant ad hoc, quos coram Christo Domino, Angelo Custode, & cœlestibus omnibus ea scelera perpetrare non pudet, quæ vel coram homuncione patrare non vacaret.

II. *Quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis,*

ctis, &c. *Considera 1. quòd quemadmodùm occultissima nefariorum hominum scelera, ad eorum tandem ignominiam ac dedecus sunt revelanda, ùt contingit nefariis hujus Sancti tortoribus, qui à tot sæculis pro impiis, crudelibus & nefandis habentur; ità religiosæ ac studiosæ piorum hominum actiones, sint etiam ad illorum gloriam ac decus evulgandæ: imò verò quos à sceleratis hominibus, probris ac calumniis appeti contigerit, iidem coram hominibus innoxii sint declarandi, ùt de eodem Sancto comprobatur, qui licèt tunc impius ab impiis haberetur, tamen postmodùm ità ejus sanctitas est propagata, ut nonmodò Galliam & Ecclesiam, imò verò universum orbem, suîs laudibûs repleverit. 2. Perpende si hoc D. Dionysii effatum, cùm adhuc esset tenebrîs infidelitatis obvolutus, conspectô in morte Christi Domini inusitato ac universalî illô Solis defectu, tam celebre toto orbe factum est, *aut Deus naturæ patitur, aut machina mundi dissolvitur*: quantò celebriora facta esse quæ sunt ab illo postmodùm de altissimis fidei nostræ mysteriis pronunciata: si quæ in ergastulis & obscurissimis cavernarum umbris locutus ac perpessus est, nec diuturnitate temporis, nec inflictorum cruciatum vî obliterari potuerunt; quid ornamenti, quid splendoris ac gloriæ tot insignium virtutum exemplîs, quibus innumeris penè hominibus ad fidem ac salutem præluxit, consecutus est?

III. *Nè terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant; sed timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Considera 1. quos maximè ac potissimùm timere debeamus: non quidem mundum, non dirissimos ty-

tyrannos, imò nec dæmones ipsos, atque adeò ipsas inferorum vires, cùm omnes illorum conatus nihil ultra corpus valeant: si quid verò in corpus, bona ac vitam possunt, sanè animam ipsam non possunt offendere, minùs verò gratiam ac virtutes ipsas diripere, ut meritò liceat cum Apostolo dicere: *Quis nos separabit à charitate Christi?* 2. Deum solùm meritò esse timendum, quippe qui corpus & animam possit mittere in gehennam; sed cùm in animam non desæviat nisi ob peccatum, idcircò ab illo cavendum, non tam ob debita supplicia, quàm quòd Deum summè bonum, nobis reddat offensum. Disce ergò peccata pertimescere, nè Deo summè diligendo contingat displicere, imò sic Creatorem time, ut creaturis non timeas displicere. Hoc timore animati Martyres sprevêre dirissima tyrannorum supplicia. Eximius in Christum amor omni humano timore, imò vitâ ipsâ posthabitâ confectum jam senio Dionysium ad verbera, crates ferreas, caminos ardentes, cruces, patibula, dirissima quæque tormenta & mortem atrocissimam perferendam impulit: imò verò divinus ille ignis eum quodammodò superstitem sibi reddidit, deditque, ut amputato capite ad assignatum sibi sepulturæ locum, ampliùs bis mille passibûs properaret. O eximium divini amoris in Dionysio argumentum! Quis ipsum, omni timore humano posthabito, respuat imitari?

IN FESTO S. LUCÆ EVANGELISTÆ.

18. Octobris.

De electione ac missione Discipulorum ac Apostolorum.

Luc. 10.

1. *POst hæc designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciam suam in omnem*

mnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus. Considera 1. Apostolorum ac Evangelistarum esse, imprimìs cum D. Joanne parare vias Domino, in quo si tot virtutes inesse debuerunt, quantò pluribus oportet esse præditos eos, quibus incumbit Christi corpus consecrare, ac peccata dimittere. 2. Considera discipulos binos ac binos præmitti: ut discas 1. væ esse soli, quia si ceciderit, non habebit sublevantem se: 2. quia veritas majoris est ponderis in ore duorum, quàm unius: 3. quia sibi invicem opitulantur: 4. validiùs adversariis obsistitur: 5. in duobus mutuæ charitatis officia commendantur. 3. Perpende, minùs esse Christo præire, quàm eundem sequi: illud enim præcepti tantùm, hoc verò consilii esse videtur. Quod ità assecutus est Sanctus Lucas, cùm Medicum ageret ac Pictorem, ut postea Christi discipulus, Sancti Pauli comes; & Beatæ Virgini, utpote virgo ipse charissimus evaserit.

II. *Dicebat illis: Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Considera omnium interesse, ut boni operarii, hoc est Episcopi, Pastores ac Sacerdotes Ecclesiæ à Deo præficiantur, ideoq; rogandus Dominus, ut tales suscitet ac præficiat: quantùm enim obest navi imperitus rector, tantùm detrimenti afferunt Ecclesiæ, Diœcesi ac Parochiæ imperiti Rectores ac Prælati. 2. Operarios Evangelicos à domino messis esse mittendos, nec fas esse quemquam se sua sponte sacris ministeriis applicare: hoc enim est in alienam messem, renuente Domino, falcem immittere. 3. Dominum messis esse Christum Dominum, cujus est universus orbis, non jure creationis duntaxat, verùmetiam redemptionis Sacramentô: cujus est, messes colli-

colligere, hoc est animas, prout libuerit, convertere: ut discant rerum sacrarum tractatores ac ministri, animarum conversiones soli Deo, non humanæ scientiæ vel industriæ viribûs, esse tribuendas.

III. *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaveritis.* Considera 1. quantæ perfectionis esse debeant operarii Evangelici, quos reipsa 1. Deus vult esse pauperrimos: 2. quòd perfectionis Evangelicæ culmen est, auri vel argenti, victus aut vestitus minimè esse sollicitos: 3. sinè calceamentis ambulare, hoc est, non esse studiosiùs expetendos ad iter faciendum curruum vel equorum apparatus: 4. nullos esse in via salutandos, hoc est, nullam esse personarum acceptionem habendam, nec quidquid posset eorum ministeriis obstare. Præstitit hæc cumulatissimè D.Lucas, qui divenditîs amplîs facultatibûs, rebûsque omnibûs abdicatîs, Christi Discipulûs effectus Paulo se adjunxit, & laborum omnium comitem se præbuit. 3. Evangelium Græcè ad hospitum suorum solatium descripsit. 4. Denique martyrio, quod jugi carnis afflictione & Crucis Christi participatione anteverterat, est decoratus.

IN FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ APOSTOLORUM.

18. Octobris.

De dilectione mutua & persecutione. Joan. 19.

1. DIxit JEsus discipulis: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret.* Considera, cur Christus tam sedulò mandet & commendet discipulis suis dilectionem mutuam, quia *videlicet*, inquit

Beatus Gregorius, *omnia alia præcepta in sola charitate solidantur.* Ut enim multi rami ex una radice prodeunt; sic multæ virtutes ex una charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non maneat in radice charitatis. 2. Considera magnô solatiô esse debere pietatis studiosis, si ob pietatem videant se multis malis hominibus exosos, quia ea in re ducem & antesignanum habent Christum Salvatorem suum & Conditorem: quis autem miles tam vecors sit, qui non velit similis esse suo Imperatori? Deinde ponere etiam in lucro, quia si patienter odium istud ferant, certum argumentum habent se nihil habere cum mundo commune, quia mundus nihil suum, id est, nullam cupiditatem opum, honorum & voluptatum invenit in illis. 3. Considera Beatos Apostolos Simonem ac Judam fraternæ charitatis ac contemptus mundi mandatum perfectè adimplevisse, siquidem eximius amor in proximum, & odium quo in illos æstuabant impii, fuit illis acerbissimarum pœnarum, ac denique mortis occasio.

II. *Non est servus major dominô suô: si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servârunt, & vestrum servabunt.* Considera multîs modîs te esse servum Christi: 1. quia homo es, & ad Imaginem Dei creatus: 2. quia Christianus, quia te pretioso sanguine suo ex servitute peccati & dæmonis redemit: 3. quia sponte te, abjuratâ pompâ Sathanæ, in Baptismo ei consecrasti: 4. quia totum te, si religionem es ingressus, in holocaustum ei & superioribus obtulisti, ac ideo plus quàm alii obligatus es eum imitari etiam in patiendo. 2. Considera ideo Christum præmonere de persecutionibus suos discipulos; ut intelligant tunc veros discipulos & ser-

vos Christi se futuros: si Christùm maximè in Passione imitentur. *Omnes qui piè vivere volunt*, ùt docet Apostolus, *persecutionem patientur*, à mundo scilicet, dæmone & carne. Hi, dico, Apostoli, se verè Christi Domini discipulos esse comprobârunt, siquidem læti acerbissimas persecutiones passi sunt, ac præsertim ab idolorum Sacerdotibus, qui miracula non ferentes, & infidelium conversiones quas operabantur, vî in illos irruerunt, & frustatim dilaniarunt.

III. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem peccatum non haberent: similiter si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit: nunc autem excusationem non habent.* Considera cùm Christus per sua beneficia spiritualia toties nos visitârit, fit, quòd Christianis parentibus orti, à Catholicis præceptoribus instituti simus, & quotidie tot divinas inspirationes, conciones & exhortationes, sanctissimaque exempla Sanctorum miraculîs illustrium, vel sanctitate conspicuorum, habeamus & videamus, inexcusabiles nos fore in die Judicii, si de fide Catholica aliquando dubitemus, aut vitam Christiano homine dignam non instituamus. 2. Considera, cùm Judæi quibus locutus est Christus, & coram quibus miracula fecit, ideo inexcusabiles sint, quia pertinaces in sua sententia manserunt, & putarunt Messiam non posse esse tam pauperem & abjectum, ùt ille erat, quantùm à pertinacia & proprio judicio abhorrere debeas, maximè cùm periclitatur fides vel charitas. Hujusmodi infortuniô non fuerunt obnoxii Beati isti Apostoli; nam gratiâ vocationis tam bene usi sunt, ut in ea fideles usque ad mortem perstiterint, quam etiam præferre terrenis commodis, honoribus ac cupiditatibus maluerunt, ut se Christo gratos exhiberent.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

1. Novembris.

De octo Beatitudinibus. Matth. 5.

I. JESUS *in monte sedens, elevatìs oculìs in discipulos, ait, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Considera, Christum ideo in monte istas beatitudines docuisse, ut indicaret eas capi non posse, nisì ab iis, qui perfectionis majoris desideriô, desertìs vitæ sæcularis vallibûs, sectantur JEsum per juga virtutum. 2. Considera eum ùt bonum Architectum perfectionis Christianæ altissimum ponere fundamentum, nempe paupertatem spiritûs, in qua duæ principes virtutes continentur, contemptus opum & illecebrarum hujus sæculi, & contemptus sui, vel paupertas voluntaria, & vera humilitas. 3. Cogita paupertatis voluntariæ præmium esse Regnum cœlorum, quia meritò cœlestia debentur illis, qui contemnunt terrena, & certè, qui ob Christum bonìs terrenìs se exuunt, ut Religiosi, etiam in hac vita incipiunt possessores esse cœlestium deliciarum.

II. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram,* Considerà, rectè paupertati addi mansvetudinem, quia proprium est pauperum pati injurias & opprobria, & ideo homini pio mansvetudo necessaria est, qua malè omnia sustineat, & vincat in bono malum. 2. Considera, pauperibus spiritu, id est humilibus promissum est cœlum; & mitibus possessio terræ: superbis & iracundis quid aliud superest, nisì infernus?

III. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Conside-

ſidera non eſſe beatos, qui lugent rerum temporalium jacturam, ſed qui lugent pro ſuis vel aliorum peccatis : 2. ob diuturnum hujus vitæ exilium : 3. ob pericula varia ſalutis : 4. ob dilationem gloriæ. Hi enim : & in hac vita & in futura, ſolidam conſolationem percipiunt. 2. Conſidera, ſi qui in hoc mundo triſtes ſunt, gaudent in altero, quem exitum habituri ſint, qui, riſui & recreationibus per omnem vitam, dediti ſunt. *Extrema gaudii*, ait Sapiens, *luctus occupat.*

II. PARS.

IV. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Conſidera, poſtquàm peccata noſtra luximus, prope eſſe, ut magnô deſideriô aſpiremus ad divinorum præceptorum obſervationem, & virtutum omnium ſtudium : neque enim ſatis eſt declinare à malo, ſed opus eſt quoque facere bonum. 2. Conſidera non ſatis eſſe nos velle juſtitiam, ſed eſurire & ſitire illam, id eſt acri cupiditate & magnô fervore promovere illam in ſe & aliis, *ut qui juſtus eſt juſtificetur adhuc.* Sic enim futurum eſt, ut Deus viciſſim nos eſurientes impleat omnibûs bonîs & donîs, non in hac vita ſolùm, ſed etiam in cœleſti.

V. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur,* Conſidera, cùm miſericordia nomen habeat à corde, tum verè nos eſſe miſericordes, cùm ex animo compatimur miſeriis proximi. 2. Miſericordiam Chriſtianam latè patere : eſt enim exercenda, non in corporalibus tantùm, ſed etiam ſpiritualibus bonis communicandis, nec tantùm erga amicos, ſed etiam inimicos & perſecutores : hæc enim facit nos ſimiles Deo, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. 3. Miſericordes viciſ-

ſim à Deo miſericordiam conſecuturos, quia in die judicii illis dicet Dominus: *Venite benedicti Patris mei, eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.*

VI. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Conſidera quàm bene munditia cordis jungatur miſericordiæ: ſi enim pura intentione non des eleemoſynam, vel in peccato mortali exiſtens, amittis miſericordiæ meritum, *Si* enim *pauperibus*, ait Paulus, *diſtribuero omnes facultates, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, 1. Cor. 13. 2. Conſidera Deum aliis virtutibus alia promittere præmia, puritati autem, viſionem ſuiipſius: non eſt autem aliud, videre Deum, quàm frui illo & illum poſſidere. Nec mirum: cùm enim ſit ipſiſſima puritas, libenter ſe communicat mentibus verè puris, id eſt à peccatis & pravis cupiditatibus ſæculi liberis, quales imprimis ſunt eorum, qui caſtitatem Deo voverunt.

III. PARS.

VII. *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* Conſidera puritati cordis rectè ſubjungi pacem, quia quando cor purgatum eſt à ſordibus peccati, mox experitur in ſe *pacem*, quæ juxta Apoſtolum Philipp. 4. *exuperat omnem ſenſum*, & præſentis gratiæ manifeſtum eſt ſignum. 2. Conſidera, pacem eſſe animorum & voluntatum conjunctionem. Pacifici ergò erunt, qui hanc conjunctionem procurant cum Deo, cum proximo, cum conſcientia ſua, cum paſſionibus, cum quibus non eſt vera pax, niſi ſubigantur. 3. Hos filios Dei dici, 1. quia ſimiles ſunt Chriſto, qui eſt Deus pacis: 2. quia Dei officio funguntur, & Chriſti: *Ipſe* enim *eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*, id eſt, hominem cum Deo univit, & nihil aliud quàm concordiam, dilectionemque mutuam diſcipulis commendavit.

VIII. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Considera, meritò hanc beatitudinem omnium esse ultimam, quia est omnium virtutum, omnisque perfectionis fastigium, & velut gemma & crux aurea appensa catenæ aureæ ex multis annulis conflatæ: pati enim pro Christo est donum supra omne donum, quod Deus non impertit nisì suis charìssimis. Unde beatus Jacobus scripsit *patientiam* opus perfectum habere. 2. Considera idcircò sanctos homines, non in aliis virtutibus & donis, quæ possunt hominem inflare, sed in contumeliis & persecutionibus perpessis gloriari. *Absit*, inquit Apostolus, *mihi gloriari nisì in Cruce Domini nostri JEsu Christi.*

IX. *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Considera nihil piis majorem lætitiam afferre, quàm dum multa & gravia patiuntur pro Christo, tum quia sciunt se fieri Christo simillimos, tum quia copiosissima remuneratio illis in cœlo parata est. Unde de Apostolis dicitur in Actis: *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quia digni habiti erant pro nomine JEsu contumeliam pati.*

MEDITATIO II.

De beatitudine Sanctorum.

1. COnsidera quantâ gloriâ fruantur Sancti in cœlo, quorum Festum hodie agitur, quæ solet distingui in præmium accidentale & essentiale. Accidentale consistit in possessione omnium bonorum, quæ non sunt Deus, ut nihil desit quod oblectare queat. Quidquid enim homo optare potest, illic

pleniſſimè habebitur; 1. quoad cibum & potum plena ſatietas: 2. veſtitus lumine glorioſo refulgens: 3. palatia & gemmis & margaritis conſtructa: 4. ſummus honor & gloria: 5. perfecta omnium rerum cognitio: 6. cives & ſocii nobiles, divites, & noſtri amantiſſimi: 7. plena victoria dæmonis mundi & carnis, nullum incommodum, nulla triſtitia: 8. occupationes jucundiſſimæ, colloquia continua cum Deo, Dei Matre, omnibusque Sanctis, divinas laudes & hymnos cum miranda vocũ harmonia concinere, mundum cum Chriſto adminiſtrare, imò regnare. Et hæc quidem erunt omnibus Sanctis comunia, præter quæ quædã peculiaria gaudia & triumphi cedunt Martyribus, Virginibus, & iis qui alios ſalutis viam docuerint, juxta cujusque meritum.

II. Conſidera prædicta omnia nihil eſſe, ſi conferantur cum præmio eſſentiali, quod conſiſtit in immediata viſione Dei: Ex ea enim viſione multa in anima fiunt: 1. plena Dei poſſeſſio, ut omnia ſint plena Deo, etiam in corpore: 2. ſimilitudo Dei, ut potius Sancti dicantur Dii, quàm homines; ſicut carbo ignitus vocatur ignis: 3. perfecta viſio eorum, quæ in Deo ſunt, ùt ſapientiæ, juſtitiæ, bonitatis, charitatis, omnipotentiæ, pulchritudinis, licèt non poſſint comprehendi: 4. ſumma dilectio Dei, & intima adhæſio: 5. ineffabile gaudium & ſpiritualis delectatio: 6. plena ſatietas, & ornatus in omnibus animæ potentiis, & corporis membris.

III. Conſidera, cùm Sancti ad tantam evecti ſint gloriam, quanta veneratione ſint à nobis colendi & invocandi, utpote non de ſua, ſed noſtra tantùm ſalute ſolliciti. 2. quantùm in nobis deſiderium excitare debeamus, ut aliquando ad illos perve-

veniamus, & tantis bonis fruamur: Sed quia ad tanta præmia non pervenitur, nisi per magnos labores, jam nunc statue vestigiis Christi & Sanctorum insistere, licèt mundus rideat, caro reclamet, dæmon rugiat. 3. Considera Ecclesiam hoc in Festo proponere has octo Beatitudines: ut scias omnes Sanctos felicitatem æternam assecutos harum octo virtutum professione, iisque tamquam adminiculis ad perfectionem usos esse, teque ad sanctitatis apicem earundem studio perventurum, si fideliter incumbas. Et hìc est præcipuus hodiernæ festivitatis scopus.

IN COMMEMORATIONE DEFUNCTORUM.

2. Novembr.

I. CONsidera, quàm graves pœnas sustineant animæ fidelium defunctorum in Purgatorio: nam Scriptura vocat pœnam ignis; & Patres, ùt Augustinus, Gregorius, Beda, dicunt pœnam esse intolerabiliorem quâvis pœnâ hujus vitæ, quæ Martyribus vel latronibus inflicta fuit, ùt Sancto Laurentio, Sanctó Vincentio, Sancto Bartholomæo, & aliis. 2. Considera diuturnitatem in pœnis, quæ non ad unum diem, sed ad multos annos sæpè durant. Beda indicat quasdam animas usque ad diem Judicii in iis manere. Et Ecclesia aniversaria Sacra celebrat etiam pro iis, qui ante centum vel ducentos annos obierunt.

II. Considera, ut in fide Purgatorii firmior sis & in pietatis studio constantior: 1. coinquinatum nihil vel immundum, sivè lethalì, sivè leviore peccato, posse intrare Regnum cœlorum, ùt est in Apocalypsi. 2. quàm pauci sint, qui peccatorum venialium expertes sint, aut pro peccatis lethali-

bus, aut venialibus, licèt remiſſis, ſatisfecerint. 3. quanta ſit Dei miſericordia & patientia, quòd poſt hanc vitam (cùm nec merendi, nec peccandi ampliùs tempus eſt) voluerit nos purgari, ab his maculis, & precibus viventium juvari. 4. quis ſtatus ſit tuæ conſcientiæ, an ſincerè omnia peccata mortalia & ſingula confeſſus fueris, an ut debes de iis dolueris, an ſatisfeceris, an in hoc onere, orationibûs & aliis bonis operibûs animas defunctorum juveris, iisque merueris tibi, poſt hanc vitam auxilium aliorum.

III. Conſidera quare tenearis meritò animabus illis hoc die & aliàs ſubvenire: 1. quia ſeipſos juvare nequeunt, niſi ſolutione peracta uſque ad ultimum quadrantem: 2. quia ſunt in carcere, quos Dominus jubet viſitari: 3. quia Lex naturæ poſtulat, ut quod nobis fieri vellemus, aliis faciamus: 4. quia ſunt omnes noſtri fratres, & filii Dei: ſunt enim in gratia, & juſti: 5. quia implorant opem noſtram, junctîs manibûs, uti quibuſdam Sanctis apparuere: 6. quia multa præſidia nobis ſuppetunt, quibûs juvari queunt: 1. Sacrificium Miſſæ: 2. orationes: 3. eleemoſynæ, jejunia, diſciplinæ, peregrinationes, ſi hæc faciamus in gratia.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI.
11. Novembris.

De lucerna accenſa, & ſuper candelabrum poſita. Luc. 11.

I. *NEmo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio; ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.* Conſidera 1. lucernam accendi, cùm recuperatâ gratiâ per veram pœnitentiam, procul peccati tenebras amandamus. 2. candelabro lumen imponi, cùm verbô atque opere

aliis

aliis virtutum exempla præstamus: contra verò sub modio abscondi, cùm concessas à Deo gratias proximo subtrahimus; ùt cùm quis vel timiditate, vel negligentia, contemptu, aliaque prava intentione concionari, adhortari, aliave pietatis officia ad proximi salutem utilia, præstare recusant. 3. Prælati ac Superiores omnes, qui aliis præsunt, ità lucernæ debent esse similes, ut aliis doctrinâ atq; exemplô prælucendo, sensim ac paulatim absumatur.

II. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* Considera 1. his verbis annui quàm pura ac simplici intentione sit agendū: & ùt est facilè eos impingere, qui cæcutientibûs & caligantibûs oculîs ambulant, ità perturbatè omnia agere, qui carent recta & pura intentione: & è contra: 2. eos perversa intentione agere, qui humanos favores, gloriam, emolumentum, aut alia ejusmodi in actionibus prætendunt: contra verò, qui sola divinæ gloriæ ratione ducuntur.

III. Considera 1. D. Martinum verè fuisse hanc lucernam super candelabrum positam, ac præluxisse potissimum: 1. humilitate, cùm vel servo ministraret, detractîs calceîs, leprosum deosculatus, & moribundus substerni sibi vestes aliquas respuit, ut resupinus animam exhaleret, asseverans indignum esse Christiano homine aliter quàm in cinere & cilicio mortem obire: 2. charitate, cùm mediam chlamidem egeno postulanti distribuit, & summo vitæ discrimine patriam ad convertendos parentes repetiit: 3. fidei zelô ardentissimô; qui utChristianæ Religioni nomen daret, circa decennium baptizandus, reclamantibûs parentibûs, in Ecclesiam aufugit:

eodem incensûs zelo, acerrimum se fidei defensorem adversus Arianos ac propugnatorem præbuit, interdum verò verbera expertus atque exilia : 4. summa indifferentia, quâ sic Deum precatus est, cùm animam efflaret: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua :* significans se æque in utrumque, seu vivere seu mori, esse paratum.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B.V. MARIÆ 21. Novembris.

De historia Præsentationis, à Joachimo & Anna parentibus, facta.

I. CONsidera, quomodò sapiens & humilis virguncula, in qua ratio ætatem (erat enim trinula) prævenerat, oculis humi defixis, complicatis in pectus manibûs, desideriò adeundi Templi Hierosolymitani ardens in via incesserit, & celerrimè quindecim gradus à nullo adjuta, stupentibus omnibus, ascenderit: ut discas bonum esse à prima ætate servire Deo, & de virtute in virtutem ascendere, hoc est, quotidie proficere, in studio bonorum operum fervere, fortiter omnes difficultates superare, amare templum & societatem piorum.

II. Considera, qua devotione pii parentes Beatam Virginem totam hilarem vultu obtulerint Deo & Sacerdotibus, eam in altare sublatam : quàm gratum Divinæ Majestati munus fuerit : Si enim Sacrificia taurorum & vitulorum grata fuêre Deo, multò gratiùs fuerit hujus puellæ, quæ omnes homines gratia & sanctitate superavit. Omnes ferè, qui in infantiâ à parentibus Deo oblati sunt, ma-

gni

gni Sancti postea facti sunt; nec alia de causa puto, quàm quia Deo gratissima fuerit eorum oblatio.

III. Considera, quomodò Beata Virgo flexis genibûs cum lachrymis in ara obtulerit seipsam. quàm grata fuerit Deo & Angelis talis oblatio. Si enim Angeli gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente, quantò magìs super hac, seipsam in holocaustum offerente, quæ nunquam peccavit? Obtulit autem se perfectè, nempe mundo prorsus renuncians, & totam se ad nutum Divinæ voluntatis resignans, parata reliquum vitæ in paupertate, nihil proprium habendo transigere: offerens quoque se in minimam ancillulam Matris Messiæ venturi. Deinde, considera, quomodò dimissis parentibûs cum summo suo gaudio inclusa fuerit cubiculo Templi, & per undecim annos in eo noctu diuque serviens Deo, inter Angelos vixerit.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

25. Novembris.

De *decem virginibus.* Matth. 25.

I. *SImile est Regnum cœlorum decem virginibus, quæ cum lampadibus obviam exierunt sponso & sponsæ: quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Considera Ecclesiam Dei bonis & malis, prudentibûs & fatuis plenam: omnes adventum Christi, qui in die Judicii nuptias cum sponsa sua, hoc est cum Ecclesia triumphante, celebraturus est, præstolantur. Quicunque in lampadibus, etsi oleô vacuis, ignem fovere volunt, fatuis meritò similes esse perhibentur: enimverò fidem habent, sed charitate destituuntur: externis quidem operibûs lucent, sed intus evacuantur omni virtute: corpore vir-

virgines, sed, immundo corde : adumbratæ cujusdam virtutis speciem præseferunt, sed revera hanc exosam habent. Eheu! quàm à ratione alienum! Judicem expectare, qui scrutabitur Jerusalem in lucernis, & eundem, intrepido corde expectare, nec rationibus suis attendere! longè aliter sapientes.

II. *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes & dormierunt : media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei*, &c. Considera 1. sponsum istis virginibus visum morari : nam tam boni quàm mali annos sibi multos promittunt, & nunquam, juxta Davidem, putant se morituros : hinc boni tepidiori modô, mali profligatiori vivunt; quod in sacris paginis *dormire* dicitur : *Surge qui dormis & illuminabit te Christus*, 2. Considera quomodò sponsus ex improviso superveniet, & nimium sui securos advocabit, justis tanquam sponsus benignus, reis tanquam severus Judex ac iratus apparebit. 3. Considera, quemadmodùm fatuæ istæ ex alto somno experrectæ, sese mutuò respexerunt, attonitis planè oculis, lampades suas agnoscentes tam incultas ad sponsi susceptionem. Hic typus est animarum in peccato jacentium : facilè quippe obdormiscunt, & intempestivè, hoc est, serâ nimis pœnitentiâ oleum sibi providere satagunt; sed remittentur ad vendentes cum risu, ubi non invenient, quoniam tempus transiit : prudentes verò debitè præparatæ & adornatæ ibunt obviam sponso. Quantô putas gaudiô efferentur, & in diligentia sua exultabunt!

III. *Sponso autem veniente, quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua : & dictum est fatuis : Nescio vos.* Considera 1. clausam fuisse januam, ut prudentibus ex hoc deliciarum Palatio

exitus, fatuis aditus præcluderetur. 2. Considera, quàm formidolosa hæc vox, *Nescio vos* : perinde est ac si diceret : *Ite maledicti in ignem æternum.* 3. Perpende istius parabolæ clausulam : *Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.* 4. Considera Sanctam Catharinam hac admonitione multùm profecisse, quippe quæ prudentes virgines prorsus imitata fuerit, non solùm in virginitate, quam à teneris annis Deo inviolatam consecravit, sed etiam in vigilantia & perseverantia, habendo semper oleum in lampade per fidem & charitatem ardente, per bona exempla & doctrinam lucente : ultimô præsertim vitæ suæ annô, nimirùm decimô octavô : nam cùm Martyres dirissimîs suppliciîs affectos videret, tantô zelô succensa est, ut etiam Maxentium Tyrannum adiret, sævitiam & mentis tenebras improperaret, si fortè à vitiis deterreret, & ad fidem Christi converteret : quamobrem aggressa est quinquaginta Philosophos, quos rationibûs confudit, ducentos milites unà cum Prophyrio duce ad fidem convertit. Imperatricem Christo lucrata est : tandem post atrocia supplicia mortis, victrix ad palmam martyrii pervenit.

ME-

MEDITATIONES DE COMMUNI SANCTORUM.

MEDITATIO I. DE COMMUNI APOSTOLORUM.

De eorum electione & missione. Matth. 9. 10. Marc. 6. Luc. 6. 9.

1. *DIe facto, JEsus vocavit ad se discipulos suos, quos voluit, & elegit duodecim ex illis, quos vocavit Apostolos.* Considera, neminem discipulorum ante vocationem se ad Apostolicum munus, id est, ut mitteretur ad prædicandum, obtulisse; imò Christus quemdam ultrò se offerentem & dicentem *Sequar te quocunque ieris*, repudiavit. Unde discis, neminem, licèt idoneum se putet, debere ingerere se in functionem alios docendi vel regendi; sed expectare donec ab iis, qui Christi vices obeunt, vocetur, nè dum vanô pietatis zelô quærit lucrifacere aliorum animas, perdat suam. 3. Nota Apostolos à Christo vocatos in medio occupationum suarum, ùt dum piscarentur, vel aliis negotiis temporalibûs vacarent, ut indicaret servitium Dei omnibus hujus vitæ negotiis anteferendum. Unde habent, quod metuant, qui à Christo vocati, ob commoda temporalia, vel alios respectus humanos venire negligunt.

II.

II. *Et misertus turbæ instar ovium non babentium pastorem, dixit : Messis multa, operarii autem pauci.* Considera Dominum tam paucos discipulos ad opem toti mundo ferendam elegisse : ut indicaret, licèt revera deberent esse multi Prædicatores & Pastores Ecclesiæ, tamen semper paucos fore veros operarios, multos autem mercenarios sua commoda quærentes. Semper enim pauci sunt, qui quærant labores & animarum salutem, plurimi autem, qui sectantur otium, & aucupantur honores, opes & divitias. Quare rectè dixit Christus discipulis, ut Dominum rogarent pro operariis, nempe bonis & idoneis, in messem ablegandis. 3. Nota Christum, ut Apostolos extolleret super omnes Sanctos, voluisse eos coram mundo esse contemptos & abjectos, & humilitati operam dare, ut metum injiceret in iis Pastoribus, qui semper ad majores honores & opes contendunt, nè tandem ad infimum locum detrudantur, si non in hac vita, saltèm in futura.

III. *Apostolis itèm dixit : Nolite possidere aurum vel argentum, nec quidquam per viam portare, non sacculum, nec virgam, nec panem, nec duas tunicas.* Considera nusquam legi Apostolos in totum orbem amandatos, secum tulisse ullum commeatum pro sua sustentatione, imò hoc eis vetitum videtur : ut intelligant servi Dei, studio juvandi animas accensi, non debere ipsos esse sollicitos de victu & amictu corporali, sed jactare omnem fiduciam in Deum, qui non est negaturus necessaria, cùm ad omnes ipse dixerit : *Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ?* 2. Nota quòd Dominus in iis, quæ ad alios pertinent, mandârit, nè ferrent virgam ; indicans, non severè

& asperè, sed humaniter & benignè à pastoribus tractandas spirituales oves: nec duas tunicas, nec superfluis se onerarent, sed erogarent in pauperes

II. PARS.

I. *NOn vos me elegistis, sed ego elegi vos & posui, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat, ut quod petieritis Patrem in Nomine meo, det vobis.* Considera, eos quibus incumbit cura animarum, non posse sperare laborum suorum fructum, nisi à Deo electi & missi sint per eos, qui Christi locum tenent, & licèt putent se aliquem facere fructum, is tamen stabilis non est. Deinde, ut electi sint à Christo, non debent tamen fructum quem colligunt, suæ industriæ tribuere, sed gratiæ Dei: si enim opem ejus implorent, omnis sufficientia eorum ex Deo est, ùt loquitur Apostolus. 2. Cor. 2. idque fit ut conserventur in humilitate, nè dum aliis prædicant, ùt idem dicit. 1. Cor. 6. ipsi à Deo reprobentur.

II. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem odiô habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret.* Considera, te ex his verbis posse scire cujus partes sequaris, Dei an mundi: nam si ob cultum veræ pietatis & vitiorum fugam, ridearis, contemnaris, & graviter ab aliis affligaris, signum, est te exosum esse mundo, ac proinde electum à Christo, qui dicit tales non esse de mundo, cùm sint potiùs de cœlo, Contra verò, si, quia conaris amicitiam cum mundo colere, amaris & honoraris ab omnibus, signum est te diligi à mundo, ac proinde vehementer dubitare, an manseris in numero eorum qui sunt à Christo electi. Nemo siquidem potest simul placere Deo & mundo: *Quidquid enim est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut oculorum*

aut

aut superbia vitæ, ùt loquitur Sanctus Joannes 1. cap. 2. qui sunt tres fontes omnium malorum Deoque exosi.

III. *Ecce ego mitto vos, ùt oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Considera, Dominum Apostolis, & per eos omnibus Christi servis consulere, ut in conversatione cum hominibus imitentur simplicitatem columbinam & prudentiam serpentinam. Columba caret felle & malitia: si pellitur, redit; si pulli ei tollantur è nido, gignit alios in eodem. Serpens verò pro defensione capitis periculo exponit totum corpus: sic Christi servus cogitare debet bene de omnibus, dicta factaque aliorum in bonam partem interpretari, malè agentibus benefacere, diligere inimicos, & beneficiis eos sibi devincire. At ubi viderit in discrimen vocari gloriam Christi, vel animæ suæ salutem instar serpentis, non solùm facultates suas temporales, sed etiam vitam propriam, si opus sit, ad tuendum divinum honorem, suamq; salutem debet exponere.

MEDITATIO II.

De iisdem Apostolis.

1. CONsidera, sicut Deus olim ad frangendam Pharaonis superbiam, ei immisit, non leones vel tigrides, sed exiguas muscas; Holophernis, fæminam Hebræam; Madianitarum, paucos milites armatos lagenis & tubis; sic ad frangendam tyrannidem dæmonis & mundi, misisse simplices & rudes piscatores, nempè ùt fructus eorum, id est conversio mundi, tribueretur divinæ potentiæ, sciretturque Evangelii propagationem, non humanum, sed divinum opus fuisse: 2. ut ipsi agnoscerent se

 non

non merito suo, sed ex gratia ad Apostolicam dignitatem vocatos: 3. ut exuti curis temporalibûs, in prædicatione essent promptiores, aliisque svaderent paupertatem Evangelicam: 4. ut experientia propriæ fragilitatis & ruditatis discerent aliorum infirmitatibus compati. 2. Nota numerum Apostolorum præfiguratum multò ante, in duodecim fontibus deserti Helim, lapidibûs pretiosîs in Rationali, panibûs propositionis in Templo, lapidibûs ex quibus erectum altare, bobus sustinentibus mare æneum, leonibus throni Salamonis, duodecim fundamentis sanctæ Civitatis Hierusalem, Apoc. 21. ex quibus cognosci potest, quàm nobile & sublime fuerit officium Apostolorum, eorumque, qui illis successerunt.

II. Considera, quàm singularis gratia fuerit, eos ex toto orbe seligi, ut cum orbis Domino familiariter conversarentur, ut fierent novi Testamenti ministri, & Divinorum Mysteriorum dispensatores, ut post angularem lapidem Christum, essent lapides primi & fundamenta Ecclesiæ, ut ipsi extruerent Ecclesiam, cujus materiam omnes Patriarchæ & Prophetæ comportarent, ut donis gratiæ, iisdem, & omnibus Regibus ac Principibus, qui fuerunt & erunt, præferrentur. Unde & in Scriptura vocantur Principes super totam terram regnantes, Pastores & Doctores, Dii fortes, amici & fratres Christi, cœli, montes, agni, sal terræ, lux mundi. 2. Nota, quàm magna & multiplex iis collata fuerit potestas: 1. fuit consecrandi Corpus & Sanguinem Domini, ac offerendi, quam nè Angeli quidem habent: 2. Dimittendi peccata, & partiendi Regnum cœlorum, quia facti sunt quasì Dii: 3. pascendi oves, & regendi Ecclesiam: 4. Docendi novam Legem

gem gratiæ : 5. Scripturas Canonicas edendi, quia Spiritus Sanctus per eorum ora loquebatur : 6. miracula, quibûs doctrinam suam confirmarent, patrandi.

III. Considera fructum quem fecerint : nam primò totum orbem Evangeliô complêrunt, falsorum Deorum cultum exciderunt, oraculîs eorundem ora clauserunt, radices peccatorum evulserunt, igne Spiritûs sui silvam mundi accenderunt, demùm quidquid boni hodie in Ecclesia cernitur, ab illis profectum est. Ab his manavit constantia Martyrum, justitia Confessorum, puritas Virginum, zelus Doctorum, Sanctitas Sacerdotum, rigor Monachorum : Unde admirans hunc fructum, clamat Propheta : *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psalm. 13. Quòd si tanta fecerunt dum essent mortales in terra, quid jam facient immortales in cœlo ? 2. Perpende quantum laborum præmium eis cesserit in hac & altera vita. 2. In hac quidem, pax conscientiæ eis ante mortem relicta, cùm Christus dixerit : *Pacem meam do vobis*, Joan. 14. & 16. 2. gaudium cordis, cùm ait : *Iterum videbo vos, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*, Marc. 10. Atque hoc est centuplum illud promissum relinquentibus omnia. 3. persecutiones, cruces & mors gloriosa pro Christo tolerata : nulla enim re, homo similior Christo fit, quàm qui pro eo patitur. Unde Apostoli gaudebant, quòd digni habiti essent pro Nomine JESU contumeliam pati : & Beatus Paulus Act. 5. gloriabatur in suis tribulationibus. In altera verò vita primum præmium eorum fuit, quòd sessuri sint super sedes duodecim, judicaturi duodecim tribus Israël : imò, ùt ait Apostolus Paulus, erunt & Ju-

dices Angelorum. Alterum erit, quòd edant & bibant in mensa Regni Christi, id est, omnibus deliciis quæ mente excogitari non possunt, circumfluent, eòque ampliùs, quòd cæteris erunt beatiores.

MEDITATIO III.

De Sanctis Martyribus.

I. CONsidera opere martyrii nullum esse præstantiùs, 1. quia est nobilissimus charitatis actus: *Majorem charitatem nemo habet*, ait Christus Joan. 15. *quàm qui ponit animam pro amicis suis.* 2. quia est actus invictæ fortitudinis, quia contemnuntur omnia genera pœnarum, ac ipsa mors. 3. quia est actus insuperabilis patientiæ, de qua Christus Luc. 21. *in patientia possidebitis animas vestras.* 4. quia excedit omnia alia Sacrificia & oblationes: nam in his, externa tantùm, in illo verò, omnia externa & interna offeruntur Deo. 5. quia reddit Martyres similiores Christo, nempè milites duci: *Qui vult venire post me*, ait Christus Luc. 9. *tollat crucem suam & sequatur me.* 2. Nota varios esse Martyres, & quidem propriè dictos: 1. qui pro fide & confessione Christi trucidantur: 2. qui ob defensionem veritatis, ùt Sanctus Joannes Baptista, Isaias, Jeremias: 3. qui ob observationem Divinæ Legis, ùt Machabæi: 4. qui ob defensionem immunitatis Ecclesiasticæ, ùt Sanctus Thomas Cantuariensis: 5. qui ob probitatem suam, ùt justus Abel.

II. Considera quàm liberaliter Deus remuneretur hoc heroicum opus martyrii in hac vita & in futura. In hac quidem, quia promittit illis in Evangelio se tantam efficaciam daturum eorum verbis, ut omnes eorum adversarii non possint iis resistere, & ideo non debere vel præmeditari quid

respondeant. 2. etsi flammis ardeant, vel à bestiis discerpantur, nè unum quidem capillum eorum periturum. 3. quia certò sciunt se mox à morte fore salvos: & ideo S. Augustinus ait, injuriam fieri Martyri, si quis oret pro eo post mortem. Unde Psal. 11. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* 4. quia tanta solatia in ipsis tormentis Deus suppeditat, ut corpore sæpè nullum dolorem sentiant, ùt accidit Sancto Laurentio, & S. Stephano videnti cœlum apertum. In altera verò vita Deus quoque copiosè remunerat Martyrium, qui perfectissimè vicêre mundum, carnem suam & dæmonem: Unde de iis dicitur Psal. 20. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*: & coronam quidem duplicem. Unam auream, quæ est communis omnibus Beatis, nempe gloria essentialis. Alteram aureolam, quæ est gloria accidentalis, debita iis, qui heroico opere victoriam ex hoste retulerunt. Quo pertinet & gloria, quâ post Apostolos in tota Ecclesia eorum Festa celebrantur solemniùs, patrociniumque à fidelibus invocatur.

III. Considera, & alios esse Martyres, impropriè quidem ità dictos, sed tamen veros, & ejusdem præmii cum superioribus participes, uti sunt illi, qui non in corpore, sed in animo acerbissima perpessi sunt, ùt fuit Beata Virgo, Luc. 2. de qua Sanctus Simeon vaticinatus est, quòd animam ipsius pertransiturus esset gladius, nempe cùm staret sub Cruce Filii: qui gladius ei tantum dolorem conciliavit, ut ea de causa dicatur plùs quàm Martyr, & Regina Martyrum. 2. Ii, qui in anima & corpore multa pro fide vel justitia perpessi, tamen occisi non sunt: ùt Beatus Job, S. Joannes Apostolus, S. Athanasius, & innumeri Eremitæ, Virgines,

aliique Religiosi, qui per omnem vitam carnem suam crucifixêre cum concupiscentiis, & acerbitatem Passionis Martyrum diuturnitate mortificationis non solùm æquârunt, sed etiam crebrò superârunt. Quis enim dubitet plùs mereri eum, qui viginti, triginta vel quadraginta annos in summa humilitate, castitate, paupertate & obedientia Deo promissâ vixit, multîsque bonîs operibûs claruit, quàm qui brevi temporis momentô ob fidem Christi occisus est? Unde S. Bernardus notavit Christum in Evangelio idem tribuisse præmium pauperibus spiritu (utrorumque enim ait esse Regnum cœlorum) & Martyribus, quoniam voluntaria paupertas, sit quoddam martyrium.

MEDITATIO IV.

De Sanctis Ecclesiæ Doctoribus.

1. Considera 1. admirabilem Divinæ providentiæ ordinem, quæ volens hominem aliorum hominum ope ad salutem adducere, ùt ex Angelica Hierarchia nonnullos Superiores præfecit, qui alios illuminent, purgent ac perficiant; ità inter homines, (datô Unigenitô suô, verô justitiæ Magistrô, qui nos suâ doctrinâ illuminavit, morte purgavit, & sanctissimâ vitâ suâ ad perfectionem adduxit) ex iisdem hominibus nonnullos assumpsit, qui aliorum Doctores essent; & hujusmodi Doctores nunquam in Ecclesia defuerunt, nè quis ignorantiæ excusationem prætexeret. 2. Considera scientiæ excellentiam, quâ Deus Ecclesiæ Doctores illustravit: hæc nempe triplex est scientia Sanctorum; speculativa, affectuosa, & experimentalis: scientia, inquam, Sanctorum, non est enim rerum inanium, curiosarum, seu profanarum, uti reliquæ aliæ sci-

en-

entiæ, quæ vanitatis gratiâ docentur, videlicèt ut doctus habearis: vel curiositatis, ut scire tantùm cupias; vel cupiditatis, ut quæstum ex scientia percipias; sed est rerum Sanctarum ac Divinarum, nullum alium finem habens præter hominum salutem ac sanctitatem, quam docet non solùm speculativè, verumetiam usu & experientiâ auditorum animos ad illius studium, & ut eam factô & opere compleant, inflammando. 3. Perpende hanc scientiam illis potiùs à Deo esse infusam, quàm proprio marte, aut industriâ comparatam, licèt ex se nullo labori pepercerint, ad eam acquirendam.

II. Considera hos Doctores Sanctos esse, non quia docti, sed quia cum tanta doctrina summam humilitatem ac vitæ sanctitatem conjunxerunt: quæ aliis ut plurimùm superbiæ ansam præbet, ùt primo Angelo contigit: Et quia fuerunt spiritualiter sal terræ, lux mundi, & civitas supra montem posita, quibus rebus ipse Christus Dominus est assimilatus. 2. Considera, fuisse sal terræ ob eximiam illorum sapientiam, cujus, sal typum gerit, quòdque actiones omnes sapidas, utì sal cibos reddit. 2. quòd vitam ac mores hominum hactenus erroribus æquè ac delictis insulsos condierint. 3. sal ex æquo ignis & aquæ vim continet: ità eorum doctrina, etsi ignea ob corruptionis & inflammandi cordis vim, quâ pollet, compati nihilominùs humanæ fragilitati novit, quæ instar aquæ diffluit. 4. Sal obstare quidem potest quominùs caro integra & nondum corrupta, computrescat: & in hoc eorum doctrina sale potior est, redintegrare enim potest animas vitiô infectas, & incorruptibilitati reddere.

III. Considera ipsos lucem mundi appellatos:

1, quòd hominum intellectus illuſtrârint, & voluntates inflammârint: 2. errores circa fidem ac bona opera quasì denſiſſimas tenebras diſſipârint: 3. quòd unumquemque cujuſvis ſtatûs ac conditionis docuerint, non ſecus ac Sol indifferenter omnes homines ſua luce colluſtrat. 4. ſicut lux obſcena tangens aut pudica, iis non inficitur, ità ab eorum vitiis quos edocebant, immunes extiterunt. 5. quemadmodùm Sol cœlo affixus movens radios in terram vibrat; ità illi corpore in terris agentes, animô in cœlis verſabantur. 2. Conſidera illos fuiſſe civitatem ſupra montem poſitam, adductîs in ſe omnium oculîs, ùt ſanctitate illorum perſpecta, ad eos tanquam ad tutiſſimi præſidii arcem, ac urbem refugii confugerent; ſiquidem plures ad Deum vitæ ſuæ exemplô, quàm doctrinæ excellentiâ adduxerunt.

MEDITATIO V.

De Sanctis Confeſſoribus Pontificibus.

1. CONſidera Deum, qui accurata rerum ordinatione delectatur ac dignoſcitur, nonnullos ex hominibus aſſumpſiſſe quasì aliorum duces in æternitate comparandâ, tanquam Patres in eiſdem Chriſto ſpiritualiter parturiendis; tanquam Paſtores in iis paſcendis ac gubernandis; tanquam ſpeculatores, ut eorum ſaluti invigilent, nè adverſariorum inſidiis pateant; tanquam viſibilia capita, ut eorum influxu ſpirituales ſplendores & affectus percipiant; tanquam mediatores, ut Deum ſibi offenſum demulceant; tanquam Legatos, ut cum Deo de neceſſitatibus hominum agant, ac viciſſim homines de Divina voluntate informent, tanquam Sacerdotes, ut omnium hominum nomine, Deum ho-

honore debito colant, ipsi gratias persolvant, placatum reddant, & necessaria ab eo obtineant in sacrosancto Altaris Sacrificio. Ad hæc omnia munera obeunda Sanctos Pontifices ac Antistites elegit.

II. Considera Sanctîs Pontificibûs ad tam sublimia munia vocatîs à Deo spirituales dotes ad eadem obeunda esse concessas: & has quidem duodecim illæ gemmæ designabant, quos aurô insertas summus antiquæ Legis Sacerdos in pectore gestabat. Ac 1. quidem zelum ad coërcenda vitia lapis Sardius exprimebat. 2. amorem, tum in Deum, tum erga proximum, Topazius. 3. spem remunerationis ex laboribus, Smaragdus. 4. sapientiam, non quæ de terra, sed quæ de cœlo & secundùm Deum est, Carbunculus. 5. conscientiæ tranquillitatem, Saphyrus. 6. firmam ac inconcussam fidem, Jaspis. 7. humilitatem ac sui cognitionem, Hyacinthus. 8. pœnitentiam, lachrymas ac mortificationem, Chrysoprasus. 9. patientiam in ferendis ærumnis ac laboribus, imò etiam in profundenda vita, pro Dei & commissarum sibi ovium salute, Amethystus. 10. paupertatem spiritûs, & terrenarum rerum contemptum, quas utì stercora habebant, non apponentes cor, sed iis ad necessaria utentes, vel ad subsidium pauperum, vel ad exornationem Templorum Chrysolitus. 11. castimoniam, seu corporis ac mentis munditiam: quâ in carne liberi à carnis lege vivebant, Sardonyx. 12. temperantiam, seu abstinentiam, quæ carnis impetus domat, Berillus. 2. Considera alias Præsulis dotes celebri illa duarum istarum vocum Epigraphe, DOCTRINA & VERITAS designari, quas Hebræi URIM & THUMIM appellant, necnon alii *Illustrationes ac Perfectiones* interpretantur: quam inscriptionem summus

mus Sacerdos in pectore gestabat, ut constaret Deum Sanctis Pontificibus ad sanctitatis complementum concessisse eximium lumen, puritatem ac perfectionem internam cum singulari veritate ac doctrina conjunctam, ad purgandas, illuminandas ac perficiendas animas sibi commissas.

III. Considera quàm sedulò Sancti Præsules gratiæ sibi à Deo concessæ sint cooperati & bene usi talentô sibi traditô. Primò enim à Deo vocati sunt ad Pontificatum, nec sibi sumpserunt honorem, scientes munus esse humeris etiam Angelicis formidandum. 2. Ità in procuranda animarum salute desudârunt, ut id vitæ illibatæ potiùs exemplô, quàm solâ doctrinâ, aut magnifico rerum exteriorum apparatu præstiterint; utpote sinè crimine, & irreprehensibiles in se. 3. Eximia fuit illorum humilitas in tanto dignitatis apice, utpote omnium servi, ac forma facti gregis in omnibus, neminem nè pauperem quidem, vel indoctum fastidio habentes. 4. Solius amoris Dei ac proximi impulsum in omnibus secuti sunt, zelô gloriæ Dei ac salutis animarum præscribente quid in quoque munere obeundo præstarent, utpote non aliter suas, quàm Dei oves spectantes, nec quidquam sibi, sed Deo tribuentes, opem illius pro tam gravi ac tanti momenti ministerio jugiter implorantes.

MEDITATIO VI.

De Sanctis Confessoribus in genere.

I. CONsidera Confessores vocari generatim eos, qui citra profusionem sanguinis, in omni pietate & sanctitate vitam clauserunt, & confessi sunt Christum: 1. corde, in eum credendo ùt Creatorem cœli & terræ, 2. ore eum assiduè laudan-

do-

do & benedicendo, gratiasque pro beneficiis agendo: Deinde ejuſdem honorem & doctrinam verbîs & ſcriptîs, ùt fecerunt Eccleſiæ Doctores, defendendo. 3. factîs & operibûs, id eſt mandatis Divinis parendo, & vitam Chriſtiano homine dignam agendo. 2. Perpende: confiteri Deum eos cum merito, qui ſe accuſant ob proprios defectus: *Juſtus* enim, ùt habet Sapiens Prov. 11. *prior eſt accuſator ſui.* Confitendo enim peccata, fatemur Deum ſolum, eſſe juſtum & ſanctum, ſolumque eſſe miſericordem, qui poſſit peccata remittere, ſicut monet Sanctus Joannes: *Sì confiteamur*, inquiens, *peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

II. Conſidera, ſpeciatim inter Sanctos Confeſſores numerari: 1. eos, qui poſt exilia, carceres, aliaque tormenta pro Chriſto perpeſſa, tandem in pace obiêre: 2. Doctores, qui ſanctitate vitæ & doctrinâ. ſcriptîsque librîs orbem illuſtrârunt & converterunt: 3. qui omnibûs hujus mundi bonîs relictîs, ſe in ſolitudine vel cœnobio abdidêre, & duriſſimam vitam duxêre in paupertate, caſtitate & obedientia: 4. qui eximii in charitatis operibus corporalibus vel ſpiritualibus fuêre, ùt Job, Tobias, Conſtantinus, Carolus Magnus, S. Joannes Eleemoſynarius, & alii qui in ſæculo ſanctè vixêre.

III. Conſidera, quantum præmium hos Confeſſores maneat: nam Matt. 10. dixit Chriſtus: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Angelis Dei, & coram Patre meo qui in cælis eſt.* Quod ſinè dubio futurum eſt in extremo die Judicii in totius Eccleſiæ militantis & triumphantis conſpectu. Cogita, quantô gaudiô exilient animæ eorum, qui tunc nominatim laudabuntur,

tur, & jubebuntur ſedere inter primos Divinæ & Regiæ Aulæ illius Principes, ut fulgeant ſicut ſtellæ firmamenti in perpetuas æternitates. Vide & illos, qui omnia ſua hìc reliquerunt, ad ſublimiorem gradum evehi, ut ſedeant ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſraël, Matt. 19. id eſt omnes fideles. Ac denique lautiſſimum omnibus paratum convivium, in quo Chriſtus ipſe tranſiens miniſtret, ùt habemus Luc. cap. 12.

MEDITATIO VII.

De Sanctis Virginibus Martyribus.

De decem Virginibus. Math. 25.

I. DIxit JEſus diſcipulis: *Simile eſt Regnum cœlorum decem Virginibus, quæ cum lampadibus exierunt obviam ſponſo & ſponſæ.* Conſidera, ſi Clericus vel Religioſus ſis, quàm grata ſit Deo virginitas vel caſtitas quam voviſti, quia eam Chriſtus & Beata Virgo coluêre, aliiſque ſvaſère: unde & Agnus immaculatus in Apocalypſi dicitur verſari in comitatu virginum. 2. te debere geſtare lampadem, id eſt, cor habere apertum ad cogitanda cœleſtia, clauſum verò ad terrena: lampas enim supernè patet, infernè clauſa eſt. *Virgo*, inquit Apoſtolus, *cogitat quæ Dei ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* 3. obviam ire Sponſo Chriſto, cui animam tuam per votum irrevocabile deſponſaſti, & ſponſæ, hoc eſt, Beatæ Virgini vel religioni tuæ obviam ibis, ſi omnes cogitationes, deſideria & actiones ad ejus honorem & gloriam, animæque tuæ ſalutem dirigas, & ſemper quaſi præſentem cernas.

II. *Prudentes virgines acceperunt oleum ſecum in vaſis ſuis cum lampadibus, fatuæ ſecus.* Conſidera ad concio-

cinnandam rectè lampadem nè facilè extingvatur, requiri. 1. vitri claritatem & nitorem: 2. ellychnium sufficiens: 3. vas oleô plenum: 4. flammæ ardorem: 5. splendorem. Sic Virgo vel Religiosus debet. 1. esse mente & corpore purus: 2. animam suam pia aliorum exhortatione, lectione, crebraq; communione pascere: 3. vas cordis sui habere plenum oleô charitatis & devotionis in Deum, nam oleum flammam efficit, & fovet in lampade, sic oratio devota Divini amoris flammam excitat & conservat, juxta illud Prophetæ Psalm. 33. *In meditatione mea exardescet ignis.* 4. debet ardens esse in omnibus operibus bonis: nam tepidi ex ore Domini evomuntur, Apoc. 3. 5. bonô exemplô aliis prælucere, ut videant opera ejus bona, & glorificent Patrem cœlestem.

III. *Eædem Sponsô veniente, quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.* Considera tres esse januas, quas Dominus in hoc mundo apertas tenet hominibus, ut ingredi cœlum possint, quæ post Judicii diem omninò claudentur, ut nulli ampliùs pateat in eas ingressus. 1. est misericordiæ & veniæ, quæ patet omnibus habentibus lampadem fidei cum oleo pœnitentiæ. 2. est gratiæ, ad merendum & proficiendum in virtute, quæ etiam patet omnibus justis se exercentibus in bonis operibus. 3. est gloriæ, quæ patet omnibus quidem, sed in gratia, & bonorum operum exercitio usque ad adventum sponsi, hoc est usque ad mortem perseverantibus: *Qui enim perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* 2. Considera claudi januam omnibus, qui, licèt fidem in Christum habuerint, castitatem Deo promiserint, multos annos in religione transegerint, & multîs bonîs operibûs illustres fuerint, non tamen usque in finem perstiterunt.

MEDITATIO VIII.

De iisdem Sanctis Virginibus in genere.

I. Considera Christum, cùm de cœlo in terram descendit, instituisse familiam Virginum, ut sicut ipse in cœlo adoratus erat ab Angelis, ità in terris Angelos haberet, qui ei servirent. Dedit fidelibus spiritum, ut se puros & castos servarent, ac corporis sui vas, ùt monet Apostolus 1. Thes.4. in sanctificatione & honore custodirent, & non in passione desiderii. Fuit virginitas in cœlo inventa, & ad homines delapsa, ac post Judicii diem in cœlo (ubi neque nubent,neque nubentur ulli; sed omnes erunt ùt Angeli Dei) semper perseverabit. 2. Perpende, Christum eam aliis consuluisse, & etiam servasse perfectissimè: quippe qui erat candor lucis æternæ, & speculum sinè macula. Matrem quoq; suam Mariam omnium Virginum Reginam esse voluisse: Præcursorem itèm suum Joannem Baptistam, & inter Apostolos charissimum Sanctum Joannem.

II. Considera statûs virginei dignitatem. Primò enim virgines sunt Christi sponsæ. Unde Sancta Agnes ad Tyrannum: *Ipsi sum desponsata, cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur.* 2. magis conformes sunt Christo, ejusque Matri, & Sanctis Angelis: in carne enim esse, & non secundùm carnem vivere, non humanum, sed Angelicum est. 3. in Parabola sementis Matth. 13. Sancti Patres Virginibus tribuunt fructum centesimum, at viduis sexagesimum, conjugatis autem trigesimum. 4. curis sæculi sunt solutæ: *Virgo* enim, ait Paulus 1. Cor. 7. *cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu.* 5. quia virginitas,teste Sancto Ambro-

brosio, est mater Martyrum, imò & ipsa est martyrium: nam martyrium sæpè brevi tempore absolvitur: at Virginum cum carne pugnantium, diuturnum est martyrium. 5. quia votô continentiam perpetuam offerre, Origine teste, est holocaustum Deo gratissimum.

III. Considera Virginum præmium à Sancto Joanne Apoc. 14. descriptum: Vidit enim Agnum stantem supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentium Nomen ejus, & Patris, scriptum in frontibus suis. Audivit vocem citharædorum, addens; *Isti sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ièrit.* Mons Sion est Ecclesia triumphans: Agnus immaculatus est Christus, quem congruebat stipari à Virginibus mente & corpore puris, quæ in fronte nomen ejus habebant, quia opere fidem quam in corde habebant, professæ sunt. Citharas, quæ habent chordas ordine extensas, pulsabant, quia mortificantes membra sua quasi extensæ fuêre & confixæ cum Christo in ligno Crucis, dum viverent, & svavissimum in auribus Dei sonum reddiderunt.

MEDITATIO IX.

De Sanctis Viduis.

I. CONsidera Deum, inter cætera salutis ac sanctitatis media viduitatem plerisque assignasse, ac animo injecisse, ut orbatæ marito vidualem castitatem profiteantur. Hoc iniêre consilium Judith, Anna Prophetissa, Monica, Paula Romana, Blesilla, Melania, Marcella, Birgitta, Elizabetha Regis Hungariæ filia, ac pleræque aliæ, sumptis ad sanctitatem non exiguis ex viduitate commodis. 1.

 nem-

nempe Deus in sacris paginis sæpè pollicetur fore se de viduis sollicitum, earumque defensorem ac patronum. O Beatas illas, quas Deus suâ dignatur custodiâ! 2. vidua parem in hoc sortita est cum Virginibus conditionem, quòd libera ab hominum subjectione, facultatem habeat Deo liberiùs inserviendi, & à sæculi legibus expedita, nemini privatim placere teneatur, nec sit de secundis nuptiis sollicita, imò nec libertati renunciare, ut iterum viri voluntati se subjiciat. 3. potest sinè impedimento omnibus Christianis virtutibus, quæ ad sanctitatem conferunt, animum appellere, ac potissimùm duabus: 1. est conformitas cum voluntate Divina, quæ ut eam ad sanctitatem adduceret, singularì providentiâ eam viro suo orbavit: Altera castitas, eò quidem illustrior quòd jam delibatis honesti connubii oblectamentis, cùm posset iterum sinè culpa nubere, iisdem se ultro abdicat, ut adempta virginali, vidualem castitatem amplectatur.

II. Considera quid religiosæ viduæ præstiterint, ut perfectionem ac sanctitatem in suo gradu assequerentur: Hæ, inquam, quas D. Paulus verè viduas appellat, 1. mundi ac carnis illecebris erant mortuæ, ut deliciîs spiritualibûs vacarent, & carnis cupiditatibûs edomitîs, præteritarum voluptatum oblitæ, toto ambitu spirituales nuptias deperirent, & affectum maritalem in Christi Domini, veri ac unici Sponsi amorem transferrent. 2. summam in Deo viduarum Protectore fiduciam habebant, scientes, ex quò marito orbatæ fuerunt, eum locò sponsi habuisse, ut solatio esset, & eas à vexantibus vindicaret, & opportunîs consiliîs roboraret. 3. instabant orationi, ut à Deo solatium ac robur perciperent, ùt olim in veteri Lege Judith

vi-

vidua, ac potiſſimùm Anna Prophetiſſa, cujus domum ſacrarium fuiſſe D. Ambroſius aſſerit; colloquia, orationem; vitam verò jejunium: quod & de plerisque etiam novæ Legis viduis, puta, Paula, Monica, & Birgitta, dici poteſt.

III. Conſidera, nonnullîs aliîs gradibûs viduas ſibi viam ad ſanctitatem paraſſe, utpote defectus illos vitantes, quos D. Paulus in viduis arguit, & contrarias ſibi dotes comparantes: Primò enim illas vult eſſe irreprehenſibiles, hoc eſt, vitam ſuam ità componentes, ut ſinè offenſione ſint coram Deo & hominibus, imò in omnibus ſe acceptas præbeant. 2. non otioſas, ſed utilia ſectantes, ut nullus ſuperſit Satanæ locus ad eas tentandas, utpote piis exercitationibus ad ſalutem animæ incumbentes: ſi quos habent filios edocentes, religioſè familiam ſuam adminiſtrantes, miſericordiæ ac hoſpitalitatis opera in alios exercentes. 3. non vagas, per plateas ac domos diſcurſantes: ſed domi ſe continentes, illic potiùs in intimo cordis cum Deo agentes, quàm citra neceſſitatem in comitiis publicis colloquia cum hominibus miſcentes. 4. non loquaces, ſed ſilentii ſtudioſas, ùt cum Deo meliùs verba intùs habeant. 5. non curioſas, rebus alienis non ſe immiſcentes, nec obloquendi aliis ullam occaſionem dantes. 6. luxu ac deliciîs non diffluentes, tum in veſtibus, tum in cibis, atque adeò habitatione, & comptiori corporis ornatu, qui ſtante matrimonio, ut viro ſuo placerent, ferendus erat: ſed viduis, quibus jam Chriſtus Sponſus eſt parum accommodatus.

MEDITATIO X.

DE DEDICATIONE ECCLESIÆ.

De Zachæo. Luc. 19.

I. *JESU perambulante Jericho, Zachæus Publicanorum Princeps quærens videre JEsum, ascendit arborem, quia statura pusillus erat, & præ turba non poterat videre.* Considera quàm bonus & svavis sit Deus, quàm promptus ad præbendam homini occasionem, ut peccare desistat. Nunquam Zachæus quæsiisset Christum, nisi ipse priùs dignatus fuisset ambulare per Jericho: sed ex parte nostra cum Zachæo facienda sunt tria, cùm Deus nobis gratiam offert. Primò enim debemus negotia & lucra temporalia relinquere. 2. duo impedimenta removere, nempe nè timeamus turbam, id est ludibria hominum, nec simus nimium in perferendo labore conversionis, animo pusilli; sed alacriter ascendamus arborem Crucis: *Qui* enim *vult venire post me,* ait Christus, *tollat crucem suam.* Sycomorus significat ficum fatuam: & rectè, quia Crux Judæis fuit scandalum, & Gentibus stultitia.

II. JESUS *eô visô dixit: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.* Considera quia Zachæus magnô desideriô & devotione dulci Christi aspectu perfrui cupiebat: Ideo Christum, neglectâ turbâ, quâ stipabatur, in eum solum intendisse oculos. *Ad quem enim respiciam,* ait apud Isaiam 66. *nisi ad pauperculum & contritum spiritu?* Deus enim quoties vel initia bonæ voluntatis in aliquo deprehendit, mox illi obviam procedit, imò prævenit, & benignam manum porrigit ad extrahendum à peccato, non secus, quàm filio prodigo pœnitenti

spon-

ſponte occurrit pater. 2. Conſidera liberalitatem Chriſti, qui longè plùs tribuit Zachæo, quàm ille unquam expectârit: non enim ſolùm ſe videndum præbuit, ſed etiam diverſari voluit in ejus domo, ut ipſi & toti familiæ ejus, gratiæ ſuæ theſauros impertiret. 3. Conſidera Zachæum cucurriſſe, & cum feſtinatione ex arbore deſcendiſſe: ut diſcamus non eſſe ſegnes in admittendis Divinis inſpirationibus, & exequendis. Deinde cum gaudio illum excepiſſe, ut nos in animæ domum ſæpiùs eum Sacramentaliter, ac cum gaudio ſpirituali recipiamus.

III. *Cùm Zachæus ſtans dixiſſet, ſe dimidium bonorum dare pauperibus, &c. ait JEſus: Hodie ſalus domui huic facta eſt.* Conſidera, ut ſalutem à Deo conſequamur, opus eſſe, ut primò per opera pœnitentiæ ſatisfaciamus Deo, deinde proximis, ſi quid illis debeamus, vel reſtituendo aliena, vel injurias condonando, deinde etiam pauperibus aliquid diſpenſemus: multum, ſi multum habemus: ſi parum, parum: ſi nihil ſaltèm condoleamus, & bonîs verbîs ſolemur. 2. Conſidera Chriſtum, ubicumq; receptus eſt, magnum aliquod donum contuliſſe, ùt in domo Zachariæ, Archiſynagogi, Phariſæi, Simonis & nunç Zachæi. Recipe ergò tu eum, ſi ditari velis, crebriùs in domum animæ tuæ, cùm occaſio eſt communicandi.

N O T A.

Totam hanc Hiſtoriam poſſe appoſitè SacræCommunioni adoptari. 1. utì Zachæus Chriſtum videre vehementer optavit, ſic eum recipiendi ſummô ardeas deſideriô: hæc enim deſideriîs potiùs quàm precibûs obtinenda, præſertim ſi ex indigni-

tate non audeas expetere. Afcendes quoque cum hoc pio Publicano in arborem Crucis, affumpta mortificatione : unde Servatorem tuum, & quæ ipfum fequuntur bona, licebit intueri. 2. finge ipfam te fic alloquentem : *Feftinans defcende, quia in domo tua oportet me manere.* Idcircò quàm primùm ipfam accurata mundabis confeffione, & ornabis piis affectibus, atque adeò propter hæc amantiffima verba lætaberis : *Quia in domo tua hodie oportet me manere.* Noftris quippe piis affectibus pafcitur, & fuo nos ipfe Corpore & Sanguine fatiat ac reficit. 3. Zachæi exemplô in gratiam tanti hofpitis, fortî animô ftatues ipfum diligere, ac eidem in æternum fervire: & quod fpoponderis, quàm primùm curabis opere adimplere : ut hanc feliciffimam vocem merearis percipere : *Hodie huic domui falus facta eft*, id eft animæ tuæ, & cunctis ipfius facultatibus.

MEDITATIO XI.

De ipfa Dedicatione Templi.

1 CONfidera 1. morem, Deo Ecclefias confecrandi, antiquiffimum effe & fanctiffimum : in Lege enim Naturæ, Deo infpirante, Bethel domum Dei fignificans à Jacob Patriarcha, in fcripta verò tabernaculum à Moyfe, & Templum à Salomone confecrata funt, & in Lege nova ab Apoftolis vel eorum fucceffọribus, Ecclefiæ dicantur & confecrantur. 2. Confidera nos hodie Feftum Dedicationis Ecclefiæ celebrare: 1. ut culpas omnes per totum annum in ea commiffas quodammodô reparemus & deleamus : 2. ut de omnibus in eadem acceptis à Deo beneficiis gratias habeamus : ut de novo gratias nobis neceffarias poftulemus & impetre-

tre-

tremus : 3. ut crescat in nobis reverentia quam debemus exhibere Ecclesiæ, quæ Domus Dei appellatur. 1. quia hanc sibi elegit Deus, & in ea speciali modô vult honorari : 2. quia abundantiùs in hoc sacratissimo loco quàm in alio, gratias suas devotè petentibus tribuit : 3. denique quia ibi Christus Dominus in venerabili Eucharistiæ Sacramento corporaliter habitat. 3. Considera ipsummet Salvatorem mundi, ut nos suô exemplô moveret ad ritè celebrandas Ecclesiarum nostrarum dedicationes, Templi antiquæ Legis, ipsarum figuræ, dedicationem celebrare voluisse.

II. Considera, ceremoniarum, quæ in consecratione Ecclesiæ adhiberi solent significationem : 1. Prælatus Clerô & populô comitatus ter Ecclesiam circuit, & hac trina Processione Ecclesiam Trinitati personarum esse dicatam : & te eidem tres mentis potentias, memoriam, intellectum & voluntatem consecrare debere demonstratur. 2. ter pulsat pede Pastorali fores Ecclesiæ, quæ ad tertium pulsum aperiuntur, quô magna potestas & authoritas Sacerdotis, ad cujus nutum etiam dæmones coguntur recedere, denotatur. 3. ingreditur, dicendo : *Pax huic domui*, Ecclesiæ filios pacis amatores esse debere significans. 4. super pavimentum cineribûs conspersum in modum Crucis Alphabetum efformat : 1. Alphabetum, quia rudimenta fidei in Ecclesia edocemur. 2. super cineres, ut infirmitatis nostræ, cujus sunt symbolum, & vitæ brevitatis recordemur : 3. ad modum Crucis : in Cruce enim doctrinam suam debet Christianus constituere, & nihil scire nisì Dominum JEsum Christum, & hunc crucifixum, cum Apostolo gloriari. 4. aquâ lustralî Ecclesiam aspergit & incensat, & hæc

aqua puritatem cordis in hoc ſacro loco requiſitam, incenſum verò, fervorem orationis, quæ ad cœlos aſcendit, & ſvavem odorem emittit, demonſtrat. 5. cruces intus in circuitu Eccleſiæ duodecim imprimuntur, & lampades totidem accenduntur: & hæc Apoſtolos duodecim fidei lumine mundum univerſum illuſtraſſe, ſignificant: cruces autem hujuſmodi in circuitu Eccleſiæ collocatæ: cruces, miſerias, inquam, & afflictiones, quæ omnes, qui piè volunt in Chriſto vivere perpetuò circumdant & contegunt, declarant. Denique Cruces duodecim Sancto Chriſmate inungit Epiſcopus: ut nos certos reddat, homini Chriſtiano, in nulla umquam adverſitate unctionem Divinæ gratiæ & fortitudinis ſibi ad omnes ſuperandas tentationes neceſſariæ defuturam.

III. Conſidera media, quibûs conſecrationem Eccleſiæ ritè valeas celebrare. 1. eſt, frequenter actus fidei circa hanc veritatem elicere, nullum locum ſcilicet in toto orbe terrarum tantâ reverentiâ dignum, ſicut Eccleſiam reperiri poſſe. 2. omnia & ſingula à Deo in Eccleſia per totum annum accepta beneficia, in mentem revocare, & pro illis meliori quô poteris modô gratias referre. 3. ſingula ſimiliter peccata à te per totum annum in ea commiſſa perquirere, & de iis omnibus in Confeſſione Sacramentali cum vehementi dolore te accuſare. 4. culpas hujuſmodi per actus contrarios, ſilentium, v. g. oculorum cuſtodiam, modeſtiam, & ſimiles, reparare. 5. in ingreſſu Eccleſiæ te aquâ benedictâ intingendo, actum contritionis elicere, & idipſum per totum annum obſervare. 6. Infelicem ſtatum eorum, qui ſe irreverenter in Eccleſia

ſia gerunt, deplorare, & precibûs, vel aliis convenientibûs mediis, eorum emendationem procurare. 7. gratias tibi & proximo ad annum feliciter perſolvendum, neceſſarias poſtulare. 8. templum animæ tuæ de novo Divinæ Majeſtati, cor tuum & voluntatem tuam illi totaliter offerendo, & Sacram Euchariſtiam devotiſſimè ſuſcipiendo, conſecrare.

MEDITATIONES DE QUINDECIM MYSTERIIS ROSARII B. V. MARIÆ.

GAUDIOSA V.

I. DE *Incarnatione Chriſti, & Annunciatione Beatæ Virginis.*
II. De *Viſitatione Beatæ Virginis.*
III. De *Nativitate Chriſti.*
IV. De *Præſentatione Beatæ Virginis in Templo.*
V. De *Inventione Chriſti in Templo.*

DOLOROSA V.

I. De *Oratione Chriſti in horto.*
II. De *flagellatione.*
III. De *coronatione.*
IV. De *deportatione Crucis.*
V. De *Crucifixione.*

GLORIOSA V.

I. De *Reſurrectione.*
II. De *Aſcenſione Chriſti.*
III. De *Adventu Spiritûs Sancti.*

IV. *De Assumptione Beatæ Virginis.*
V. *De Coronatione Beatæ Virginis.*

Unde versus :

Nuncius invisens, natus præsens reperitur.
Orat, cum flagris, spinas portat, crucifixus.
Surgens ascendit, spirans, assumptâ, coronâ.

MEDITATIO I.

De primo Mysterio gaudioso.

De Annunciatione Beatæ Virginis.

I. CONsidera immensam Dei charitatem, quòd ad te ab æterna damnatione redimendum, cùm esset Beatissimus & immortalis, voluerit fieri mortalis & miser homo, idque sinè ullo tuo merito, imò infinitis demeritis.

II. Considera quomodò ad exequendum hoc mysterium mittatur de cœlo Legatus Gabriel Archangelus, nunciaturus Beatæ Virgini eam fore Matrem Dei : quanto splendore apparuerit, quâ reverentiâ eam salutaverit. Et rursum, quâ modestiâ Beata Virgo auscultârit, quâ prudentiâ verba Angeli expenderit, qua fide crediderit, & quanta humilitate ancillam se vocârit, licèt electa esset Dei Mater.

III. Considera, quòd mox post verba Beatæ Virginis : *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm vebum tuum*, tota Trinitas ad eam descenderit, & Filius Dei in utero ejus factus sit homo ; ac proinde & ipsa facta est Mater Dei, Regina hominum & Angelorum, & quidam Paradisus in quo Deus per novem menses habitare voluit.

MEDITATIO II.

De secundo Mysterio gaudioso.

De Visitatione Beatæ Virginis.

I. COnsidera, quòd Beata Virgo mox post conceptum in utero Christum magna festinatione per montes altos Judææ cucurrerit ad visitandum cognatam suam Elizabeth tunc gravidam, & in utero habentem Sanctum Joannem Baptistam. Mirare fervorem, charitatem & humilitatem, quòd existens Mater Dei, ei ministrârit ùt ancilla.

II. Considera quantô gaudiô affecta sit Sancta Elizabeth ex visitatione Beatæ Virginis; quomodò obstupuerit à Matre Dei se visitari, quomodò & infans in utero ejus ad præsentiam Beatæ Virginis & Christi jam concepti exultârit; quàm humiliter Beata Virgo laudes suas exceperit, & mirata sit humilitatem Sanctæ Elizabeth dicentis: *Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me?*

III. Considera quomodò Beata Virgo auditîs suîs laudibûs, ut quòd esset benedicta inter mulieres, & benedictus Fructus ventris ejus, erubuerit, & causam omnem bonorum suorum transtulerit in Deum, exclamando *Magnificat anima mea Dominum.*

MEDITATIO III.

De tertio Mysterio gaudioso.

De Nativitate Christi.

I. COnsidera quomodò Beata Virgo cum Joseph ex Nazareth profecta sit cum magna fatigatione in Bethleem, ut Edicto Augusti Cæsaris obediret, idque hyeme, & jam gravida & tenella. Atque ibi non inventô locô in ullo diversorio, ab omni-

omnibus velut mendica repulsa, coacta fit manere in stabulo publico, injuriis cœli pervio.

II. Considera quomodò cùm jam hora gloriosi partûs adesset, media nocte, sinè dolore, dum flexîs genibûs oraret, genuerit Salvatorem; quantô mox gaudiô perfusa sit; quàm devotè adoraverit & osculata sit infantulum: quàm officiosè panniculis vilibus sibi detractis involverit, & in præsepio posuerit.

III. Considera cum affectu compassionis, quomodò Rex Regum sic humiliatus jaceat in duro præsepio & modico fœno: quomodò Rex Angelorum jaceat frigore tremens inter bovem & asinum. Attende ad gaudium Angelorum cantantium, *Gloria in Excelsis*, & pastoribus nunciantium hanc nativitatem. Vide quô studiô illi mox accurant, & dona sua rustica humiliter illi afferant. Disce pauperi Christo caros esse pauperes, maximè, & humiles.

MEDITATIO IV.

De quarto Mysterio gaudioso.

De Præsentatione Beatæ Virginis.

I. COnsidera quomodò post quadraginta dies discedens è Bethleem abierit Hierosolymam, ut Filium suum in Templo præsentaret & offerret, pareretque Legi Moysis, quæ erat, ut omnes mulieres à partu, quia erant immundæ, purificari se curarent. Vide humilitatem Beatæ Virginis, quæ cùm esset mundissima, tamen quasi peccatrix haberi voluit, cùm nos licèt peccatores, sancti velimus videri.

II. Considera quâ modestiâ & devotione benedictum Fructum ventris sui, qui Angelos lætificabat,

cabat, in Templum portârit: quantâ reverentiâ & gaudiô Simeon senex ulnîs suîs exceperit, adorârit, & iterum iterumque osculatus sit, tum obtulerit eum flexîs genibûs super Altare multis cum lachrimis Deo, & in Canticum eruperit, dicens: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.*

III. Considera quàm miranda idem Simeon tum prædixerit Beatæ Virgini, nempe quòd Infantulus ille aliquando ponendus esset in signum cui contradiceretur, id est multa passurus esset à Judæis, & quòd animam ipsius Virginis pertransiturus esset gladius: quod accidit sub Cruce tempore Passionis. Vide quomodò lætis Deus subitò miscet tristia, nè nimium prosperis efferamur.

MEDITATIO V.

De quinto Mysterio gaudioso.

De invento Christo in Templo.

I. CONsidera quanta devotione Beata Virgo cum Josepho Sponso suo & Filio JEsu quotannis iverit Hierosolymam ad celebrandum Pascha. Quàm ardentes preces ad Deum ibi effuderit, cùm sciret se secum habere Filium Dei; ut discamus multa facere ad quæ non tenemur, & libenter loca sancta prædicandi causa adeamus.

II. Considera intimum dolorem Beatæ Virginis, quoniam domum regressa vesperi non invenit suum JEsum, quem putabat esse in comitatu Joseph. Perpende quot gemitus, quot lachrymas profuderit, nesciens quo se verteret: erat enim nox. Interim vide Christum in angulo aliquo Templi nocte orantem: de die autem vel orantem vel panem mendicantem; vel de rebus piis loquentem.

III.

III. Considera quomodò prima luce egressa sollicitè ab obviis quæsierit, num vidissent Filium: ac tandem cùm nusquam appareret, quomodò redierit Hyerosolymam mœrens & tristis ac invenerit Filium sedentem in medio Doctorum. Cogita quantum gaudium ibi mox obortum, quomodò eam sit solatus, monueritque Deum magìs diligendum, quàm parentes.

MEDITATIONES DE QUINQUE MYSTERIIS DOLOROSIS.

MEDITATIO I.

De primo Mysterio doloroso.

De oratione Christi in horto.

I. CONsidera Christum post cœnam nocte cum undecim discipulis mœstum egredi ad hortum, ibique ad jactum lapidis avulsum ab iis, procidere expansîs manibûs in cœlum: primò in genua, tum pronum in terram: tristis enim erat anima ejus ad mortem, id est tanto mœrore obruebatur, ut videretur jam expiraturus: tristis autem erat, tum ob cruciatus, quos sciebat se passurum, tum ob ingratitudinem Judæorum & nostram.

II. Considera quomodò cùm ter orasset: *Pater, si possibile est, transeat à me Calix iste*; eousque desiderium patiendi pro te in eo creverit, ut sanguis bulliens in venis violenter tandem per poros corporis eruperit, & sanguinem sudarit. O Domine JEsu! quanta mea in orando tepiditas, qui nè unam quidem guttulam aliquando exprimere possum.

III.

III. Considera quomodò tantùm sanguinis undique per vestes effuderit, ut non posset præ debilitate surgere à terra, nisi Angeli eum elevassent. Vide cùm surrexit, faciem ejus deformatam pulvere & sanguine, capillos sanguine concretos, & Angelum Gabrielem sudorem abstergentem, & Christum confortantem.

MEDITATIO II.

De secundo Mysterio doloroso.

De Christi flagellatione.

I. CONsidera quomodò Christus coram infinita turba hominum à milite insaniente, in publicum trahatur theatrum, vestibûs omnibûs spolietur, & dirè alligetur columnæ. Cogita quanta ei confusio fuerit toto corpore nudari, & A-num Dei inter rapidos lupos stare, Creatorem mundi ab ingratis creaturis tam indignè tractari, flagella in humeros Dei cadere.

II. Considera quàm acerba fuerit flagellatio: primò enim nodosîs funibûs, tum virgîs cæsus est sinè misericordia: scelestis enim hominibus non poterant infligi, nisi quadraginta verbera, nè excoriarentur: at Christo innumera, ut toto corpore fuerit laniatus. Finge te quasi præsentem audire ictus: videre quoque quomodò rivi sanguinis ex facie aliisque partibus corporis defluant, & tota terra madefiat sanguine. Cogita hæc vulnera infligi ob peccata tua.

III. Considera Christum, dum à columna solveretur, viribûs fractum quasi truncum concidisse in terram. Vide eum in pavimento sanguineo nudum reptantem, & quærentem vestem quâ se operiat. Cùm autem è terra surrexit, purpurâ antiquâ

tiquâ tectus, cogita eum te sic allocutum : Hæc passus sum, fili mi, libenter pro te, & graviora adhuc pati sum paratus, modò tu emendare velis vitam tuam, & exiguum aliquid pati in hac vita.

MEDITATIO III.

De tertio Mysterio doloroso.

De Christi Coronatione.

I. COnsidera quomodò milites Pilati post flagellationem Christo illuserint, induendo eum antiqua veste purpurea, & texendo coronam acutissimîs spinîs, ejusque capiti imponendo. Aspice quàm fortiter eam transversîs signîs infigant, ut etiam cranium penetrent. Supplicium quale de nullo umquam homine sumptum, sed nec de cane.

II. Considera quomodò ei obtulerint arundinem locò sceptri, & per ludibrium genu flexo adorârint. dicendo, *Ave Rex Judæorum* : deinde arundine caput verberârint, & alapas dederint in vultum sanguine totum respersum. Cogita hæc omnia patienter eum ferre pro voluptatibus & dissolutionibus tuis inordinatis.

III. Considera quomodò Christum ità irrisum & consputum Pilatus produxerit foras, & ostenderit Judæis, dicens: *Ecce homo*, ut moveret eos ad comiserationem. Erat enim ità tractatus, ut videretur potiùs esse non homo, & quasi leprosus, ùt dicit Propheta : sed adamantina Judæorum corda mota non sunt. Sicut nec nos aliquando movemur ad compassionem. Cogita quo dolore percussum sit cor beatæ Virginis, quæ præsens erat, & vix Filium suum agnoscebat.

ME-

MEDITATIO IV.

De quarto Mysterio doloroso.

De Deportatione Crucis.

I. CONsidera quomodò Pilatus metu humano Judæorum victus, lavando manus, Christum damnârit ad mortem Crucis, cujus sententiam iniquam Dominus humiliter acceptavit, paratus mori pro nobis. Vide num tu quoque multa mala facias metu, nè aliis displiceas: & an æquô animô suscipias aliorum injurias & contumelias.

II. Considera quomodò ejus humeris gravissima Crux imposita sit, ut eam portaret: (quod nulli latroni fieri solet, ut proprium patibulum portet) quàm benignè eam amplexus sit: quanto cum labore & sudore jam membris fractus portârit, & nimio onere pressus sæpè ceciderit. Cogita tua peccata fuisse illud onus.

III. Considera quomodò deficiente Christo sub onere, tandem Crucem portandam Judæi tradiderint Simoni Cyrenæo: ut disceres cum Christo tibi quoque aliquam crucem ferendam esse. 2. Cogita quomodò allocutus sit in illo itinere mulieres flentes, inter quas erat Beata Virgo, easque sit consolatus: ut discas nec in tribulationibus magnis, à salute proximi quærenda, cessandum.

MEDITATIO V.

De quinto Mysterio doloroso.

De Crucifixione.

I. COnsidera genus mortis crudelissimæ: primò enim Christus omnibûs vestibûs vî exuitur, & ità omnia vulnera renovantur, stabatque bonus JEsus totus sanguine perfusus: tum in trabem humi jacentem detruditur, clavîs obtusîs transfiguntur

manus & pedes. Augetur dolor elevatione & succussione Crucis, & trium horarum diuturnitate, quibus in ea pependit. Imaginare, quasi videres & audires hæc omnia, ùt ictus malleorum.

II. Considera quantâ ignominiâ affectus sit hoc genere mortis. Pendet enim nudus, & in medio latronum, ac si pejor esset illîs, in loco infami, in tot hominum præsentia. Et in tanta confusione adhuc verbîs contumeliosis excipitur & irridetur, ipse autem orat pro illis.

III. Considera Christum extendere brachia in Cruce, ut te amplectatur; clavîs affixas manus, ut amorem erga nos indicet esse constantem. Caput inclinat, ut nos osculetur. Nudus est, ut doceat nos omnium rerum contemptum. Moritur in Cruce, ut in tribulationibus perferendis perseveremus.

IV. Considera Beatam Virginem cum Sancto Joanne sub Cruce stantem, lachrymîs omninò & sanguine de Cruce fluente perfusos. Cogita tunc gladium transivisse animam Beatæ Virginis, de quo ei prædixerat Simeon senex olim. Vide quomodò & ipsa tunc se obtulerit ad Crucem subeundam, si fieri posset.

MEDITATIONES DE QUINQUE MYSTERIIS GLORIOSIS.

MEDITATIO I.

De primo Mysterio glorioso.

De Resurrectione Christi.

I. CONsidera gaudium summum Sanctorum Patrum

trum in Lymbo, cùm anima Christi gloriosa tam diu expectata ad eos liberandos summô triumphô venit.

II. Considera summum gaudium Beatæ Virginis, cùm viditChristum cum corpore glorioso intrantem cubiculum: quando cum eo collocuta est; non dubium quin absorpta sit in contemplatione tam splendidi corporis, quod ante erat tam deformatum.

III. Considera gaudium Mariæ Magdalenæ, cui dum ploraret apud sepulchrum, apparuit in specie hortulani: Nec enim tenere se potuit quin rueret in ejus amplexum.

IV. Considera gaudium Apostolorum, maximè Beati Petri, qui Christum negaverat: omnes enim ob Christi mortem & fugam suam valde erant afflicti. Apparuit autem eis sæpiùs, & consolatus est: quæ magna fuit Christi bonitas.

MEDITATIO II.

De secundo Mysterio glorioso.

De *Ascensione Christi.*

I. CONsidera quomodò in montem Oliveti, ubi erat Beata Virgo cum discipulis & mulieribus, venerit Christus comitatus Patribûs ex Lymbo liberatîs: quàm benignè ibi valedixerit Matri & aliis: quomodò Matrem commendârit Apostolis, omnesque benedixerit.

II. Considera quomodò Beata Virgo & discipuli commoti fuerint, videntes Christum manibûs expansîs summa gloriâ ferri in altum, stipatum innumerîs Angelîs svavissimè cantantibûs, Patribûs Lymbi etiam infinitô numerò splendore maximo sequentibûs.

III. Conſidera Beatam Virginem flexîs genibûs cum aliis in Cœlum continenter reſpicientem, & prorſùs ſpiritu raptam. Cogita quô triumphô, lætitiâ, hymnîs Angelorum cœlum Chriſtus ingreſſus: quomodò Pater cœleſtis eum amplexus, in Throno ſummo ad dexteram eum locaverit.

IV. Conſidera Beatam Virginem & comites, maximam conſolationem accepiſſe ab Angelis, quos in albis veſtitos miſit Chriſtus de cœlo: cujus hortatu magno cum gaudio Hieroſolymam redierunt.

MEDITATIO III.

De tertio Myſterio glorioſo.

De Adventu Spiritus Sancti.

I. CONſidera Beatam Virginem cum diſcipulis in cœnaculo Spiritûs Sancti adventum expectantem, cum ſumma concordia, oratione ferventi & continenti, ſuſpiriîs & lachrymîs, idque diebûs multîs.

II. Conſidera quomodò eis in oratione raptis *factus ſit repente ſonus* in adventu Spiritûs Sancti, id eſt ſvaviſſimus concentus mirè afficiens eos, *qui replebat totam domum*, id eſt corda eorum omnibûs donîs cœleſtibûs.

III. Conſidera quomodò linguæ igneæ ſuper omnes apparuerint: quæ deſignant amorem divinum in corde eorum incenſum, ut non timerent ampliùs prædicare Chriſtum Crucifixum. Hoc ardore accenſus Petrus, prima concione tria millia convertit.

IV. Conſidera quomodò Beata Virgo, quæ plùs omnibùs repleta eſt Spiritu Sancto, gaviſa fuerit, cùm videret tam felix initium Eccleſiæ Sanctæ, tam abundantem fructum ſanguinis à benedicto Filio ſuo in Cruce effuſi.

MEDITATIO IV.

De quarto Mysterio glorioso.

De Assumptione B. Virginis.

I. CONsidera magnum desiderium B. Virginis moriendi & videndi Filium suum. Deinde lætitiam, quando cognovit horam mortis appropinquare: vixerat enim in terra tanquam in longo exilio.

II. Considera quomodò voluntate Divina ante mortem ex toto orbe miraculosè omnes Apostoli, qui in vivis erant, ei adfuerint. Cogita quæ colloquia ibi fuerint, quàm ardentes preces? quanto honore eam affecerint, quantum utrimque gaudium ex mutuo conspectu.

III. Considera quàm sedulò se ad mortem præparaverit: quò enim morti fuit vicinior, eò vivaciora fuerunt ejus desideria & ardentiores orationes, donec magna pace & vultus serenitate anima illa Lunâ clarior evolaret.

IV. Considera puritatem, innocentiam & summas opes illius animæ tantâ gratiâ, tot virtutibûs & meritîs ornatæ. Quam cogitare possumus ipsius Christi de cœlo delapsi brachiîs in cœlum portatam, comitantibûs innumerîs Angelîs, cum symphonia svavissima & lætitia inenarrabili.

MEDITATIO V.

De quinto Mysterio glorioso.

De Coronatione Beatæ Virginis.

I. CONsidera Beatæ Virginis animam eodem splendore & triumphô, quô in cœlum assumpta est, descendisse de cœlo, ut ascenderet cum corpore. Cogita quàm illud pulchrum & gloriosum

fuerit. Si enim alii justi splendebunt ùt Sol : quomodò splenduit Mater Dei, quæ nunquam peccavit.

II. Considera quantâ gloriâ cum corpore & anima ascenderit in cœlum, qui hymni cantati, quæ lætitia Angelorum, quanta consolatio antiquorum Patrum fuerit, quanto honore recepta ab iis sit in cœlum.

III. Considera quantum gaudium fuerit Christo videre Matrem suam : quomodò eam manu sua introduxerit in cœlum : quomodò eam super omnes Choros Angelorum & Sanctorum evexerit, & Sanctissimæ Trinitati præsentârit.

IV. Considera quomodò recipiat Pater ùt Filiam, Filius ùt Matrem, Spiritus Sanctus ùt Sponsam sanctissimam : quomodò in splendidissima Sede ad dextram Filii sui eam collocent, & pretiosissimã Coronam ejus Capiti omnes Tres simul imponant, applaudente tota Curia cœlesti faustìs acclamationibûs & hymnîs.

APPENDIX DE MODO RECITANDI
Rosarium, cum meditatione horum mysteriorum.

QUid sit Rosarium, quæque ejus institutio vel approbatio, vide in Libello Sodalitatis Marianæ Patris Francisci Costeri, vel in Manuali Sodalitatis. Constat autem Rosarium Oratione Dominica quinquies, & Salutatione Angelica quinquagies repetita. Quòd si ter iteretur, vocatur Psalterium Beatæ Virginis, eò quòd tot in eo sint salutationes quot sunt Davidici Psalmi, id est centum quinquaginta.

Quia autem difficilè est oranti Rosarium ad eadem verba toties repetita attendere, piè institutum est, ut

ut quodlibet Rosarium quinque Mysteriîs perficeretur, quibûs meditandîs, dum os verba proferret, mens occuparetur. Ac primò quidem Rosario competunt quinque Mysteria gaudiosa, duo dolorosa, tria gloriosa.

Modus autem cum Mysteriis recitandi Rosarium potest esse duplex. Primus est, ut antequam decadem aliquam inchoës, Mysterium quod in ea meditandum est, breviter in mentem revoces; retinendum tamen donec decadem absolvas. Deinde sub initium Orationis Dominicæ, Deum velut præsentem animo subjicias ùt Patrem: sub initium verò Salutationis Angelicæ, Beatam Virginem ùt Matrem: quô nimirùm imaginatio circa id occupata evagari huc & illuc non possit. Vel certè imagineris te ferri per ea loca in quibus ea Mysteria facta sunt, illísque te præsentem esse cogites, ac si oculîs tuîs haberes proposita: Quod magnô voluptatis sensu fieri potest, sicut otiosi imaginamur aliquando nos totam Galliam vel Italiam percurrere, & mira videre, &c. Possunt autē Dominicâ & Feriâ quintâ expendi Mysteria gloriosa, Feriâ secundâ, tertiâ & Sabbatô, gaudiosa; Feriâ quartâ & sextâ, dolorosa.

Secundus modus est, ut ad singulas decades Mysterium quod expendimus in ipsis Salutationibus Angelicis breviter inseratur hôc pactô.

IN ROSARIO GAUDIOSO.

Ad decades singulas cùm ventum est, ad Nomen JESUS adjiciatur.

Ad 1.	Quem	Virgo concepisti.	Sancta Maria Mater, &c.
2.		Visitando Elizabeth portasti.	
3.		Virgo genuisti.	
4.		In Templum præsentâsti.	
5.		In Templo invenisti.	

IN ROSARIO DOLOROSO.

Ad Nomen JESUS adjiciatur.

1.		Sanguinem sudavit.	
2.	Qui	Flagellatus est.	Sancta
Ad 3.	pro	Spinis coronatus est.	Maria
4.	nobis	Crucem bajulavit.	Mater
5.		Crucifixus est.	*&c.*

IN ROSARIO GLORIOSO

Ad Nomen JESUS adjiciatur.

1.		Resurrexit à mortuis.	
2.		In Cœlum ascendit.	Sancta
Ad 3.	Qui	Spiritum Sanctum misit.	Maria
4.		Te assumpsit.	Mater,
5.		Te in Cœlis coronavit.	*&c.*

Quia verò quodlibet Rosarium concludi solet Oratione Dominica, & ter Salutatione Angelica in honorem Sanctissimæ Trinitatis, ac Symbolo Apostolorum, vel ùt aliis placet, ab iisdem inchoari.

IN PRIMO ROSARIO

Post JESUS in Salutatione Angelica adjiciatur.

Qui	Fidem rectam.	Sancta
nobis	Spem firmam.	Maria,
augeat	Charitatem perfectam.	*&c.*

IN SECUNDO ROSARIO

Post JESUS adjiciatur.

Qui	Intellectum illuminet.	Sancta
nobis	Voluntatem perficiat.	Maria,
	Memoriam roboret.	*&c.*

IN TERTIO ROSARIO

Post JESUS adjiciatur.

	Dirigat cogitationes.	Sancta
Qui	Regat verba.	Maria,
	Gubernet opera.	*&c.*

FINIS.

INDEX MEDITAIONUM PRIMÆ PARTIS.

In Dominicas & Festa D. N. JEsu Christi usque ad Quadragesimam.

Dom. III.

Fer. 5.

In Dominicas & Festa mobilia à Pascha usque ad Trinitatem.

In Dominicas & Festa mobilia à Trinitate usque ad Adventum.

In Festa Sanctorum juxta ordinem mensium occurrentia.

In

In

In

De Communi Sanctorum.

Meditationes de quindecim Mysteriis Rosarii Beatæ Virginis Mariæ.

DE QUINQUE MYSTERIIS GAUDIOSIS.

DE QUINQUE MYSTERIIS DOLOROSIS.

DE QUINQUE MYSTERIIS GLORIOSIS.

Me-

Finis Indicis Meditationum.

MEDITATIONES
IN
VARIA SUBJECTA
Qualibet anni die
AD LIBITUM USURPANDA.
Et præsertim
DIEBUS OCTO VEL DECEM
Ad exercitia ſpiritualia
DESTINATIS.
PARS SECUNDA.

INDEX CAPITULORUM
Quæ in hac ſecunda parte continentur.

ME-

MEDITATIONES
DE
BENEFICIIS DIVINIS.

MEDITATIO I.
De Beneficio Creationis.

1. COnsidera opus ipsum, quid ab æterno usque ad diem conceptionis tuæ in utero matris fueris, nempe putum purumq; nihil, quod qualibet creatura, etiam minima & vilissima, vilius est. 2. cùm nihil esses, & nihil referret te esse aut non esse, Deum ex mero amore tui te creasse, & totum tibi dedisse quod es. 3. cùm Deus potuerit te aliud facere quàm hominem, v.g. bestiam, lapidem; vermiculum, fecisse te creaturam rationalem, omnium aliorum corporalium dominam. 4. hominem non stultum, cæcum, claudum, leprosum; sed [illegible]îs & integrîs membrîs. 5. ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem quidem, quia intellectu, voluntate & memoria præditum: ad similitudinem verò, quia omnium virtutum pulcherimarum capacem: quæ sunt quidam Divinæ naturæ quasi characteres. 6. Postquam te fecit, etiam con-

ſervare & gubernare, quod non eſt minus benefici-um priore, illud enim ſemel tantùm, tibi factum eſt, hoc autem ſemper repetitur; Si igitur multum illi debes, quia te creavit, plùs debebis, quòd te conſervet; quotquot enim temporis momenta habuit, habet, & habebit vitâ tuâ, tot ſunt partes iſtius beneficii, in momento enim ad nihilum redigereris, ſi Deus ceſſaret à tua conſervatione. 7. multa bona propter tui conſervationem fecit. Angelos qui te cuſtodiant, cœlum cum planetis, aërem cum avibus, flumina cum piſcibus, terram cum beſtiis, fructibus, floribus &c. quod mirabatur Propheta *Pſalm. 8. Quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam viſitas eum.*

II. Conſidera tuæ creationis finem, qui eſt 1. ut viciſſim Deum Creatorem tuum ex toto corde, tota anima, tota mente, & omnibûs viribûs tuîs ames, quia te totum, quantus es, creavit. Si enim parentibus juxta Ariſtotelem non poſſumus reddere æquivalens, qui corpus genuerunt, quomodò poterimus Deo, qui totum hominem condidit? 2. ut omni humilitate & pietate Deo ſervias, obſequendo ejus, & ſponſæ illius Eccleſiæ, mandatis. Finis tuus non eſt, ut magna polleas authoritate, ſcientiâ, ſapientiâ, fortunâ, divitiis, ſed ut Deo ſervias, & animam tuam, per bona opera in eo ſtatu in quo ex ordinatione Dei, degis, ſalves. 3. Deus eſt tuus finis, ad quem omnes actiones tuas referre debes, nec ulla earum eſſe debet, quæ ad Deum non referatur. Eheu invenitúrne vel unica actio, quæ unicè ad Deum fuerit directa! O quot actiones tuæ fuerunt propter vanam gloriam, propter mundum, voluptatem, propter reſpectum humanum, ſinè omni prorſus reſpectu ad Deum! O Domi-

mine, vivere non mereor, nisi tibi vivam, & propter te omnia agam! 4. denique, hunc tibi Deus præfixit finem, ut postquam omnia, quæ ad tuam salutem spectant, rectè præstiteris, felicitatis tandem æternæ cum eo particeps efficiaris, quô, nullum majus bonum excogitari potest.

III. Considera quid te agere oporteat postquam cognoveris, ad quem finem creatus sis. 1. Deo summas gratias agere debes pro tanto beneficio, non minus enim debemus Deo, quòd sit noster ultimus finis, quàm quòd sit principium nostrum, unde rectè quidam Sanctus concludit, hominem non toties respirare, quoties tenetur Dei sui recordari. 2. cùm peccatum mortale sit aversio à Deo ùt à fine ultimo, illud summô odiô detestari debemus. 3. Cùm aliarum omnium creaturarum finis sit, ut nobis serviant & ad consequendum finem nostrum auxilio nobis sint, illìs omnibûs uti debemus, inquantùm ad salutem nostram conducere possunt, sive sint dona naturalia, ùt sanctitas, honores, scientia, ingenium, fortuna &c. sive supernaturalia ùt gratiæ, variæ inspirationes, adhortationes &c. Et ideo si priora quæ sunt in ordine naturæ non serviant ad nostrum finem consequendum, contraria potiùs nobis essent optanda & eligenda, ùt ægritudo potiùs quàm sanitas, mors, quàm longa vita, paupertas quàm divitiæ, humilitas quàm honores, religiosa vita potiùs, quàm sæcularis: *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua.* Math. 16. v. 26.

MEDITATIO II.

De beneficio Redemptionis.

I. Considera à quo sis redemptus, nempe à Filio

Dei tuo Creatore & Conſervatore, qui humanam naturam aſſumere dignatus eſt, ut perfectiſſimô modô te redimeret à peccatis, & perpetua damnatione inferni, quam per peccatum merebaris. 2. Conſidera quantum amorem in hac re erga te & omnes homines Deus demonſtravit, nempe quantum maximùm potuit. Nam cùm non poſſet pro ſuis peccatis ſatisfacere ullus homo, ſi Deus non fieret homo, ipſe pro homine voluit fieri homo, & quidem mortalis & paſſibilis, ac potiùs mori pro homine, quàm ut periret homo. Non ſecus ac magnus Rex aliquis pro homine viliſſimo mancipio, quòd pro graviſſimis ſceleribus nullo ſupplicii genere compenſare poſſet partis læſæ offenſam. vel ſeipſum vel filium ſuum mactandum offerret.

II. Conſidera quô modô ſis redemptus, nempe perfectiſſimô. Poterat enim Deus ſola voluntate, verbo & nutu, antequam fieret homo, nos redimere, ſicut unô verbô creavit. Et factus homo poterat oratione, uno gemitu, unâ guttâ ſanguinis etiam in circumciſione ſua profuſa, totum genus humanum redimere; ſed voluit totius ſanguinis effuſione, Paſſioneque omnium acerbiſſima & ignominioſiſſima redimere. 2. Conſidera tantam acerbitatem fuiſſe, ut ipſi in horto oranti cogitatio ſola futurorum cruciatuum ſudorem ſanguineum toto corpore expreſſerit. Flagrîs ſic conciſus, colaphîs contuſus, ſputîsque oppletus eſt, ut videretur leproſus: manus pedesque clavîs obtusîs confoſſi, caput ſpinarum aculeîs per cranium transfixum. Et ſuper hæc trabem Crucis ipſe ſuis humeris jam convulneratis geſtare coactus eſt: ſed ſupra vires, quia ſub onere corruit. 3. Conſidera, quàm ignominioſa fuerit tota Paſſio. Primò enim à proprio di-

discipulo proditus, deinde funibûs & catenîs per vias in habitu alieno velut stultus pertractus, per ludibrium tanquam Rex adoratus, Barrabæ latroni posthabitus, in medio latronum velut sceleratissimus crucifixus, & in ipsa cruce variîs contumeliîs lacessitus.

III. Considera, à quantis malis sis redemptus. Primò enim redemptus es à peccatis, quorum tanta est gravitas, ut expiari non potuerint nisì Sanguine Filii Dei: 2. à perpetua tyrannide & servitute diaboli, cui per peccatum eras mancipatus: 3. ab igne æterno, diabolo & angelis ejus parato. 2. Considera quanta bona ex hac redemptione consecuta sint. Primò enim ex filio diaboli factus es filius Dei: 2. ex hærede æternæ damnationis factus es hæres æterni Regni. 3. factus es particeps gratiæ & amicitiæ divinæ, omniumque bonorum spiritualium: 4. ut si in peccata vetera relabaris, iterum possis per pœnitentiam in gratiam restitui: 5. ut in gratia existens merearis augere gratiam & vitam æternam: ut suscipias fontem gratiæ, nempe in sanctissima Eucharistia, ac etiam (ut pro tot beneficiis à Deo acceptis dignum aliquid reddas) Patri cœlesti eundem offeras: quod fit in Sacrificio Missæ.

MEDITATIO III.

De beneficiis peculiaribus cuique propriis.

1. CONsidera, quæ peculiaria à Deo beneficia tibi totâ vitâ tuâ contigerint, quæ non sunt aliis etiam Catholicis inter quos vixisti communia, sive sint naturæ sive fortunæ sive gratiæ; bona naturæ & fortunæ esse hæc possunt: Quòd infans, non sis in utero materno extinctus, quòd non sis

natus ex Parentibus infamibus, illegitimis, hæreditario aliquô morbô infectis, corpore vitiatis, magis, & veneficis, mendicis, latronibus aliisque idgenus nebulonibus; quòd à multis malis naturalibus sis exemptus, alios enim videmus affligi leprâ, alios podagrâ, vel epilepsiâ aliîsve innumerîs morbîs & defectibûs corporis, mundus enim hic, nihil aliud est, quàm infinitarum ærumnarum & miseriarum pelagus, nec in illo, vel unica domus invenitur, in qua non sit aliqua calamitas, 2. Quòd à parentibus piis ab infantia fueris educatus, & ab iisdem, pedagogis magistrisque Catholicis ac probis traditus instituendus, quòd severiore disciplina domestica & scholastica fueris à societate petulantium, lascivorumque puerorum, & à variis peccatis abstractus &c.

II. Considera beneficia particularis gratiæ, maximè post annos pueriles: Quòd tibi præceptores obtigerint docti & pii, qui simul veram pietatem Christianam cum literis instillârint: quòd occasionem habueris multas conciones & exhortationes audiendi: quòd ad eas scholas, academias, hominumque piorum sodalitates perveneris, in quibus frequens est usus Sanctissimorum Sacramentorum Confessionis & Eucharistiæ: ubi multa præclara exempla veræ pietatis publicè, privatimque cernuntur: ubi virent exercitationes repetitionum quotidianarum, disputationumque privatarum & publicarum: ubi nulla est juventutis vanitas & dissolutio: ubi summa erga præceptores obedientia & reverentia: ubi denique liberè exercitationi omnium bonorum operum, ipsique honestati, sinè cujusque ludibriò & convitio, quisque vacare potest.

III. Considera alia beneficia magìs arcana & occul-

culta, tibique omninò propria: ut si sis à parentibus hæreticis natus, in hæresi ab hæreticis præceptoribus instructus, & tamen tandem mirabiliter ad veram fidem traductus, si in ea perstiteris, etiam postquam à parentibus vel amicis es exhæreditatus, vel derelictus. Itèm si à societate malorum singulari gratiâ abstractus: si ex sordibus gravis alicujus peccati in quo diu hæseris, emerseris: si à periculo singulari vel animi vel corporis liberatus, ùt à naufragio, à morte post lethalia vulnera, à gravissima tentatione, v.g. se necandi, vel ab aliis periculis tibi ignotis. Quis enim scit à quot tentationibus te Deus præservarit, à quot occasionibus peccandi? quoties laqueos inimici in via existentis ruperit, nè illis implicareris? Quare sicut pro occultis peccatis quotidie oras cum Propheta Psal. 18. *Ab occultis meis munda me Domine*: ità & pro occultis istis beneficiis debes gratias agere.

MEDITATIO IV.

De beneficio vocationis ad fidem Catholicam.

1. COnsidera, non prodesse nobis beneficium redemptionis, nisì subsequatur beneficium vocationis ad veram fidem & justificationem. Sicut enim emplastri nullus est usus, si non applicetur vulneri; sic nec Passionis Christi nulla in nobis sequitur utilitas, nisì per fidem & Sacramenta fidei nobis applicetur. 2. Considera sinè peculiari ope & auxilio divino neminem vocari ad veram fidem. *Nemo potest venire ad me*, inquit ipse Christus Joan. 6. *nisì Pater meus traxerit illum.* Sicut enim lapis naturâ suâ semper cadit deorsum, nec potest tendere sursum nisì auxiliô externô, sic homo propter peccati corruptelam semper inclinatur in a-

morem rerum terrenarum, nec poteft ad amorem cæleftium mentem erigere, nisì dexterâ excelſi adjutus.

II. Conſidera quot millia, non dico hominum, ſed nationum, infidelium & hæreticorum, ab initio mundi, & ante Chriſtum & poſt Chriſtum, ac etiam hôc ſæculô, juſtô Dei judiciô hanc neceſſariam ad ſalutem vocationem conſecuti non ſint, ac proinde perierint & pereant in ſua infidelitate vel hæreſi. Cogita quid de te factum eſſet, ſi inter Ethnicos natus eſſes, ſi ligna & lapides adoraſſes: deinde, ſi hæreticos parentes, cognatos, patriam habuiſſes. Vide quantas gratias debeas Deo tuo, quòd in tanta reproborum multitudine voluerit te inter domeſticos Eccleſiæ ſuæ Catholicæ Romanæ naſci, lacte Apoſtolorum nutriri, & ſanguine Chriſti inebriari. Quòd voluerit te per ſacrum Baptiſmum renaſci filium Dei,& vitæ æternæ hæredem fieri.

III. Conſidera quot millia Chriſtianorum ſint qui per veram fidem in Chriſtum & Baptiſmum, à peccatis & damnatione æterna quidem ſunt liberati, & divinæ gratiæ & amicitiæ reſtituti: ſed tamen poſtea vel in hæreſim vel in gravia peccata relapſi ſunt, ex quibus non emerſerunt: tu autem toties lapſus & naufragium paſſus, arreptâ pœnitentiæ tabulâ, ad portum ſalutis redieris: quàm patienter tecum ſæpè Deus egerit, quòd vel gravia peccata committentem, vel diu in illis hærentem,& non dolentem, imò alios etiam ad illa ſollicitantem, ſuſtinuerit: Quòd in medio peccatorum multas ſæpe inſpirationes pias ſuggeſſerit: & ad reſipiſcendum vocaverit eum, qui nihil aliud faciebat, quàm quòd vocantem offenderet: Quòd denique clamore tam al-

alto vocârit, ut non secus, quàm Lazarum à morte ad vitam revocaverit, ac tantâ gratiâ ornârit, ut etiam svave sit & jucundum à pristinis peccatis abstinere, & Deo servire.

MEDITATIO V.

De beneficio æternæ Prædestinationis.

I. CONsidera hoc beneficium non esse commune, sed peculiare, eorum duntaxat, qui ab æterno à Deo electi sunt ad vitam æternam, quod est omnium beneficiorum maximum, & gratia gratiarum: non solùm quia datur ante omne meritum, ex sola immensa Dei bonitate, sed etiam quia cæterorum est fundamentum. Cùm enim homo electus est ad vitam æternam, mox quoque Deus, quæ ad illam consequendam requiruntur, media impertitur: *Quos* enim *prædestinavit*, inquit Apostolus Rom. 8. *hos & vocavit & justificavit.* Sicut enim Pater carnalis, qui filium educat, ut aliquando Ecclesiasticus fiat, curat, ut à teneris annis litteris operam det, & moribus Ecclesiasticis asvescat; sic æternus Pater semel ad gloriam æternam electos, Paternâ suâ curâ dirigit in via justitiæ, donec ad finem destinatum perveniant.

II. Considera, etiamsi hoc prædestinationis beneficium in hac vita nobis maneat ocultum, tamen signa quædam illius haberi posse, inter quæ maximum est perseverantia in vita pia & sancta. Qui enim multîs annîs in timore Domini vixit, atque omnî studiô peccata mortalia fugit, piè potest credere, quòd, utì Apostolus loquitur 1. Cor. 1. confirmabit eum Dominus usque in finem sinè crimine in diem adventûs Domini: & quòd, utì incepit, sic finiet. 2. Considera neminem quidem de hac perseverantia posse esse securum: nam & Sa-

lomon, cùm diu piè vixiſſet, tandem defecit, tamen quia una hirundo non facit ver, & proverbium eſt. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea*, Prov. 22. Humiliter de infinita Dei bonitate præſumi poteſt, quòd qui ità perſeverat, electorum numero ſit adſcriptus, ſicut præſumit ſe ſalvandum: hoc enim illud præſupponit.

III. Conſidera, quanti faciendum ſit hoc beneficium, ac proinde quantæ gratiæ tibi pro eo ſint agendæ Deo optimo maximo. *Primò* enim nihil excellentius vel ſublimius eſſe poteſt fine & ſcopo prædeſtinationis: eſt enim ipſe Deus, vel æterna divinæ viſionis, & omnis voluptatis pleniſſima fruitio, quod bonum eſt omnium maximum, quô majus deſiderari non poteſt. 2. Deinde prædeſtinatio eſt antiquiſſima, quæ non incepit cum mundi conſtitutione; ſed mundô, multò antiquior, imò ipſi Deo coæva, qui, quemadmodùm ab æterno eſt, ſic ab æterno dilexit ſuos & te. 3. Quia eſt electio immutabilis: quod enim Deus ſemel voluit, & decrevit, mutari non poteſt. *Ego Deus*, inquit ipſe apud Prophetam, *& non mutor*. 4. Quòd te cum paucis aliis inter tot centena millia hominum, qui ſæpe meliores fuerunt, dignatus ſit eligere in numerum prædeſtinatorum, idq; ab omni æternitate: quòd pectori divino tui memoria inſculpta fuerit ante omnia ſæcula, quòd pro filio Dei adoptivo habitus ſis, & in ſplendoribus Sanctorum, cùm Pater cœleſtis dixit filio naturali: *Ego hodie genui te*.

MEDITATIO VI.

De beneficio vocationis ad Religionem, quæ eſt pro Religioſis aut ad ſtatum Religioſum aſpirantibus.

1. CONſidera, ſi Religioſus ſis, apt deſideriô ingre-

gredendi Religionem tenearis, hoc beneficium quoque esse peculiare, & post divinam prædestinationem omnium maximum, paucisq; concessum, & ideo Christus dicebat de illo, Matth. 19. *Qui potest capere, capiat.* Et, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Religio enim est status perfectionis, non quòd omnes perfecti esse debeant, qui eam suscipiunt; sed quòd quotidie proficiendo per observationem non solùm præceptorum, sed etiam consiliorum divinorum, debeant ad vitæ Christianæ perfectionem tendere. Hæc est, demptô martyriô, angustissimâ portâ & arctissimâ viâ quæ ducit ad vitam æternam, & pauci sunt, qui inveniunt eam, Matth. 7. In hac, si quis convenienter suæ Regulæ in via pia & sancta perseveret, probabilissimum argumentum habet, se esse in numero prædestinatorum. 2. Considera causam, cur hoc beneficium tanto sit in pretio habendum. Una est, quia in sacra Scriptura sola temporalium facultatum in pauperes propter Christum distributio, amplissimam habet promissionem à Christo, ùt quòd magnum thesaurum ejusmodi habituri sint in cœlo, Matth. 16. Deinde, quòd centuplum in hoc sæculo accipient, quoad domos, agros & fratres, & in futuro vitam æternam, Marc. 10. Quid ergo habebunt, qui præterea se castrant propter Regnum Dei, & voluntatem suam, ac judicium subjiciunt voluntati hominis locò Dei, & hoc palam solemni vel simplici professione Deo, ac omnibus Sanctis vovent, ùt faciunt omnes Religiosi? *Altera est*, quia sancti Patres comparant ingressum in Religionem alteri baptismo, eò quòd per illum homo, sicut per baptismum liberetur ab omnibus peccatorum pœnis.

nis. Sanctus Gregorius addit, ficut holocauftum excedit alia facrificia, fic ingreffum Religionis, omne genus pœnitentiarum vel fatisfactionum etiam publicarum excedere. Beatus Bernardus verò & Petrus Blefenfis etiam comparant religiofam vitam, tot labores continentem, martyrio.

II. Confidera, cur fancti Patres hîs comparationibûs fint ufi. Prima caufa eft fancti Thomæ Aquinatis, quia paucîs eleemofynîs poteft homo fatisfacere pro pœnis peccatorum, juxta illud Danielis 4. *Peccata tua eleemofynîs redime.* Ergo multò magìs fatisfacit, qui non folùm omnia fua dat pauperibus, fed etiam feipfum tamquam fervum offert Deo & Religioni, imò vovet fe nihil ampliùs proprium poffeffurum. Secunda caufa eft, quia tota profeffio veri Religiofi confiftit in continua deportatione crucis fuæ, hoc eft, abnegatione proprii judicii & voluntatis, mortificatione fenfuum, paffionum, omniúmque cupiditatum pravarum carnis & mundi, fecundùm illud Luc. 9. *Si quis vult venire poft me, abneget femetipfum, & tollat crucem fuam quotidie:* & hoc eft fpirituale martyrium. Unde Sapiens dicit Prov. 16. *eum qui dominatur animo fuo, meliorem effe expugnatore urbium.* Imò Seneca Philofophus gentilis agnovit epift. 123. *imperare fibi maximum effe imperium.*

III. Confidera peculiaria bona in Religione à S. Bernardo defcripta, fic enim ait ille: *In Religione homo vivit puriùs, cadit rariùs, furgit velociùs, incedit cautiùs, quiefcit fecuriùs, irroratur crebriùs, purgatur citiùs, moritur confidentiùs, muneratur copiofiùs.* Perpende hæc omnia: 1. Cur *vivat puriùs*, nempe 1. ob puritatem intentionis, quia omnia facit ad Dei gloriam, & animæ falutem *Si oculus tuus fuerit fimplex*, ait Chri-

ftus

ſtus Matth. 6. *totum corpus tuum lucidum erit.* 2. ob puritatem à peccatis mortalibus, quæ ſola animam verè impuram faciunt, quia boni Religioſi malunt mori, quàm ſcienter peccare mortaliter. 3. ob puritatem mentis & corporis Angelicam, quia promiſerunt Deo & Religioni caſtitatem. 2. Conſidera, cur *cadat rariùs*, quia in ea rara vel nulla ſunt offendicula, vel lapides ſcandali, in quos impingat. 2. nulli laquei dæmonis, ratione opum, honorum vel voluptatum mundi, quas appetat: *Qui enim volunt divites fieri*, ait Apoſtolus 1. Tim. 6. *incidunt in laqueum diaboli.* Hic autem non ſolùm non vult dives fieri & magni haberi, ſed etiam paupertatem amat tamquam matrem, & cupit ab omnibus contemni. 3. quia econtrà multa in ea ſunt adminicula Superiorum, Confeſſariorum, & Præfectorum ſpiritualium, à quibus ſuſtentetur, nè cadat. 3. Conſidera cur *ſurgat velociùs*, quia lapſus ejus ordinariè non ſunt nisì veniales, qui multis modis expiari queunt oratione Dominica, aquâ benedictâ, tunſione pectoris, confeſſione generali, gemitu, actu ferventi caritatis, *&c.* 2. quia à multis ſociis fratribus poteſt ſublevari. Unde dicitur Eccl. 4. *Væ ſoli, quia non habet ſublevantem ſe.* 3. quia Angelica miniſteria in Angelico iſto ſtatu ei ſunt promptiora, & divina præſidia nomine *centupli in hac vita* ſunt promiſſa. 4. Conſidera cur *incedat cautiùs*, nempe 1. quia ſicut Deus nullum relinquit peccatum impunitum, ſic Religio omnes lapſus expiat per pœnitentiam. 2. quia in Religionum Regulis omnes ferè imperfectiones prohibentur, in quos aliquis incidere poſſit. 3. quia omnes Superiores, æquales & inferiores habet ſuorum morum inſpectores, & quaſi obſervatores, quibus cavet vel minimam da-

re occasionem offendiculi. 5. Considera cur *quiescat securiùs*, nempe 1. quia expers est omnis curæ rerum ad victum, vel amictum necessarium. *Nemo militans Deo*, ait beatus Paulus 2. Tim. 2. *implicat se negotiis sæcularibus*. 2. quia nullum bellum vel exiguum habet cum mundo, quem deseruit, & carne, quam per mortificationis virtutem crucifixit cum vitiis & concupiscentiis. 3. quia summa fruitur conscientiæ pace: *Secura mens*, ait Sapiens Prov. 15. *quasi juge convivium*. 6. Considera cur *irroretur crebriùs*, nempe 1. quia in quotidianis exercitiis spiritualibus orationum, meditationum, sacrificii Missæ, & Communionis sæpe particeps fit divinarum inspirationum. *Super quem requiescit spiritus meus*, ait Dominus Isa. ult. *nisi super humilem & quietum & contritum corde?* 2. consolationem cœlestium etiam in mediis afflictionibus, ùt jejuniis, disciplinis, ciliciis. 3. novarum virtutum & donorum Spiritûs sancti. 7. Considera cur *purgetur citiùs*, nempe 1. quia in ea usitatum est quotidianum examen conscientiæ, tam particulare quàm generale, in quo inquirit in singulos lapsus, dolet, & emendationem proponit. 2. quia crebrò iteratur Confessio Sacramentalis, & post illam devota Communio. 3. quia in ea frequentes sunt satisfactiones pro expiandis pœnis peccatorum, tum sponte susceptæ, tum à Superioribus, Confessariis, vel regulæ injunctæ, quas si sedulò servet, purgatione opus non erit in hoc sæculo. 8. Considera cur *moriatur confidentiùs*, nempe 1. quia confidit in illa promissione generali & speciali, Generali: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Matth. 10. & 19. Et speciali: *Vade, & vende omnia, & habebis thesaurum in cœlo*. 2. quia scit proverbium esse, qui bene vixit,

xit, & anguſtam viam tenuit, non poſſe malè mori, ſecularesq; ſolitos ſub mortem dicere: Utinam in Religione tali vel tali vixiſſem. 3. quia, ſi ſuperſunt adhuc aliquæ imperfectionum reliquiæ expiandæ, novit ſe habere in extrema hora ex privilegio Ordinis indulgentiam plenariam, ac ante & poſt mortem communionem omnium ſui Ordinis, precum & ſacrificiorum, aliorúmque operum bonorum. 9. Conſidera cur *remuneretur copioſiùs*, nempe 1. quia qui relictîs omnibûs ſecuti ſunt Chriſtum, ſedebunt ſuper ſedes duodecim judicantes, Matth. 19. & centuplum accipient in hac vita, & in futuro vitam æternam, Matth. 10. Centuplum accipiunt, quia pro patre uno relicto, in Religione plures ſpirituales patres, pro fratre plures fratres, pro una domo multa collegia vel cœnobia. 2. quia, teſte Apoſtolo Rom. 2. *Deus reddet unicuique ſecundùm opera ſua: & qui ſeminaverit in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, 2. Cor. 9. At Religioſus quotidie vacat operibus, vel religionis orando & laudando Deum, vel humilitatis, vel miſericordiæ corporalibus aut ſpiritualibus. Deinde quælibet ejus opera etiam indifferentia, ùt dormire, comedere, ſtudere, ſunt meritoria, tum quia ſemper ferè eſt in Dei gratia, tum quia omnia ad Dei gloriam refert, & facit ex obedientiæ virtute. 3. quia præter ea quæ omnibus beatis ſunt communia, Religioſis maximè competunt tres aureolæ, Martyrũ ſcilicet, Virginum & Doctorum, quæ ſunt accidentalia quædam præmia.

ME-

MEDITATIONES DE PECCATIS.

MEDITATIO I.

De gravitate peccatorum ex parte DEI.

1. CONsidera *Peccatum* juxta S. Augustinum, *esse dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*, hoc est, prævaricationem divinorum mandatorum. 2. Expende, quantum malum sit, & idcirco summô studiô cavendum: 1. Sicut anima tua dum perseverat in gratia & amicitia Dei, tam splendida est, totq; spiritualibus donis ornata, ut Creator ipsius delectetur habitare in ea; ità dum in peccatum lethale consentit, tam spurca & abominabilis redditur, ut peccator, si ei concederetur videre eam, præ horrore aspicere eam non posset; nam omnibus beneficiis Dei spoliatur, & multis malis obruitur, Deus enim ab ea recedit, perdit Dei gratiam & amicitiam, familiaritatem Spiritûs sancti, participationem meritorum Christi, Paternam Dei providentiam, virtutes infusas, & dona Spiritûs sancti, pignus Regni cœlestis, pacem & securitatem conscientiæ, merita omnia & bona opera in gratia facta, ipsam vitam æternam. 2. Peccatum mortale conciliat summum odium & iram Dei adversus peccatorem. *Odio est* enim *Deo impius & impietas ejus.* Sap. 14. ream efficit æternæ damnationis, præsidio Angelico destituit, & servituti dæmonum subjicit, periculum in graviora labendi causat, obligationem pec-

peccati deflendi, pudorem confitendi, & laborem satisfaciendi adfert, & alia innumera mala in miseram animam per peccata devolvuntur. 3. Quia peccatum non potuit expiari nisi sanguine & morte filii Dei. 4. Quia ex diabolo est & diabolo acceptissimum. *Qui enim peccatum facit, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.* 1. oan. cap. 3.

II. Considera, unde constet Deo esse exosum, nempe ex gravissimis, quibûs illud castigavit pœnîs, primò in Angelis, deinde in hominibus. In Angelis quidem, quos unà cum Principe Lucifero, cùm essent omnibûs naturæ & gratiæ donîs in sua creatione ornati, Deóque gratissimi, ob unam superbam animi cogitationem, quasi pares Divino numini esse velent, è cœlo ad teterrimum obscurissimuq; inferni carcerem deturbavit. 2. Considera quid ibi agant. Nimirùm, nec quicquam boni facere, nec quicquam mali omittere ibi possunt, perpetuò dolentes de amisse felicitate; tum naturali, quâ beati fuere; tum divinâ, quâ esse potuerunt, desperantes omnem resipiscendi facultatem, furentes odio in Deum sibi, graves, nobis invidentes, & omnibûs fraudibûs ac insidiîs homines sanctos circumvenientes, ac denique flammas sempiternas, quibûs adurantur; sed non consumantur, ubicumque sint, secum deferentes. 3. Considera cùm hæc Fide Catholica verissima esse credamus, quàm horribile sit, quòd tam facilè peccemus, cùm tamen ad nomen solùm peccati mortalis, ità exhorrescere deberemus, acsi fulmen de cœlo caderet, vel si infernus ipse ad nos absorbendos dehisceret!

III. Considera quomodò in hominibus Deus illud castigârit. Et primò in omnium hominum Principe Adamo, quem sua manu formârat, cui

imperium orbis terrarum detulerat, quem pluri-mîs naturæ gratiæque dotibûs locupletarat, cui æternam felicitatem promiserat, & in Paradisi loco omnium totius mundi pulcherrimo collocârat: hunc enim unà cum conjuge sua, ob decerptum è medio Paradisi contra mandatum Domini pomum, derepente omnibûs gratiæ opibûs exutum ejecit è summa felicitate ad summas miserias, ad laborem manuum, ad sudorem vultûs, & quod cogitantem reddat attonitum, totam cum eo posteritatem, id est, omnes homines qui sunt, fuerunt & futuri sunt usque ad mundi finem. Nam omnes hujus sæculi & futuræ ærumnæ, ut peccatum originale, & alia, morbi, paupertas, fames, bella & damnatio æterna ex illo solo Adæ lapsu, prodierunt. 2. Considera quàm graviter subinde variîs sæculîs alia quædam peccata in hominibus castigârit: Nam tempore Legis Naturæ & Noë, totum mundum perdidit diluviô, Sodomam & Gomorrham igne & sulphure. Tempore verò Legis scriptæ murmur Dathan & Abiron, inobedientiam Saulis, & David adulterium. Ac in nova, mendacium Ananiæ & Saphyræ, Act. 5. notum est, quàm duriter puniverit & puniat quotidie, vel in uno peccato mortali decedentes in hac vita, nempe æternîs inferni flammîs. 3. Recogita (si in statu Sacerdotali existis) quòd si tam gravissimè punit Deus & odio habet peccatum in hominibus sæcularibus, quid fiet, dum Sacerdos audet peccare, tantîs donîs ornatus, ad tam sublimem statum electus, tam strictè ad Sanctitatem vitæ obligatus, qui omnibus, bonîs exemplîs, sicut Sol, lucere debet, & locò hujus, malô exemplô alios scandalizat! satis est meminisse eorum quæ comminatur Deus apud Malachiam Prophetam cap. 2. *Et*

nunc

nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes, si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & infrà: *vos recessistis de via & scandalizastis plurimos in lege. - - Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis sicut non servastis vias meas.*

MEDITATIO II.

De gravitate peccatorum ex parte Christi, pro peccatis mortui.

I. 1. CONsidera tantam esse peccatorum nostrorum gravitatem, ut Filium Dei de cœlis in hanc terram traxerit, & ad carnem humanam assumendam, in qua pro iis expiandis pati posset, commoveri. Nam cùm malitia peccati lethalis sit infinita, utpote contra bonitatem Dei infinitam, non potuit nisì satisfactione infinita deleri. Unde vel infinita pœna toleranda erat, quæ in creaturam infinitam convenire nequit, vel tempore infinito, sicut luunt damnati in inferno; vel infinitæ dignitatis persona substituenda, quæ actione aliqua infiniti meriti Deo satisfaceret: cujusmodi fuit persona Christi, quæ hoc negotium ex incredibili suo amore erga salutem nostram suscepit. 2. Considera inde consequi, sicut peccatori sua peccata in inferno sedem parant, & sicut furi parant sua furta supplicium, sic peccata cujusque nostrum Christo humanam carnem assumendi, & moriendi necessitatem attulisse.

II. Considera Christum, ut peccatorum nostrorum, quæ in humeros suos suscepit, gravitas magis eluceret, non solùm vitam duxisse laboribûs &

afflictionibûs plenissimam, sed etiam mortem sustinuisse omnium acerbissimam contumeliosissimamq; quò non solùm infinitam culpæ infinita satisfactione, (quod fieri poterat unâ guttâ sanguinis, uno gemitu, una oratione, uno actu charitatis) plenè expiaret, sed etiam absolutissimô justitiæ modô, id est, atrocissimo cruciatu & pœna expiaret.

III. Considera, non inde magnitudinem peccati extenuari, quòd non pro tui solius, sed totius mundi peccatis Christus tam atrocia passus sit, sed potiùs declarari Passionis virtutem. Ut enim si Solis hujus clarissimi solus lucem & calorem percipias, non magìs tibi soli ille lucebit, quàm si ejus splendore & ardore cum cæteris mortalibus perfruaris: utque non minùs hominem occidis, si solus eum gladiô confodias, quàm si decem alios ad cædem faciendam tibi adjungas: sic unum peccatum mortale tuum, ad quod expiandum necessaria erat Passio Filii Dei, non est minùs causa Passionis Domini, quàm si cum reliquis peccatis totius mundi cogitetur conjunctum. Nec minùs utilitatis nobis adfert Passio Christi pro totius mundi peccatis suscepta, quàm si pro te solo eamdem suscepisset.

MEDITATIO III.

De gravitate peccatorum ex parte dæmonum, quia eis maximè placent.

I. CONsidera, inde quoque cognosci peccati, maximè mortalis fœditatem, & ideo magnopere esse fugiendum, quòd nihil æquè exhilaret antiquum nostrum hostem diabolum: quod ex tribus signis colligitur. Primum est, quia in tota rerum natura, non aurum, non argentum, non lapides pretiosos, non cibi potúsve lautitias quærit; sed tantùm animas, quemadmodùm in Genesi cap.

14. adumbratur, ubi dicit Rex Sodomorum in perſona diaboli: *Da mihi animas, cætera tolle tibi:* Ità enim beatus Gregorius exponit. Animas autem capere non poteſt, nisì laqueô peccati lethalis. Quàm autem anima ſemel eſcâ peccati captâ exhilaret dæmonem, Beatus Anſelmus librô Similium cap. 189. declarat exemplô pueri, qui filô alligatam aviculam manu retinet: & ſi quando laxato fune, longiùs avolare eam permittat, tamen illico cum magno gaudio & riſu retrahit.

II. Conſidera alterum ſignum, ex quo cognoſcimus dæmonem amare peccatum, nempe aſſiduas tentationes, quibûs hominem oppugnat: nunquam enim fatigatur in eo ad peccatum ſollicitando. Sex jam millia annorum ſunt, quòd huic uni ſtudio incumbat, quô homines peccare faciat, novosque quotidie modos delinquendi excogitet, & quô plures in errorem inducit, hôc alacrior & ardentior ad tentationes augendas redditur, quemadmodùm colligitur ex libro Job: Cùm enim Deus illum rogâſſet unde veniret, reſpondit: *Circuivi terram & perambulavi illam*, Job 1. Adeò enim occupatus eſt in peccato promovendo, ut dormiendi tempus illi non ſuppetat, ſicut teſtatur Job cap. 30. cùm ab eo tentaretur: *Qui comedunt*, inquit *non dormiunt.*

III. Conſidera tertium ſignum unde liquet dæmoni acceptiſſimum peccatum: nempe, quia nunquam eô poteſt ſatiari. Licèt enim infinita hominum millia, propter impietatem & peccatorum fœditatem hactenus in tartara præcipitata ſint, & indies præcipitentur: non tamen fames ejus expletur, ſed pergit *circuire ſicut Leo rugiens, quærens quem devoret*, ùt loquitur Apoſtolus Petrus 1. cap. 5. *Abſorbebit fluvium*, ait Job. cap. 40. *& non mirabitur*,

habebit fiduciam: quod Jordanis influet in os ejus. Os ejus infernus est: fluvius in illud influens sunt peccatores, qui magno cum impetu, velut rapidissima flumina, hiatu inferni absorbentur. In vitis Patrum narratur Principem dæmoniorum summo honore satellitem quemdam suum dæmonem affecisse, & in throno Regio collocâsse, quòd Monachum quemquem, cui per quadraginta annos insidias struxerat, ad unum luxuriæ peccatum pertraxisset. 2. Considera, sicut mali Angeli magnopere ex lapsu hominis exhilarantur, sic contra bonos Angelos summopere lætari hominis conversione: *Gaudent* enim *super peccatore*, ùt est apud Beatum Lucam cap. 15. *pænitentiam agente.*

MEDITATIONES DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBUS.

MEDITATIO I.

De septem peccatis Capitalibus in genere.

1. CONsidera quàm justis de causis semptem peccata indesinenter impugnare & mactare debes: 1. quoniam veluti totuplicia capita sunt, quæ semel amputata reliquo vitiorum corpori necessario cladem inferunt: Septem dæmonia sunt, quæ Dominus noster JESUS Christus è Magdalena ejecit; hîs ejectîs, omnis cætera legio dissipabitur septem hostes Israëlitici populi, quibûs devictîs, terra promissionis, id est cœlum, nobis reseratur. 2.

Con-

Considera mortalia nuncupari, eò quòd ut plurimùm mortem animæ afferunt, nempè, cùm Dei præceptum aut Ecclesiæ violant: & quamvis ob parvitatem materiæ vel defectum advertentiæ sæpè tantùm venialia sint, tamen extimescenda, quia plerumque hominem ad mortalia deducunt. 3. Considera omnes transgressiones mandatorum Dei aut Ecclesiæ, ab uno vel multis ex istis, tanquam rivulos è sua scaturigine, ramos è sua radice, effectus è sua causa procedere: v.g. septimi & decimi præcepti transgressio ex avaritia procedit; luxuria sexti & noni transgressionem importat; acedia primi & tertii violatio est; secundi, quinti & octavi transgressio, ùt plurimum ab iracundia, invidia, avaritia aut gula procedit: Præcepta autem Ecclesiæ infringit acedia aut gula: at verò superbia non solùm omnium peccatorum, tam commissionis quàm obmissionis contra omnia præcepta, fons & origo est, verùm etiam sex aliorum vitiorum capitalium. Igitur si omnia mandata servare volumus, amandemus procul quidquid illorum transgressionem importat, peccata scilicet capitalia.

II. Considera neminem reperiri, quantumvis exaggeratæ perfectionis, cui execrabile hoc septenarium non debeat esse formidini, præsertim cùm ab ipsa matris vulva philautiam, id est amorem proprium, circumferimus, hujus germen & seminarium: nam quicunque peccat, concupiscentiâ unius ex tribus his bonis peccat; voluptatis, lucri, honoris. Si amore voluptatis, est luxuria, gula & acedia; si lucri & opum, est avaritia; si honoris, est superbia. Quod spectet ad iracundiam & invidiam, ambæ supradictis tribus amoribus inserviunt: illa enim ex eo, quòd aliquis aut à suis desideriis

arcetur, aut retardatur, procedit: hæc ex eo quod alter nobis aut præponitur, aut ea possidet, quibus aspirabamus. Cùm itaque certissimum sit in medio nostri radicem & germen septem peccatorum capitalium (Philautiam scilicet) residere, debemus incessanter ab hac ferali & prodigiosa hydra cavere, nè misera fœcunditate pullulet, animæq; nostræ ruina & interitus ab aliquo ex capitibus hisce arcessatur.

III. Considera modos & industrias, quibûs adversus septem hæc monstra uti debemus: 1. singulis annis pluries septem sequentes Meditationes instaurare: expensa enim singillatim illorum fœditate & detrimento, remediisque particularibûs, ea devitare conabimur, quæ animæ nostræ ruinam allatura certissimè forent. 2. cùm animum appellemus ad aliquam ex his Meditationibus, pro viribus niti, ut divina adjuvante gratia nosipsos convincamus, nobisque svadeamus hujusmodi orationis materiam meritò ad nos spectare; insignisque superbiæ esse indicium, reputare se immunem à superbia, ab avaritia, ab invidia, ab acedia, &c. 3. natura & sobole horum capitalium sedulò considerata, in vitam suam inquirere & quotidianas actiones, utrum cogitatione, verbô, opere & omissione peccaverimus. 4. vehementer affligi & erubescere, considerando nos in dura captivitate inimicorum Dei versari, firmiterque statuendo sinè mora arripere remedia reperta in meditatione, quibûs valeamus quamprimùm ab his hostibus nos expedire. 5. & quoniam septem hæc vitia sunt veluti totidem hydræ capita, quæ penitùs abscissa illico renascuntur, nisì facem Divinæ gratiæ Hercules cœlestis statim admoveat. Ideo supplicite. & inde-

desinenter ipsum rogare debemus, ut hanc miseram capitum sobolem, igne sui amoris cor nostrum urente, omninò arefaciat.

MEDITATIO II.

De Superbia.

I. COnsidera motiva hujus vitii detestandi & fugiendi. 1. Superbia displicet Deo plurimùm, & Domino nostro JESU Christo, qui toties *Væ* dixit Pharisæis ob eorum superbiam. *Deus resistit superbis*, ait Apostolus, *humilibus autem dat gratiam.* 2. Superbia ex natura sua est peccatum mortale: David vocat maximum delictum, Psal. 18. ùt interpretatur Sanctus Augustinus, qui addit: *Magnum hoc delictum est. & caput & causa omnium delictorum.* 3. Superbia è cœlo Angelos præcipitavit, ipsosque fecit diabolos. 4. Radix omnium malorum & ærumnarum hominum: primi enim parentes solâ superbiâ & vana curiositate mali & boni sciendi, in vetitum fructum dentes immiserunt. 5. Superbia est vermis arrodens & exterminans bonarum actionum fructum: quamobrem Christus dicebat eos, qui opera sua faciunt, ut placeant hominibus, jam mercedem suam recepisse. 6. Odiosi omnibus superbi, nemini cedere volunt, semper rixantur, cum nullo diu pacem habere nesciunt. 7. Deus superbis reservat dirissima supplicia: *Quantùm glorificavit se*, &c. *tantum date illi tormentum*, Apoc. 8. ait Babyloni superbæ, animæ typo: *qui se exaltat, humiliabitur*, qui superbiâ suâ vult ascendere, in profundum lacus dejicietur. Sententia irrevocabilis est ab ipso Filio Dei pronunciata.

II. Considera superbiam esse propriæ excellentiæ amorem, aut honoris cupiditatem immoderatam:

cujus octo sunt filiæ seu actus. 1. Gloriari de his quæ habemus, tanquam ex nobis, & non à Deo: itèm de his, quæ non habemus, aut quæ vituperio digna sunt: & hoc est mera superbia. 2. Velle placere hominibus, & ab illis laudari, delectari favore humano: & hoc vanitas nominatur. 3. Magnificare se ob ea, quæ in nobis non sunt, exaggerare illa, detegere quæ potiùs erant celanda: & vocatur jactantia. 4. Appetere dignitates & munera vires nostras & merita superantia, & hoc dicitur ambitio. 5. Aggredi longè sufficientiam & capacitatem excedentia: & est præsumptio. 6. Fucata quædam probitatis assimilatio: hocque hypocrisis est. 7. Proprio judicio adhærescere mordicus, aliorumque sententiæ suam præferre, nemini cedere: & hoc pertinacia est. 8. Contemptus aliorum, sive superiorum, sive inferiorum. Hæc sunt signa superbiæ. Absque dubio aliqua ex his habes: ità credas: alioqui superbus est valde, qui nullô modô se putat superbum.

III. Considera quomodò poteris superbiam ex anima tua stirpitùs evellere, & imposterùm fugere. 1. Considera superbiam vitiorum omnium hydram: ex ea rixas, contentiones, maledictiones, digladiationes, inobedientias & blasphemias, &c. id genus pullulare. 2. animô revolve, & replica severa supplicia, quæ repetiit Deus à Lucifero, Pharaone, Nabuchodonosore, Aman, & aliis superbis. 3. Considera rerum humanarum inconstantiam, fragilitatem & vanitatem. Si hæc benè perpendas, nihil reperies in quo glorieris, nisi in Domino & in Cruce ipsius, ùt Beatus Paulus. 4. Frequentes actus fidei elicias circa hanc veritatem, te nihil boni à te ipso habere, sed à Deo, qui rationem exiget rigo-

gorofo examine. 5. Confidera miſerias corporis & animæ præteritas, præſentes & futuras: fuiſti aliàs immundiſſima & ſpurciſſima materia, nunc es obambulans ſuper ſterquilinium, eris aliquando eſca vermium, Animæ, fuiſti vile mancipium dæmonis, & fortaſſe nunc es, & ignoras num aliquando futurus è reprobis. 6. Pro certo habeto nullam ſuperbiam abſque ſtultitia: & amabo te, ut muſcam aucupetur, nonne ille ſtultus eſt, qui ſe ipſum enecat? quemadmodùm aranea; ſuperbus amentius facit: ſeſe enim eviſcerat, animam ſuam perdit, ut neſcio quem honoris rumuſculum aſſequatur: muſca minùs quid? ventum ſcillicet & fumum. 7. In omni re pura intentione nitaris; quod Deo placitum eſt, quæras, nihil agas aut dicas, ut videaris & lauderis ab hominibus. 8. Pauperum & vilium converſationem requiras, potiùs quàm nobilium & divitum. 9. Defectus tuos & imperfectiones inquantum lex prudentiæ patitur, unicuique revela. 10. Fuge veſtes pretioſas, & gaude de vili & ſimplici. 11. Exerce te in abjecto & ſervili officio. *Humiliatio*, ait S. Bernardus, *via eſt ad humilitatem.* 12. Frequenter meditare de humilitate JESU Chriſti: at profectò ſi attentè Deum Majeſtatis intuearis abjectum, humiliatum, quemadmodùm vermis libentiſſimè humiliabis temetipſum cum illo & pro amore ejus.

MEDITATIO III.

De Avaritia.

1. CONſidera rationes deteſtandi peccatum avaritiæ: 1. *Avari Regnum Dei non poſſidebunt*, ait Apoſtolus, *pars eorum erit cum divite ſepulto in inferno.* 2. *Æquè difficilè eſt divitem intrare in Regnum Cœlorum*

ac

ac camelum per foramen acûs, dicit Dominus. 3. Avari vitam ſuam finiunt miſerabiliter, ùt iſte in Evangelio, qui cùm exultaret in ſuis divitiis, vocem audivit è cœlo dicentem ſibi: *Stulte, hac nocte repetent diaboli animam tuam.* Diaboli eadem nocte animam abſtulerunt, & in æternas flammas præcipitaverunt: *Ecquid tibi proderunt ea, quæ tu paràſti tanta cum ſollicitudine?* 4. Ex avaritia fraudes & doli, fallacia tam in emendo quàm vendendo, perjuria & rapinæ, diſceptationes, lites, interneciones, & ſexcenta malorum prorumpunt. 5. *Nihil eſt avarô nequiùs*, ait Sapiens. Rationem addit, *quia venalem habet animam*, ſe diabolo pro terræ pugillo vendens. 6. Avaritia eſt ſanguiſuga, quæ dicit, ſemper, Affer, affer. Avaro nunquam eſt ſatis: quò plùs habet, plùs deſiderat: hydrops eſt, qui quò plùs bibit, plùs ſitit. 7. *Qui divites volunt fieri, incident in laqueum diaboli*, ait Apoſtolus. 8. Avaritia eſt carnifex, qui indeſinenter avaros torquet inexplicabili cupiditate acquirendi divitias, ſollicitudine conſervandi, metu amittendi. 9. Omne aurum mundi & divitiæ nihil ſunt in comparatione unius gradûs gratiæ. 10. Tandem *avarus eſt porcus*, ait S. Bonaventura: quemadmodùm enim porcus tantùm poſt mortem utilis eſt, ità avarus nulli proficuus quamdiu vivit; ſed poſt mortem diabolum facit hæredem animæ ſuæ, vermes corporis, parentes divitiarum. O vitium abominandum! ùt te execror! ùt ſemper execrabor!

II. Conſidera quid ſit avaritia, & quoduplicî modô peccatur. Eſt appetitus inordinatus divitiarum. Et peccatur 1. deſideriô injuſtè poſſidendi bona aliena: 2. invitô dominô retinendo: 3. patiendo ſe

fa-

fame, confici tenacitate nimia & fordibûs : 4. denegando eleemosynam pauperibus, contra justitiam & charitatem : 5. quando proculcatîs conscientiæ & Dei mandatîs, cupiditate flagramus divitias acquirendi : 6. subtrahendo aliquid ex communitate, contra votum paupertatis, & in suos usus convertendo : recipiendo aut dando aliquid finè facultate Superioris, aut utendo rebûs concessîs tanquam propriîs, ægrè ferendo sibi auferri, & murmurando : 7. bona opera exercendo propter lucrum. Absit, ut in hanc impietatem incidam.

III. Considera remedia præservantia ab illa execranda lue avaritiæ : 1. Avaros odiosos Deo & hominibus : 2. Avaritia sexcentarum calamitatum origo : *Radix omnium malorum cupiditas*, ait Apostolus : 3. Nihil nos intulisse in mundum, neque auferre quid posse : 4. Liberaliter eleemosynam largiri pauperibus, qui sunt membra Christi, reputantis sibi factum, quod uni ex minimis fit : 5. in animo habere JESUM Christum quamvìs esset Dominus omnium, propter nos pauperem factum, eumque rogare : Summe DEUS, qui propter me inhumanissimè ligno Crucis nudus affigi voluisti, fluxarum opum hujus mundi affectum è corde meo expelle : 6. Bonis à Deo datis sese contentum tenere, nec ampliora exoptare quàm quæ Deus decrevit dare : 7. Gaudere cùm aliquo caremus, utpote in eo similes Christo, quem in nobis debemus efformare : 8. Veris opibus acquirendis studere, virtuti scilicet & gratiarum Dei thesauro : 9. Confidere plurimùm in Deo, qui nunquam deest diligentibus se : 10. Tandem animô vultare celebrem hanc Christi sententiam : *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16.

ME-

MEDITATIO IV.

De Gula.

I. COnſidera motiva deteſtandi guloſitatem. 1. Dominus noſter JESUS Chriſtus expreſsè præcipit illud vitium fugere: *Attendite vobis nè graventur corda veſtra in crapula & ebrietate*, Luc. 21. 2. Guloſis maledicit: *Væ vobis qui ſaturati eſtis, quoniam eſurietis*, Luc. 6. 3. Hoc vitium reddit hominem hebetem, & ſtuporem mentis & ſenſuum immittit. 4. Guloſitas ſanitatem corporis profligat & labefactat, vitam abbreviat: *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam*, Eccleſ. 37. Hoc vitium reddit animam ineptam ad orationem, & ad opera Religionis. 6. Impoſſibile eſt guloſum evadere caſtum, impudicitia gulæ individua comes. 7. Guloſus ferè ſemper exagitatur vehementiſſimîs & perniciosiſſimîs iracundiæ motibûs. 8. Guloſus pauperibus injurius eſt, qui poſſent ſeſe ſuſtentare ejus exceſſibûs. 9. Deus ſeverè animatvertit in guloſos. Primi parentes expulſi ſunt Paradisô propter hoc vitium: Filii Iſraël ſtatim atque comederunt in deſerto, ira Dei venit ſuper eos: *Adhuc eſcæ erant in ore ipſorum: & ira Dei aſcendit ſuper eos*, Pſal. 77. 10. Tandem qui illud vitium non evitabit, nullum aliud probabiliter poterit evitare, nam hoſti ſuccumbens tam debili, fortiorem aggredi non poterit.

II. Conſidera Guloſitatem, inordinatum cibi & potûs appetitum: ſignîs ſequentibûs poteris agnoſcere, an ſis hujus vitii reus: 1. ſi tempus manducandi & bibendi antevertis, quemadmodùm Jonathas filius Saulis: 2. ſi affectas cibos & potus exquiſitos, ùt Iſraëlitæ: 3. ſi in cibis vilibus, lau-

titais

titias & luculenta condimenta quæris, ùt filii Heli. 4. si modum excedis, ùt Sodomitæ: 5. si avidiùs & lurcosiùs edis, etiam cibos viles, ùt Esau leguminum offam: 6. comedendo cibos interdictos, aut ab Ecclesia aut à Regula votôve aliquô, ùt qui sextâ feriâ & sabbathô carnem manducant: 7. nimia cum delectatione & sensualitate: 8. absque necessitate, horîs non destinatîs, sæpiùs quàm oportet: 9. si extra tempus refectionis de cibo & potu cogitas, & sic animum tuum pascis & oblectas: 10. si cùm cibus non sacit ad palatum aut aliquid tibi deest, murmuras & contristaris. Examina te in his omnibus, quia ut plurimùm peccas in tua refectione, & apud te firmiter propone emendationem.

III. Considera sequentia remedia contra gulositatem. 1. recordari jejunii Domini nostri, qui famem & sitim passus est, qui acetô & felle potatus est propter te: 2. gulositatem multorum malorum causam, bonorum corporis & animæ cladem & ruinam: 3. gulosus in inferno fame & siti æterna puniendos: 4. famem & sitim orationibûs, lectionibûs, & aliîs piîs operibûs eludere: 5. ordinare refectionem, bis in die comedere: 6. è mensa surgere, fame non penitùs expleta: 7. fugere convivia, mensasque opipare constructas, omnes excedendi occasiones evitare: 8. servare in manducando decorum, nec adeò avidè in cibos ferri, ac si eos cum paropsidibus velles helluari: 9. oborta aliqua tentatione gulositatis, meditari responsionem Christi ad diabolum tentatorem: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei,* Matth. 4. 10. denique perpendere animô corpus hoc tuum, quod tantâ curâ & solicitudine saginas, intrà paucos dies fore escam vermium.

MEDITATIO V.

De Ebrietate.

1. COnsidera quid nos potissimùm movere debeat ad detestandum turpissimum vitium ebrietatis, 1. summa fæditas & turpitudo hominum ebriosorum, quam graphicè describit S. Chrysostomus Homil. 27. in act. Apost, *Quid ebriô turpiùs! Ridiculus est famulis, ridiculus inimicis, miserabilis apud amicos, omnium detestatione dignus, bestia est magis quàm homo.* Et S. Augustinus lib. de pœnit: *Ebriosus cùm absorbet vinum* (seu crematum) *abominatur à Deo, despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à dæmonibus, conculcatur ab omnibus.* 2. Quod omnium turpissimum est, quia ebrietas aufert rationem homini, & bestiis similem facit, quæ privatio rationis peccatum mortale est, Imò pejorem bestiis facit: *Quantò melior est asinus ebriosô, quantò canis præstantior! omnes certè bestiæ cum bibant, ultra quàm satis est, non sumunt, etiamsi mille homines cogerent, vos ergò* ebriosi, *brutis deteriores estis*. S. Chrysost: Et quod pejùs est: Ebriosus non tantùm seipsum, sed & alios (cogendo ad bibendum, ad æquales haustus, varios modos bibendi excogitando) bestias facit, quod quàm sit damnabile, adverte quid S. Augustinus dicat: Serm. 232. de temp. *Quicunque ad bibendum pronus fuerit, vel in convivio suo, alios adjurare, vel cogere voluerit, & pro se & pro aliis in die judicii reus erit.* 3. Ebrietas ad extremam paupertatem Ebriosum deducit, ùt *Eccl. 9.* habetur *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Et S. Ambrosius *Uno die bibunt multorum dierum labores.* O quàm graviter peccant. Domini, Patresfamilias *&c.* qui propter suam ebrietatem fortunam distrahentes, liberis congruentem educationem, famulis debitum stipendium solvere, nequeunt.

II. Considera alia motiva, quæ te ab Ebrietate absterrere debent. 1. Ebrietas valde nocet sanitati corporis, morbos varios conciliat, & mortem tempestivam: *Propter crapulam multi obiêrunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam* Eccli. 31. Ex ebrietate frequenti oriuntur tusses, cathari, vertigines capitis, apoplexia, podagra, morbus caducus, lepra &c. 2. Nocet animæ, præterquam quod ebrietas est peccatum mortale, excludens hominem à Regno Dei, *Ebriosi* enim *Regnum Dei non possidebunt*, ùt loquitur S. Paulus. Multorum vitiorum est origo, ùt loquitur Concil. Agathense *Omnium vitiorum fomes & nutrix.* Ex ebrietate pullulant rixæ, pugnæ & alia peccata oris, ùt blasphemiæ, maledictiones, pejerationes, vulnera, & homicidia, *vinum* sive crematum *multum potatum irritationē & iram & ruinas multas facit*, Eccli. 31. ùt experientiâ constat, nam qui olim suas injurias sopivêre, cùm inebriati fuerint, resuscitant, & volunt vindicare, quod jam pridem sepultum & condonatum fuerat; In ebrietate nulla tenacitas secreti, Prov. 31. *Nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* Ebrietati denique connexa est libido & luxuria *Ebriosum nunquam castum putabo* ait S. Hieronymus.

III. Considera media ad vitandam ebrietatem conducentia. 1. Vitare societatem ebriosorum, atque convivia & commessationes, 2. Cùm pruritus ducit ad bibendum ultrà necessitatem, potum inebriantem, revocare sibi præfata motiva, nempe quòd ebrietas perdere facit sanitatem, honorem, fortunam, salutem denique animæ. 3. Regulare sibi mensuram potûs sive in conversatione sive privatim commorando, & illam nunquam excedere, & si contingeret in hoc deliquisse, ad tempus pro pœ-

nitentia abſtinere. 4. Ab initio ſtatim opus eſt fortiter ſe gerere coram iis qui urgent ad bibendum nimium, præferendo amicitiam Dei, reſpectui humano. 5, Quotidie rogare à Domino Deo virtutem ſobrietatis, & maximè tunc, dum pruritus ad bibendum inſtigat, & ſeipſum cuſtodire nè proclivitas & conſvetudo ſæpè ſe inebriandi, creſcat.

MEDITATIO VI.

De luxuria.

I. CОnſidera quæ ad hocce vitium fugiendum poſſunt incitare. 1. Nullum eſt peccatum Chriſto Salvatori noſtro diſplicentius ac exoſius iſtô: quapropter ea nocte, quâ Chriſtus in mundum venit, teſte D. Auguſtino, multi hôc vitiô contaminati repentina morte ſublati ſunt, imò tempore ſuæ Paſſionis innumerîs convitiîs & probrosîs vocibûs laceſſitus, minimè permiſit nefandi hujus vitii macula aſpergi. 2. Nullum diabolo placentiùs eſt iſtô: nullam enim habet illecebriorem eſcam & efficaciorem ad animas in rete ſuum pelliciendas, & in gehennam præcipitandas. 3. Nullum datur vitium in quod labi faciliùs, & à quo revocare ſe difficiliùs ſit. S. Thomas vocat vitium maximæ adhærentiæ: & certè invenire eſt aliquos huic vitio ità agglutinatos, ut nonnisì per miraculum poſſint ab eo divelli. 4. Nullus major obex, nulla major indignitas ad ſuſcipiendum auguſtiſſimum Sacramentum Altaris, hôc peccatô: corpus enim & animam coinquinat, puritas autem utriuſque neceſſaria eſt diſpoſitio ad illud recipiendum. 5. Nullum peccatum plures morbos aſſeclas habet, eoſque infames & propudioſos. 6. Nullum peccatum à Deo ſeveriùs punitum peccatô impudicitiæ. Ob hoc inunda-

davit terram cataclismis. : Ob hoc venit ignis in Pentapolim : ob hoc triginta millia Israëlitarum gladiô cæsa sunt : ob hoc percussit nepotem Patriarchæ Jacob, quia semen fundebat in terram. Exquisita supplicia parantur impudicis & fallacibus : illud vitium præ cæteris excœcat hominem, & ad pecudis vilitatem abjicit. 7. Nullum est peccatum quod plùs ruboris injiciat in confessione : unde fit ut sæpè vel in totum reticeatur, vel in partem, sæpissimè absque dolore & proposito emendandi se. 8. Nullum est peccatum, in quo omnia accedant ad mortale, ac illud : furtum denarii, motus levis & imperfectus iracundiæ, peccatum veniale : at libidinosus aspectus, cogitatio impura cum aliqua complacentia, est peccatum mortale quod pœnis te adjudicat æternis. 9. Tandem nullum peccatum tot animas deprædatur & in infernum pertrahit ac impuritas. Heu te miserum, si in illo numero recensearis !

II. Considera luxuriam esse inordinatam carnis delectationem, & committi. 1. Cogitatione, idque tribûs modîs : 1. Cogitatione, scilicet cùm negligentiâ utimur ad turpes cogitationes repellendas, etiamsi delectationem nullam percipiamus : 2. quando aliquid inhonestum animô versamus, licèt actione consumare non intendamus : 3. Quando actionem complere volumus. 2. Committitur verbô, proferendo directè vel indirectè verba turpia. 3. Quinque sensibûs, nimirùm aure, quando obscœna colloquia voluptatis causâ audimus ; visu, dum absque ulla necessitate aut aspicimus, aut legimus impudica ; gustu & odoratu, quando manducamus vel olfacimus ea, quæ possunt ad luxuriam incitare ; tactu, tangendo & attrectando quæ-

dam concupiſcentiam carnis irritantia. 4. Opere, peccatum conſumando: quod fit ſe polluendo, vel cum alia perſona rem habendo: In quo caſu peccatum eſt diverſum, juxta perſonarum diverſitatem: ſi enim altera ex perſonis eſt voto caſtitatis vel Religionis, vel cognatione vel matrimoniô aſtricta, tunc peccata ſunt diverſa: quod fit etiam ſe vel aliam perſonam inhoneſtè tangendo. Sunt & aliæ ſpecies contra multò graviores, etiam inter virum & uxorem, imò & inter ejuſdem ſexûs perſonas. Quid, ſi cum beſtia id fieret! O totius nequitiæ tumulum! ò ſordes! ô fœtorem! fugiamus hinc, ab illa cloaca. Ah! potiùs animam hanc effundam per mille mortes, quàm in tale flagitii portentum incidam.

III. Conſidera remedia ſequentia, quæ te poterunt ab hoc peccato immunem reddere. 1. Summam impudicorum amentiam conſiderare, qui momentanea peccati jucunditate æternùm pœnitere emunt. O momentum voluptatis! quanti tu conſtas, pro leviſſima voluptate, dolores mille! 2. Hoſtiliter agere cum corpore, neutiquam ipſi vel per ſomnium, vel per cibum & potum ſenſualiter indulgere. 3. Fugere occaſiones interiores impuritatis, ſuperbiam, propter quam permittit Deus nos in fœdum impuritatis peccatum incidere: iracundiam, quæ inflammat ſanguinem: otioſitatem, omnium vitiorum, hujus præſertim matrem. 4. exteriores occaſiones evitare, viſitationes alterius ſexûs, libros amatorios, fugere veſtium luxum. 5. Pangere fœdus cum oculis, nè mulierem ac virginem in decore ſuo aſpiciant, memores inconſideratum oculorum jactum Davidi occaſionem adulterii fuiſſe, nobiſque æternæ damnationis ſufficien-

tem

tem materiam esse. 6. Resistere tentationi, eamq; repellere statim atque sese ingerit. 7. Macerare corpus displinîs, ciliciîs, catenîs, zonîs setaceîs, vigiliîs, jejuniîs, *&c.* 8. In tentationibus recurrere ad Deum toto corde, ac dicere cum Susanna: *Melius est mihi sinè opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini*, Dan. 13. Et cum Josepho: *Quomodò possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Gen. 30. 9. Frequentare augustissimum Eucharistiæ Sacramentum magna cum fide & reverentia. 10. Implorare auxilium Angeli Custodis, qui Spiritus est purus, speciali devotione Matrem puritatis colere gloriosam Virginem.

MEDITATIO VII.

De invidia.

I. CONsidera, quæ te ad invidentiam detestandam obligant. 1. *Invidiâ diaboli mors intravit in mundum*, ait Sapiens. Invidiosi hujus maligni spiritus imitatores & filii sunt. O rem indignam! 2. *Pejores diabolô sunt invidiosi*, ait S. Chrysostomus: *Diaboli enim non invident diabolis, at homines hominibus invident suis similibus, & rabidorum canum ritu sese mutuìs morsibùs conficiunt.* 2. Invidentia odiorum, detractionum, seditionum, proditionum, rebellionum & bellorum omnium origo ac radix, familiarum pestis, & congregationum ac Regnorum, omnium malorum radicem vocat S. Cyprianus. 4. Invidiosus in omni loco vindictâ Dei insectatur: Cainum in fratrem suum erexit invidia; at divino Numine permittente, desperatione vitam finivit: Dathan & Abiron inviderunt Moysi, & eos terra deglutivit: Judæi Christo inviderunt, & ideo in calloso corde perierunt. 5. Invidia supplicium sibi est, invidorum carnes & ossa tabefacit, vires & nervos

omnes atterit, ſerpens eſt indeſinenter eos arroderis & pungens. 6. Invidia Scarabæus eſt: quemadmodùm enim hoc animal ſtercore & fœtore paſcitur, ità invidioſus malo proximi tantùm nutritur. 7. Peccatum eſt eò graviùs, quò magìs directè Caritati opponitur, virtutum Reginæ, malum eſt ferè inſanabile: ùt enim infame eſt, pudor eſt & verecundia manifeſtare. 8. *Invidioſi*, ait S. Chryſoſtomus, *pecudibùs ipsìs deteriores*: Illæ enim benefactores ſuos facilè agnoſcunt, invidioſi verò nequidem poſſunt amicè & benignè aſpicere eos à quibus aliquid beneficii recipiunt: mœrent quippe & contriſtantur non adæquare facultates eorum, à quibus bona recipiunt, imò non ſuperare. 9. Eadem invidentia invidioſos excruciabit in inferno, deſperatione & rabie implacabili infrement, à gloriæ poſſeſſione excidiſſe, quâ Sancti in æternum fruentur. 10. Tandem nullus in cœlo invidiæ locus, minores non invident majoribus; unuſquiſque tam de gloria proximi lætatur, quàm de ſua. Exurge anima, noſtræ felicitati præludamus, nulli invidentes.

II. Examina quid ſit invidia, quotuplex, & quæ ſunt ejus actus aut ſigna. Invidia eſt triſtitia & odium proſperitatis alterius, in quantum noſtram extenuat. Quatuor ſunt ſpecies: 1. Eſt bonorum exteriorum, puta corporis & fortunæ: 2. bonorum virtutis: 4. Charitatis & gratiarum gratuitarum. Hoc autem pecccatum eſt contra Spiritum Sanctum, ſimile peccato Luciferi, qui primo parenti noſtrò Adæ inſidias paravit, ut eum ad peccatum impelleret, ægrè ſcilicet ferens eum eſſe in Dei gratia. Signa vel actus invidentiæ ſunt. 1. gaudere de malo proximi. 4. Laudes ejus deprimere. 5. Detrahere de ipſo. 6. Exoſum habere, eò, quòd

ejus prosperitas nostram superet, illamque veluti obscuret. Ah me miserum! quoties in hoc infame peccatum prolapsus sum? Miserere mei Deus, miserere mei: nunquam recidam, tuâ gratiâ adjuvante.

III. Considera antidotum ac remedia contra invidentiam. 1. Nihil esse ex invidentia utilitatis, imò potiùs multùm damni, tã in anima quàm in corpore. 2. si bono proximi lætemur, invitamus Dei bonitatem ad suos favores in nobis multiplicandos. 3. Roga Deum sæpè pro persona cui invides. 4. Invidentia motus statim ac exoriuntur, suffoca. 5. Quidquid habet mundus, vilipendas; cæteris omnibus virtutem & gratiam Dei anteponas. 6. Opta aliis quod tibi, & ampliora. Dic cum Moyse: *Utinam omnes prophetent.* 7. Exstirpa omnem radicem invidentiæ, quæ nulla alia est, meô quidem judiciô, quàm superbia. 8. Scribas in tabulis cordis tui hæc verba sancti Jacobi: *Ubi zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum*, Jac 3. 9. de omnibus bene dicas, de nullo malum. 10. Denique sanctâ quâdam invidiâ & æmulatione annitaris benefacere, & alios præcedere in via virtutis, non è superbia & vanitate, sed purè ex amore Divino, & ex desiderio ipsi placendi.

MEDITATIO VIII.

De ira.

I. COnsidera quæ te ab iracundia deterrere debent. 1. Christus nos admonet eum qui iratus fuerit fratri suo, reum esse judicii, id est, statim, atque iracundia cerebrum attentaverit; ad tribunal Christi reus agetur. 2. *Sol non occidat super iracundiam vestram*, ait Apostolus. 3. Ulciscitur Deus eos

qui vindictam persequuntur injuriæ acceptæ, ultus est Cain septies, Lamech verò septuagesies septies. 4. Iracundia dementat, indignum reddit favoris & gratiæ Spiritûs Sancti, qui tantùm requiescit super lenem & placidum. 5. *Nihil est deformiùs* ait S. Chrysostomus, *homine irato, nihil horribiliùs: omnes exhorrent, omnes abominantur, omnes fugiunt.* 6. *Qui faciliè irascitur*, ait S. Bonaventura, *similis est vasi fictili vacuo ad ignem adhibito, quod frangitur & strepitum edit.* Etenim homo querulus & ad minimam occasionem irascens, vanitatis suæ & vacuitatis signum dat: vitium est muliercularum, puerorum, hominumq; levis cerebri. 7. Iracundi mansio infernus, ibi blasphemiæ, ibi rabies, ibi desperatio: dies & hora nativitatis mille imprecationibus & diris devovetur. 8. Iracundia gignit lites, contentiones, duella, maleficia, &c. 9. Nullum est emolumentum ex iracundia, plùs nocet irato quàm ei cui irascitur. 10. *Melior est patiens virô fortî, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*, Prov. 16.

II. Considera iracundiã esse inordinatum vindictæ appetitum. Porrò hæc sunt signa seu actus iracundiæ. 1. Concipere odium in eum à quo vel reipsa injuriam accepimus, vel putamus accepisse: 2. Quando proponimus ulcisci: 3. Quando malum ipsi imprecamur, aut ipsius calamitate lætamur. 4. Quando maledictis eum proscindimus, aut de ipso detrahimus: 5. Quando pertinaciter contendimus cum eo, & usque ad ravim & contusionem capitis vociferamur: 6. Quando vindictam propria auctoritate repetimus, feriendo & quassando citra omnem rationem & justitiam: 7. Quando provocamus ad Magistratum, non ex amore justitiæ, sed ad iram exsatiandam: 8. Quando sumus irreconciliabiles:

9. Quan-

9. Quando murmuramus contra Deum propter afflictiones: 10. Quando morosos, difficiles, querulos & asperos nos præbemus: 11. Quando sævimus in creaturas irrationabiles, collidendo, discerpendo, & rabidè comminuendo; tandem in nosmetipsos, optando mortem propter mala quæ patimur, mordendo se, & quoquô modô deformando. O patientissime JESU! ignosce mihi iracundiæ motus præteritos: Fateor me hujus vitii gravissimè reum: sed te juvante, spondeo nunquam imposterum in tale vitium prolapsurum.

III. Considera iræ remedia, quæ sequuntur. 1. Irasci nihil prodest, imò multùm obest. 2. Dominum nostrum JEsum Christum maledictîs & opprobriis nefariè appetitum, nec tamen sua mansuetudine tantisper demotum fuisse. 3. Pro certo eâdem mensurâ mensurandos, quâ proximum dimensi fuerimus: si ipsi fuerimus irati, nobis Deus erit quoque iratus. 4. Resistere primis iracundiæ motibus, nè fortè ex illa scintilla augeatur incendium. 3. Nihil proferre, nihil agere, durante æstu, sed differre quoadusque animi serenitas redeat. 6. Omnia mala pati, tanquam à Deo missa ad virtutis nostræ experimentum. 7. Ponere sibi ob oculos deformitatem iracundi, & ex nobis judicare quantùm Deo displicemus, cùm in tale vitium incidimus. 8. Temperare se in cibo & potu: intemperantia enim reddit biliosos & pronos ad iracundiam. 9. In memoria habere Passionem Christi. S. Elzear: interroganti, quî fieri posset ut lacessitus toties nihilo magis succenseret: *Memor sum*, inquit *dolorum & improperiorum Christi Domini mei.* 10. Denique studere quotidie lectioni Christi: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* O anima mea! in

qua ſchola magìs ſalutarem lectionem poſſemus addiſcere!

MEDITATIO IX.

De acedia.

1. CONſidera cur acediam debes fugere. 1. Otioſitas mater eſt omnium vitiorum. *Qui ſectatur otium*, ait Sapiens, *replebitur egeſtate & ſtultiſſimus eſt*, Prov. 12. & 18. 2. Sancti inceſſanter in cœlo laudant & amant Deum. Idem nos debemus æmulari. 3. *Homo natus ad laborem & avis ad volatum*, Job. 5. 4. Admodùm breve eſt vitæ noſtræ tempus & pretioſiſſimum : idcircò nequidem ulla particula nos prætereat. 5. Formicæ hanc lectionem dant acedioſis : æſtate enim laborant, ut habeant hyeme quo ſe ſuſtentent : quod certè nos erudit ad congregandum, quamdiu ſumus in hac vita, nè vacuos bonîs operibûs mors intercipiat. 6. Ea eſt hominis natura, ut neceſſariò aliquid agat, benè aut malè. 7. Acedioſus à Deo rigoroſè punietur : ſervus inutilis prôjicietur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium. *Omnis arbor, quæ non facit fructus bonos excidetur, & in ignem mittetur*, Math. 2. 8. Tempus miſerè à nobis jam perditum acres ſtimulos admovere debet ad meliorem uſum futuri. 9. Acedia reddit hominem ineptum ad omnia. Acedioſus in omnibus difficultates & ſpinas invenit : quod plummâ leviùs eſt diligenti, plumbô graviùs eſt negligenti. 10. Acedia rei pretioſiſſimæ, temporis videlicet, deprædatrix eſt. Heu! quantùm lugent in inferis damnati tempus amiſſum! Proh! quantùm exoptarent vel particulam temporis ad pœnitentiam faciendam! Sed heu

heu serò nimìs, in æternum clausa est misericordiæ janua.

II. Examina quid sit acedia, & quot modìs per eam peccatur. Vitium est quod hominem reddit lentum & torpidum ad laborem, vel est fastidium aliquod & nausea rerum spiritualium. Hoc vitium comittitur. 1. nimio metu difficultatum quæ comittantur virtutem. 2. pudore vitioso, qui impedi nè id omne experiamur quod possumus. 3. langvore, agendo ex pura necessitate, & propter finem valde abjectum. 4. inconstantiâ & animi levitate, bonum opus aliquod suscipiendo, & postea deserendo, cupiditate aliud amplectendi, & sic desultoriè omnia faciendo. 5. despondendo animum propter difficultates. 6. odio habendo homines spirituales, quia admonitiones eorum & boni sermones displicent. 7. otiositate, rebus spiritualibus indormiendo. 8. evagatione, circumeundo, personas ad confabulandum quæritando, cogitationibûs à longo accersitis ad animi tædium levandum, laxando habenas sensibûs suìs. 9. omissione & negligentiâ, quæ veluti venenum omnes actiones pigri inficit & inquinat. Certè in similes defectus incidisti: quapropter pete à Deo veniam ex toto corde.

III. Considera remedia, quibûs uti debes ad expellendam & evitandam imposterùm acedìam. 1. Considerare seriò quem usum temporis fecisse velles, si in articulo mortis esses. 2. Nos Deo rationem reddituros de verbo otioso & de minima temporis particula malè impensa. 3. Semel ad minùs in hebdomada meditari super his verbis S. Joannis *Veniet nox quando nemo potest operari*, Joan. 3. Porrò hæc nox nihil aliud est quàm hora mortis nostræ. 4. Unumquemque vitæ tuæ diem supremum repu-

ta-

tare. 5. Bene ordinare & diſpenſare tempus ſomni, refectionis, converſationis, laboris, & penſi diurni. 6. Fugere pigrorum ſocietatem, ambulare cum diligentibus & ferventibus. 7. Ad ſacram menſam frequens accedere cum reverentia & devotione: hic eſt cibus confortans ac corroborans ad omnes difficultates evincendas, & omne bonum amplectendum. 8. Ob oculos ſibi proponere exemplum multorum, qui æquè debiles, fragiles & delicati ac nos, viginti, triginta. & quinquaginta annos in ſervitio Dei conſumpſerunt; nec non etiam eorum, qui adhuc vivunt, & Deo inceſſanter ſerviunt. 9. Magno rubore ſuffundi nos pro Dei amore, non ea facere quæ milites, mercatores, & aliæ perſonæ mundi ſervitio addictæ faciunt, ut parum auri & argenti, aut honoris conſequantur. 10. Denique non molliter carnem ſuam tractare: crudelitas eſt, in hoc genere eſſe clementem. Quid refert, ſi decem annis citiùs moriamur? Unus annus diligentis in ſervitio Dei, eſt plùs, quàm centum negligentis.

MEDITATIONES DE MISERIIS,

In quas natura humana per peccati malum prolapſa eſt.

MEDITATIO I.

De miſeria nativitatis humanæ.

1. CONſidera ſolos primos parentes noſtros Adam & Evam, ùt docet S. Gregorius, perfectè co-

cognovisse humanæ vitæ miserias, quia soli felicitatem in qua creati erant, experientiâ ipsâ didicerant: nos autem qui in miseriis nati sumus & educati, velut phrenetici miserias nostras non sentimus: & ideò sicut illi, qui loca malè olentia incolunt, fœtorem non olfaciunt, tollente sensum longa consuetudine, ità nos non abhorremus etiam perpetuò, neglectô cœlô, in hujus vitæ miseriis perdurare. 2. Perpende quomodò possis à tam gravi errore liberari: nempe si accuratè meditando examines primùm nativitatis humanæ miserias, deinde totius vitæ curriculi.

II. Considera Deum hominem creâsse, ùt docet Scriptura Gen. 1. ex limo terræ, id est ex vilissima totius mundi materia. Itaque, licèt Rex sis vel Papa, tamen non es nisì gleba, fimus & limus, qui omnium calcatur pedibûs: modum conceptionis humanæ esse tam fœdum, ut Christus licèt illudi & conspui se passus sit à vilissimis mancipiis, & non homo, sed vermis haberi; tamen eô modô concipi noluerit. 3. Quid miseriùs muliere parturiente, quis dolor intolerabilior? quis planctus miserabilior? 4. Bestiæ, dum nascuntur, prodeunt vel calceatæ, vel lanâ, squamîs, coriô, aliisque rebûs tectæ: solus homo nudus prodit cum immunda tunica & gallero immundiori. Itèm illæ simul ac natæ sunt, natant, volant, currunt, & quærunt necessaria sinè magistra: solus homo nihil scit, nihil potest nisí in aliorum ulnis portetur, aliorumque manibûs foveatur, sed nec edendi, bibendique modum habet: nisì doceatur. Natura nihil demùm eum docuit, nisì plorare: & vix ante quadragesimum diem post ortum ridet.

III. Considera quid aliud sit corpus humanum, quàm

quàm testa putrida, aut vas corruptum, cui quicquid infunditur mox acescit: Quid aliud, quàm saccus stercoribûs sartus, & candida nive tectus, qui foris quidem pulcher apparet, sed intus excrementîs & sordibûs plenus est; ubi gentium tam sordidum volutabrum reperitur? ubi terrarum existit stagnum, tot fœtores intrà supraque exhalans. Arbores, herbæ, bestiæ multæ, gratissimi odoris excrementa effundunt: at homo solus tam abominanda ejicit, ut nonnisì cloaca quædam sordium videatur. Hoc Ethnicus Plotinus quondam perpendens, nunquam passus est corporis sui effigiem depingi; satis esse sibi asserens, quòd onus tam immundum, & anima sua indignum, toto vitæ tempore circumferre cogeretur.

MEDITATIO II.

De miseria brevitatis humanæ vitæ.

1. COnsidera, raró ad annum septuagesimum, aut ut maximum ad octogesimum annum pervenire. Nam Propheta ait Psal. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in Potentatibus octoginta anni, & ampliùs, eorum labor & dolor.* 2. Considera, si numerum dierum subtiliter inire velis, tempus infantiæ, pueritiæ & somni esse excludendum: nam vita infantis & pueri potiùs bestiæ est, quàm hominis, cùm in ea nihil discatur vel agatur homine dignum. Dormiens quoque potiùs mortuus, quàm vivus censetur, ob rationem sensusque sepultos. Unde & Poëta somnum vocavit gelidissimæ mortis imaginem. Cùm autem homo quotidie octo horas & sæpè plures somno tribuat, sequitur tertiam partem vitæ solô somnô illi detrahi, ac proinde etiam in longævis vitam esse perbrevem.

II.

II. Considera, si hanc vitam cum æternitate conferas, quàm brevis futura sit. Sapiens ait Eccles. 8. vitam hominis longissimam esse centum annorum. Quid autem sunt centum anni, si cum æternitate conferantur? certè nihil aliud quàm guttula aquæ cum immenso mari. Si enim totus mundus collatus cum cælo extremo, est instar puncti; quid tempus vitæ nostræ collatum cum æternitate erit, nisi minùs quàm momentum, imò nihil? Hanc brevitatem cum æternis pœnis suis collatam agnoscunt damnati in inferno, dum ità apud Sapientem cap. 5. *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tamquam nuncius præcurrens, & tamquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus cùm præterierit, non est vestigium invenire: aut avis quæ transvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris illius: aut tamquam sagitta in locum destinatum. Ità & nos nati continuò desinimus esse, & nullum virtutis vestigium valuimus ostendere.*

III. Considera hinc sequi, nullam posse majorem esse amentiam, quàm sempiternas intolerabilésque pœnas momentaneâ tantillæ vitæ voluptatulâ sibi mercari. Et cùm hæc vita tam brevis sit, futura verò tam longa; quæ potest stultior esse amentia, quàm hujus vitæ res tam sollicitè accumulare, & de his quæ ad vitam æternam pertinent, nolle semel cogitare? Considera, cur æterna Sapientia voluerit hanc vitam esse brevem, nempe 1. quia sciebat hanc vitam nobis non esse nisi continuam militiam, exilium & miseriam, ac idcirco ab ea citò nos liberaret, & ad patriam cœlestem revocaret. 2. quia summo amore nos complectitur: jam autem constat eum, qui aliquem amat, ægrè dici posse

ab

ab eo abesse quem amat. 3. ut eò magis vitã præsentem contemneremus, & aspiraremus ad æternam.

MEDITATIO III.

De miseria incertitudinis humanæ vitæ.

1. CObsidera brevitatem vitæ, si nobis certò constaret, fore tolerabiliorem, ùt si v. g. constaret nos quinquaginta, sexaginta, septuaginta annîs victuros: at hoc quoque incertum est. *Nescit homo*, ait Sapiens Eccles. 3. *finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamô, & sicut aves laqueô comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis* extemplò *supervenerit*. Unde scitè dictum est: *Morte nihil esse certius, horâ verò mortis nihil incertius*. Atque adeò Sapiens quidam vitam humanam comparat bullis tempore pluviæ super aquam natitantibus, quarum quædam mox ùt ebullierunt, resident: aliæ verò paulò quidem diutiùs fluctuant, sed omnes tandem evanescunt. Alii enim homines in utero materno pereunt, alii in infantia, alii in pueritia, alii in adolescentia vel virili ætate, alii in senectute. Deinde, alii sani subitò pereunt; vel morbô, ùt apoplexiâ; vel casu, ùt submersione; vel vî aliunde illatâ, ùt gladiô, sclopetô, lapide. Alii extinguuntur morbô brevî vel diuturnô.

II. Considera, cùm terminus vitæ nostræ tam sit incertus, quanta sit nostra temeritas, quòd tam securè tamque negligenter vivamus, immemoresque simus verborum Christi, toties clamantis, Matth. 24. *Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Filius hominis venturus sit*: quasì diceret: Cùm horam nesciatis, omnî horâ vigilate; & quia diem nescitis, omni die vigilate, &c. 2. Considera, ut energiám verborum Christi intelligas, cur excubiæ perpetuæ in urbibus

bus & caſtris hoſti vicinis habeantur: Certè non alia de cauſa, quàm quòd præſidiati ignorent, quando hoſtis venturus ſit: ſi enim ſcirent, tunc certè tempore intermediô ſomnô & quieti vacarent. Cùm ergo eadem prorsùs incertitudo ſit de hora mortis noſtræ, cur non ſimiliter vigilemus? Certè anima noſtra pretioſior eſt omnibûs mundi urbibûs & caſtrîs, & ſi ſpectes lytrum, quô redempta eſt, etiam Angelîs. Deinde hoſtes animæ ſunt plurimi, potentiſſimi & callidiſſimi, qui noctes diésque inſidiantur, & jactus aleæ in hoc conſiſtit, ut ſimus parati ipsô momentô, quô mors venit, ùt liquet ex Parabola de fatuis virginibus, quibus imparatis clauſa eſt janua, Matth. 25.

III. Conſidera, cur Deus voluerit nobis incertũ eſſe exitum vitæ. Una cauſa eſt, quia multi ſi ſcirent ſe ſexaginta vel ſeptuaginta annîs victuros, differrent pœnitentiam, & graviora peccata committerent: dum verò neſciunt, non differunt pœnitentiam, nè in peccatis moriantur. 2. Si econtra ſcirent ſe non diu victuros, multa bona opera proximo ſalutaria omitterent, ac tantùm propriæ ſaluti vacarent. Deinde in converſatione humana forent melancholici, tetrici & faſtidioſi, communémque pacem & concordiam turbarent. 3. Si quis æger, ſciret infirmitatem ſuam non fore ultimam, non confiteretur, non communicaret, non invocaret Sanctos, non imploraret auxilium aliorum in Miſſis, & alia bona omitteret; quia autem neſcit, ſæpè diligentiſſimè confitetur, & quidem de tota vita, vota edit, eleemoſynas in pauperes profundit.

MEDITATIO IV.

De miseria fragilitatis humanæ naturæ.

I. CONſidera vitam noſtram non tantùm eſſe brevem & incertam, ſed etiam fragilem, multiſque periculis expoſitam, ſic, ùt vitrum non ſit fragiliùs. Peſtilens odor, infectus aër, ſol ferventior, hyems acrior ſæpè vitam nobis eripiunt, non ſolùm infantibus & pueris, ſed etiam viris. Si rogaris, cur iſte vel ille obierit? Reſponſio in promptu eſt: Ex hauſtu aquæ frigidæ, quem ſumpſit avidiùs: ex potu vini quô ſe obruit, ex nimio dolore vel terrore, ex ſpina hærente in gutture, ex ictu ſerpentis, ex demorſo digito à fele, *&c.*

II. Conſidera dictum Iſaiæ cap. 40. de hac materia: *Vox dicentis*, inquit, *Clama. Et dixi, quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exſicatum eſt fœnum & cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflavit in eo. Quæ enim firmitudo in carne*, ait in illa verba S. Ambroſius lib. 3. Hexam. cap. 7. *quæ ſalubritas poteſt eſſe diuturna? Hodie videas adoleſcentem validum, grata ſpecie, ſuavi colore: craſtina die tibi facie & ore mutatus occurrit: hodiè nobilis & dives triumphat, cras in carcerem rapitur.*

III. Conſidera eandem fragilitatem quæ eſt in corpore, cerni etiam in anima noſtra? Unde D. Paulus 2. Cor. 4. ſcripſit nos theſaurum, nempe gratiæ geſtare in vaſis fictilibus. Tandem enim multa ſunt in hoc mundo pericula lapſus, tot ſunt ubique laquei à mundo, carne & dæmone ad irretiendas animas diſpoſiti, ut Propheta dixerit Pſal. 10. *Pluet Deus ſuper peccatores laqueos.* Quos aliquando in viſione conſpiciens S. Antonius, exclamavit: *O Domine! quis tandem evadet ſuper omnes laqueos?* Hinc eſt, quòd tot

tot animæ pereant quotidie : sic ut Beatus Bernardus non vereatur dicere : *Sicut ex decem navibus in Oceano, vix una in portum pervenit ; sic ex decem animabus, vix unam laqueos mundi evadere, & ad vitam æternam pervenire.* Nec in cœlo securitas fuit, unde cecidit Lucifer cum tot Angelorum millibus : nec in Paradiso, unde expulsus est Adam cum Eva, nec in schola Christi, in qua periit proditor Judas : nec in primo cœtu Christianorum, in quo Ananias cum Sapphiria extinctus est : ut discas te, etiamsi in sanctissima Religione vivas, necdum esse securum. 3. Considera causam cur Deus tam fragilem humanam vitam esse voluerit, nempe ut eâ ob oculos positâ, citiùs à perversa vita resipisceret : quod enim est aliud interstitium inter te & tartarum, nisi caduca & fragilis ista vita tua, quæ hodie florens, cras fortè exarescet : Quod ut meliùs intelligas, imaginare tibi te videre hominem aliquem è tenui filo pendentem, cui subjectus sit puteus profundissimus : & cogita quanto ille in metu sit, nè filô ruptô in illum corruat : quid non offerat, ut periculô illô eximatur ? In non minori ruinæ periculo, imò majori est quivis homo existens in peccato mortali : filô enim vitæ semel ruptô, corruet in puteum altissimum inferni, in flammas perpetuas, è quibus nunquam emersurus est. Quis verò in tanto periculo luxuriari, voluptati indulgere, ridere queat ?

MEDITATIO V.

De miseria inconstantiæ vitæ humanæ.

1. COnsidera, vitam humanam illam quoque habere miseriam, quòd mutabilis sit & inconstans. Unde Job cap. 24. *Homo* inquit, *natus de muliere brevi vivens tempore, multis repletur miseriis : qui*

quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra & nunquam in eodem statu permanet. Homo enim nunc ſanus eſt, mox æger: nunc lætus, mox triſtis: nunc quietus, mox turbatus; nunc dubius, mox certus; nunc timidus, mox audax; nunc vult, mox non vult; nunc ridet, mox flet. Breviter: tot ſunt mutationes, quot occurrunt circumſtantiæ & accidentia, ut nec Luna, nec Euripus ullus ſæpiùs mutetur. Mare non movetur, niſi cùm venti mutantur, ſed in homine ſunt continuæ mutationes, ſive ſæviant venti, ſive tranquilla ſit malacia.

II. Conſidera hanc mutabilitatem maximè cerni in ſalvatore noſtro, qui quo die cum maximo gaudio populi receptus eſt in Urbem Hieroſolymam, eodem ab omnibus ſub veſperam derelictus eſt. Priùs obviam præceſſerant Chriſto cum ramis virentibus: quatriduò verò pòſt aridîs ramîs percuſſerunt ejus caput. Ante, veſtimentîs ſuîs ſe exuerunt, ut ſternerent in via: pòſt verò, cum veſtibûs propriîs ſpoliârunt, ut flagellarent & crucifigerent. Priùs clamabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini:* Paulò pòſt autem acclamârunt Pilato, *Reus eſt mortis, crucifige eum.* Nonne hæc magna & ſubita fuït mutatio? Hinc diſce quis ſit exitus honórum & dignitatum hujus ſæculi, nec ampliùs confide ejus amicitiæ & proſperitati, quia inconſtans eſt & mutabilis. Confide autem in ſolo Deo, ejuſque gratiâ & amicitiâ: ille enim ſolus immutabilis eſt & verus amicus in adverſis æquè ac proſperis.

III. Conſidera quanta mutatio & viciſſitudo ſit, etiam in rebus maximis hujus vitæ, ùt in Regnis & Imperiis. Monarchia hujus mundi cœpit quidem

dem in Assyriis, sed non perstitit diu: migravit enim ad Persas, & paulò pòst ab his ad Lacedæmonios, & ab his ad Romanos, à quibus tandem transiit ad Germanos. Quòd si imperium, in quo summa totius mundi dignitas consistit, toties translatum est, quid in hoc mundo firmum esse potest & stabile? 2. Considera S. Joannem cap. 2. scribere tres columnas, quibus insistit mundus tremere & transituras. *Omne*, inquiens, *quod est in mundo, est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ, & transit mundus & concupiscentia ejus.* Quis ergò non fugiat ex illo? nemo enim manet in domo minante ruinam.

MEDITATIO VI.

De miseria fallaciæ vitæ humanæ.

I. CONsidera hanc miseriam longè pejorem esse superioribûs: nam ùt vulgò dicitur: Ficta Sanctitas duplex est impietas: sic ficta apparensque felicitas duplex est miseria. Unde enim tam longa Dei nobis subrepit oblivio, unde divitias tantô studiô quærimus, ad honores anhelamus, nullâ mortis curâ tangimur, nisì quòd falsò persuademus vitam fore diuturnam, & cassa spe annorum multorum spatia nobis pollicemur? *Quotidie*, inquit Beatus Hieronymus Epist. ad Nepotianum, *morimur, & quotidie commutamur, & contra fidem atque experientiam ipsam nos esse æternos credimus.* Et iterum: *Nemo enim tam fractis viribûs, & sic decrepitæ senectutis est, ut non putet se adhuc annum unum supervicturum.* Denique de vita haud secus judicamus, quàm si ejus brevitas vel longitudo esset in arbitrii nostri potestate.

II. Considera, de officiis honoratis & dignitatibus,

bus, ac omnibus voluptatibus, quàm blanda specie se nobis offerant; & quot confestim, ubi ea receperimus, afflictionibûs, periculis, curîs, invidiîs, & laboribûs sint obnoxia. Virgo gaudens pergit ad ædes sui sponsi: non enim videt aliud, quàm quod foris apparet: at, si videret sementem miseriarum quæ illo die seminantur, justiorem causam haberet plorandi. Heu! quot miserias illa feret! quot noctes insomnes ducet! quot in re domestica patietur difficultates! 2. Cogita, si mundus tibi hæc blandiatur, id fieri ut te fallat; si exaltet, ut te dejiciat, si exhilaret, ut postea magis affligat. Dat multa bona, sed cum felle & dolore mixta: dat tibi liberos, ut gaudeas; sed postea tollit, ut gaudium compenset majori luctu. Et nescio quomodò naturâ ità comparatum sit, ut magis semper affligant mala, quàm exhilarent ejus bona.

III. Considera omnem hanc fallaciam oriri ex nimio amore nostri ipsorum, qui sic excœcat nos, ut apparentiæ bona semper veris anteponamus. Quia enim nimiùm amamus hanc vitam, odimus mortem, imò nec ferimus, de ea mentionem fieri, & ideo non possumus nobis persvadere eam esse vicinam, nè in mœrorem aliquem ex cogitatione incidamus. Hinc fit, ut & alios citò morituros facilè credamus, non autem nos: nempe quia non ità tenerè alios, quàm nosipsos diligimus. 2. Considera & aliam esse causam hujus fallacis opinionis, quòd plùs æquo fidamus vel ætati vel viribus & sanitati corporis, non consideramus mille modîs hominibus, licèt sanis, quotidie abbreviari vitam.

ME-

MEDITATIO VII.

De multitudine miseriarum hujus vitæ.

1. CONsidera brevè, incertum & fallax quod in vita nostra est, variis multisque corporis & animæ miseriis esse permixtum, sic ut mors potiùs quàm vita appellanda sit. Unde rectè Sapiens Eccl. 40. *Occupatio* inquit, *magna creata est hominibus, & jugum grave super filios Adæ, à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium hominum.* 2. Considera nullum temporis punctum præterire, quô non ad mortem festinemus. *Hoc ipsum*, inquit S. Hieronymus, *quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur: quot puncta notavi, tot meorum damna sunt temporum.* Et si vita nostra aliud non est quàm iter ad mortem, & hora mortis eadem sit quæ judicii; quid vita nostra est, nisi iter ad horrendum Christi tribunal, qui potest corpus & animam mittere in gehennam.

II. Considera etiam, si vita nostra brevis sit, brevisque ejus voluptas; longam tamen reverà esse propter innumeras miserias, eoque longiorem quominùs nos miseros, velut phrenetici, agnoscimus. Quoties homo timore, mærore, dolore exagitatur, etiam sinè ulla causa, ut possit dicere cum Job cap. 7. *Quare posuisti (ô Deus) me contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi gravis?* Quantas molèstias & labores sustinet homo, antequam panem lucretur? Aviculæ, aliæque bestiæ sinè sudore necessaria sibi parant: solus homo noctes diesque sudare debet, *per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.* 2. Considera homini illud Psal. 89. verè convenire: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, id est, nos in annis nostris velut aranea meditamur. Aranea enim, ut victum sibi

ſibi paret : ſe totam eviſcerat, & noctu diuque in reti texendo laborat, & tandem quid capit ? vilem muſculam. Sic homo noctu diuque laborat pro vili lucello, & tandem vix panem ſibi liberisque neceſſarium parat. 3. Conſidera, ſi homo liber ſit à labore & cura, aliunde tamen alias ei obrepere miſerias : primò numerum morborum, quibûs pleni ſunt medicorum libri, deinde bellorum, caritatis annonæ, terræ motuum, eluvionum, furtorum, aliorumque infortuniorum à beſtiis & ipſis hominibus. Quot enim quotidie homines in bellis & extra, gladiô, bombardîs, aliîsque armîs ab hominibus conficiuntur. Julius Ceſar paucîs copiîs plùs quàm decies centena hominum millia trucidavit, & tamen omnium Imperatorum clementiſſimus dicitur. Quid feciſſet, ſi fuiſſet tyrannus ?

III. Conſidera præter hæc omnia ſingularum ætatum proprias miſerias. Quid aliud eſt infans, nisì beſtiola rationis expers in ſpecie humana ? Quid adoleſcens, nisì equus indomitus, vel vitulus ? quid ſenectus, nisì omnium morborum & moleſtiarum ſaccus ? Senex deſerit mundum, & à liberis ſuis deſertus, deſerunt eum propria membra & ſenſus : deſerit & ſeipſum, cùm ſæpè delirus ſit, & ratione uti neſciat : Et tamen optant omnes, quacumque in ætate ſint, fieri ſenes. 2. Conſidera nullum hominem ſua ſorte eſſe contentum, quantumvìs ſit potentiſſimus. Quot Imperatores ſe ſpontè Imperio abdicarunt ? quot Epiſcopi Epiſcopatu ? Vivunt homines omnes ſicut infirmus, qui nihil àliud agit quàm ut ex uno latere in aliud volvat & revolvat, ſperans majorem quietem quam non invenit, & neſcit cauſam inquietudinis ſuæ eſſe internam infirmitatem. 3. Conſidera De-

um

um tot amaritudinibûs miscuisse vitam nostram, ut ad ejus fastidium nos provocaret, & ad vitam æternam omnium miseriarum expertem pelliceret. Si enim, cum tot ærumnis quotidie obruimur, tam ægrè ex statione vitæ hujus discedimus; quid faceremus, si omnia prosperè & jucundè nobis in hac vita succederent.

MEDITATIONES DE QUATUOR NOVISSIMIS.

MEDITATIO I.

De Morte.

ORatio præparatoria erit. Posito ob oculos Deo, rogare eum præsentem, ut omnes cogitationes tuas, verba & opera dirigat ad suam gloriam, tuamque salutem.

1. Præludium. Imaginare te ipsum decumbentem in lecto, morti vicinum, à Medicis desperatum, depositô ad caput cereô, ad pectus imagine Crucifixi, extremam jamjam animam ducere.

2. Præludium. Ora Deum ut gratiam tibi concedat, fructum aliquem ex consideratione mortis capiendi.

I. Considera ex una parte mortem esse certam & inevitabilem: *Statutum est enim*, ait Apostolus Heb. 5. *hominibus semel mori.* Ex alia verò parte, quoad tempus & horam, locum etiam & modum, esse incertissimum. Imò maximè hominem persequi solere, cùm minimè de ejus adventu cogitat, juxtà

illud Pauli 1. Theſſ. 2. *Dies Domini ſicut fur in nocte ità veniet : cùm enim dixerint , Pax & ſecuritas , tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* 2. Conſidera quomodò affectum ſe ſentiat is, qui omne ſuum ſolatium in vita diuturniore poſitum habet, quando monetur, Medicum nullam ſpem dare vitæ. Talis enim mox objicit oculis mentis perpetuum ſuum ex mundo exilium : videt jamjam ſe abſtrahendum à parentibus, cognatis, amicis, ſociis, favore Principum, dignitatibus, palatiis, agris, vineis, &c. Deinde (quod longè acerbiùs) animam vì è corpore tantopere amato avellendam : quam pœnam nullus verbîs exprimere poteſt, quia nullus expertus eſt, nisì qui extremum ſpiritum reddidit.

II. Conſidera quàm anxius idem ſit futurus, cùm ſentiet ſe incertum de ſalute : 1. ob multitudinem peccatorum. 2. quòd tunc multorum recordabitur antè oblitorum : 3. quòd quæ aliàs levia viſa ſunt, tunc graviſſima apparebunt : 4. quòd tunc maximè dubitabit, ſitnè in odio, vel amore Dei : 5. quòd anceps hærebit, an veram de peccatis habeat contritionem, ac tandem ità attonitus ſit, ut neſciat quò ſe vertat. 2. Conſidera, ſi Deum reſpexerit, imminebit Deus ei iratus, diſtringens inſtar vindictæ gladium : ſi oculos depreſſerit, videbit ſepulchrum, tetrum odorem exhalans ſuo corpori paratum : animæ verò, quam negligenter habuit, apertam inferorum abyſſum : ſi ſeipſum ingreſſus fuerit, inveniet turbam peccatorum, quorum conſcientia cum æternis addicit ſuppliciis. Si verò circumſpexerit, videbit circumſtantes dæmonum copias, Codicem criminum explicantes, & patulîs faucibûs in prædam inhiantes. Volet qui-

quidem miser fugere seipsum, sed fieri non poterit: volet terga vertere, sed non concedetur.

III. Considera extremum conflictum cùm vita, agonem & angorem mortis, quando cereus accenditur, & in aurem inclamatur, ut corde saltèm si non ore, se Deo commendet. Quô punctô, etiam sanctissimi quique, magno metu concuti solent, ùt S. Hilarion clamans: *Egredere, anima mea: quid times? septuaginta annis servivisti Deo, & mori times.* 2. Perpende quomodò tunc totus pallescat, extrema manuum pedumque frigeant, oculi concidant, corpus tuum sudore madescat, pulsus langvescat, anhelitus ægrè trahatur, pectus constringatur & palpitet, ac mox subeat lethalis oppressio, & aculeus mortis, quô cogitur anima è corpore migrare. 3. Expende, quomodò animâ egressâ, corpus, tam lautè & honorificè ante ornatum & tractatum, tam deforme & horribile reddatur, ut omnes ab eo intuendo & tangendo abhorreant, ac ipsi amici mox laborent, ut inter quatuor vel quinque asseres cum veteri indusio inclusum, in terram à vermibus consumendum defodiatur.

Concludes colloquiô cum Deo, quô petes hæc, tuo animo ità figi, ut deinceps sic vitam instituas tuam, quemadmodùm velles instituisse, quando ad agonem mortis perveneris: qui enim bene vivit, non potest nòn bene mori.

MEDITATIO II.

De morte justorum & piorum. Sap. 3.

Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis incipientium mori: illi autem sunt in pace.

1. CONsidera mortem, licèt in se, ùt dictum est, sit

ſit horrenda ; eam tamen ab hominibus piis & religioſis, qui eam habent pro ærumnarum hujus vitæ termino, & æternæ felicitatis principio, cum deſiderio expectari ; cum Sancto Propheta Pſalm. 41. *Quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te, Deus.* Et cum Apoſt: Philipp. 1. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* 2. Conſidera inde non ſequi juſtos non reformidare mortem naturaliter, cùm & Chriſtus, ùt homo timuerit ; ſed longè aliter quàm peccatores : hi enim cauſam timendi habent, ſæpè de ſalute deſperant : juſti verò, etſi ex infirmitate naturæ, dum mors inſtat, turbentur ; tamen quia ſciunt poſt mortem ſe feliciùs victuros, gaudent. Itaque timendo lætantur, & lætando timent : Sanctus Martinus, qui in morte aſtanti dæmoni fidenter dixit : *Quid hic aſtas, cruenta beſtia ? nihil in me funeſti reperies : ſinus Abrahæ me recipiet :* Et S. Ambroſius : *Non timeo mori, quia bonum Dominum habemus.*

II. Conſidera, juſtis dolores & languores ægritudinis & mortis apparere jucundos & dulces, ob ingens deſiderium quô flagrant patiendi pro Chriſto, & pœnas meritas expiandi. 2. deinde exiguum metum illis ab hoſte humani generis, quem dum vixerunt ſæpiùs expugnarùnt, poſſe injici ; contra verò præſto futuram multorum Angelorum tutelam & conſolationem, beatam Virginem atque adeò ipſum non raró Chriſtum. 3. eoſdem ob bonæ conſcientiæ teſtimonium, percepta Sacramenta omnia, & fiduciam in divina miſericordia poſitam, tantam cenſuros pacem & conſolationem, ut omni metu depulſo initium quoddam voluptatum patriæ, ſint deguſtaturi. Denique nec ullo dolore afficiendos quòd divellantur ab omnibus rebus creatis, quia jam dudum

dum in vita illis renunciarunt, scientes se per illas impediri, quò minùs perfectè suo Creatori conjungi possint.

III. Considera, eos potiùs gravisuros quàm tristaturos de separatione animæ à corpore, quia agnoscent eam in illo tamquam in carcere fuisse detentam: in morte autem 1. solutam vinculîs restitui veræ libertati, & avolare in suam patriam. 2. nec de statu corporis sui post mortem ullum mœrorem capturos, tum quòd certò credant illud suo tempore maxima cum gloria resurrecturum, tum quòd sicut in vita commoda corporis sectati non sunt, & nudi Christum nudum sequi parati fuerunt; ità etiam ex humilitate gaudeant, illud ex terra factum in terram redire. Unde S. Franciscus voluit nudus in terra mori, & tamdiu post mortem nudus relinqui, donec milliare unum confici possit: S. Arsenius verò optavit illud projici canibus devorandum post mortem.

MEDITATIO III.

De judicio particulari.

1. CONsidera anima vitâ defuncti solam ineuntem iter in regionem ignotam, ut sistatur judicio particulari Dei, quod non minus metuendum est quàm universale in fine mundi futurum, quia *qualem inveniet Deus hominem*, inquit beatus Augustinus, *in suo novissimo die, talem judicaturus est in mundi novissimo die.* 2. Considera quatuor personas in judicio illo futuras: 1. est anima judicanda, quæ in conscientia descriptam geret totam anteactam vitæ historiam. 2. est Christus judex simul & testis, atroci vultu animæ impiæ minas & pœnas spirans. 3. Sancti Dei summa indignatione eamdem detestan-

ſtantes. 4. dæmones peccata exaggerantes, & bona opera extenuantes. Cogita ad quas anguſtias redigetur miſella anima, quando ipsâ conſcientiâ teſte, veriſſimas fatebitur omnes contra ſe prolatas accuſationes.

II Conſidera examen ipſum quod inſtituetur, factorum, dictorum, cogitationum, in quo tria ſunt metuenda: 1 multitudo rerum, de quibus reddenda eſt ratio: nam *cui plus datum eſt, plus exigetur ab eo*, Luc. 12. 2. Judicis exactiſſima de ſingulis inquiſitio, & ſevera punitio: nam non ſolùm noviſſimum quadrantem repoſcet, ſed etiam de omni verbo otioſo & cogitationibus occultiſſimis rationem exiget. 3. acerrima Judicis de rebus exiſtimatio; *Non* enim *cogitationes meæ, cogitationes veſtræ, neque viæ meæ, viæ veſtræ, dicit Dominus.* Qui ſtudioſus eſt munditiei, non poteſt etiam parvas ſordes in pretioſa veſte ferre: ſic Chriſtus ipſa puritas non poteſt ferre etiam minimas in anima noſtra ſordes. Nos exigua quædam peccata cenſemus, quæ Deus graviſſimè punit: imò pro peccatis habet, quæ nos peccata eſſe non putamus, ùt 2 Reg. 6. quòd Oza Levita arcam cadentem attigit. Unde David Pſal. 18. exclamat: *Delicta quis intelligit?*

III. Conſidera, diſcuſſis cognitiſque cauſis procedendum ad pronuntiationem ſententiæ multis nominibus formidabilem: 1. ob conſtantiam Judicis, qui nullis precibus, lacrymis, interceſſione vel excuſatione, à juſta ſententia ferenda deduci poterit: 2. ob magnitudinem rerum de quibus agetur: non enim de pecuniis vel agris, ſed de ſummis bonis vel malis in omnem æternitatem duraturis tractabitur: 3. ob immutabilem ſententiam Judicis, quæ nullo judicio retractari poterit. De-

us

us enim, cùm summus sit Judex, & qui falli in judicando non potest, ab eo non erit ad alium appellatio. 2. Cogita quanta trepidatio miseram animam invadet, quando elevata manu, conversis in eam oculis Judex Christus, æternam & irrevocabilem proclamabit sententiam: *Discede maledicte in ignem æternum*, Matth. 25. Dei faciem numquam visurus! nihil boni umquam à me habiturus! Deus bone! quæ desperatio, qui fletus, quæ lamenta tunc erunt? 3. econtrà cogita quantô gaudiô exultabit anima, cùm audiet optatissima verba: *Veni, benedicte Patris mei, posside Regnum tibi paratum à constitutione mundi.*

MEDITATO IV.

De judicio universali.

Vide Meditationem Feriæ secundæ post Dominicam primam Quadragesimæ.

MEDITATIO V.

De Inferno.

ORatio præparatoria, *ut suprà de morte.*

1. Præludium. Imaginare infernum, locum esse tenebrosum, vastum & profundum, sub terra positum instar latissimi putei, pice, sulphure, flamma, fumo, viperis, bufonibus & serpentibus pleni, in quo nihil audiatur præter gemitus, suspiria, maledictiones tortorum, & eorum qui torquentur, cum perpetuo planctu & stridore dentium.

2. Præludium. Pete gratiam à Deo, ut cordi tuo gravitatem pænarum quas damnati sustinent, imprimat, ut hinc juveris ad vitanda peccata.

I. Considera, in infelici hoc loco tria genera pœnarum inveniri: pœnam sensûs, pœnam damni, &

ver-

vermem conſcientiæ. Quod ad ſenſûs pœnam attinet, ſcias nullum membrum, nullum ſenſum eſſe, qui non ſingulari ibi dòlore excrucietur, ſecundùm multitudinem & gravitatem criminum per illos commiſſorum; oculus impudicus, horrendo dæmonum aſpectu; aures, confuſione lamentorum ibi reſonantium; nares, tetro fœtore; guſtus, rabida fame & ſiti; tactus, ardore & frigore inexplicabili; memoria, præteritarum voluptatum recordatione; & intellectus, conſideratione bonorum amiſſorum & malorum impendentiū in omne ævum. 2. Conſidera ſingulares pœnas quibûs nonnulli punientur. Alia enim pœnâ ſuperbi, aliâ invidi, avari, luxurioſi, &c. punientur: qua in re maxima apparebit Dei ſapientia & juſtitia, exactiſſimè ſingulorum exceſſus debitè caſtigantis. Unde in Apoc. 18. in meretricem ſuper aquas ſedentem talis pronuntiata eſt ſententia: *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

II. Conſidera pœnam damni abſq; omni comparatione, priore majorem, quæ conſiſtit in viſionis Dei & perpetui cum omnibus Sanctis conſortii privatione. Et licèt omnibus damnatis communis futura ſit, tamen acerbior erit Chriſtianis omnibus, ac imprimìs Clericis & Religioſis, qui majorem occaſionem habuerunt ad viſionem illam perveniendi. 2. Conſidera & tertiam pœnam, nempe conſcientiæ vermem, qui continenter rodens numquam conſumetur, ſed perpetuò ſcelera commiſſa exprobrabit. Ah! quæ ſuſpiria ab ea erumpent, cùm ſentiet tam ſæpè inſtinctus divinos, quibûs ab hoc vel illo malo retrahebatur, & ad bonum incitabatur, repudiatos! Quid cogitabit, cùm ob illos neglectos advertet ſe addictam ardoribus ſempiternis & intolerandis.

III.

III. Considera, si omnis molestia quantumvis brevis, exustio digiti in flamma candelæ modica, tibi intolerabilis nunc videtur; quid facies in igne infernali acerrimo, ad quem comparatus noster ignis, etiam maximus, pictus videtur? Quid in tanto calamitatum & cruciatuum Oceano, quantum nullus mortaliũ satis animo concipere potest! quid dices, vel audito nomine æternitatis? O æternitas! æternitas! quem tui consideratio non movet ad malam vitam deserendam? is aut fidem non habet; aut si habet, cor non habet. 2. Considera horrendas blasphemias, in quas ob numquam finiendas pœnas, infelices animæ erumpent, & contra Deum tamquam inimicum, & contra Christum tamquam iniquum Judicem, & contra Sanctos tamquam alteri parti nimium addictos. Deinde execrationes & maledicta quæ evoment filii in parentes, & parentes in filios, discipuli in præceptores, quòd suâ indulgentiâ has flammas parârint: socii denique in socios, quòd pravîs colloquiîs exemplísque se mutuò seduxerint. Atque hæc tanto fient cum strepitu & clamore, ut si inter nos tale quid audiretur, præ horrore planè ùt arentia ligna rigidi staremus.

Colloquiô cum Deo Meditatio concludetur, quô gratiam petemus semper ob oculos habendi pœnas æternas inferni, ut eò faciliùs à peccatis abstineamus.

MEDITATIO VI.

De cœlesti gloria.

ORatio præparatoria eadem cum superioribus.

1. Præludium. Pone tibi ob oculos amœnissimum, altissimum, amplissimúmque locum eô ornatu, qui cœlo Empyreo inest, itâ nominato, quòd luce pulchritudinéque reliquos cœlestes orbes superat.

2. Præludium. Pete à Deo gratiam, ut intimè gloriam patriæ cœlestis intelligas: quò magìs exciteris ad serviendum ipsi in vitæ puritate.

I. Considera, qualis sit beatorum locus, nempè vastissimus & pulcherrimus, civitas nempe immensa, tota ex auro purissimo, cujus mœnia sunt pretiosæ gemmæ & margaritæ, portæ ex smaragdis & saphiris excisæ, viæ argenteæ, & instar crystalli perlucidæ; ubi nulla nox, nullæ tenebræ, nullus æstus, nullum frigus; sed summa amœnitas; ubi Sol justitiæ numquam oritur, numquam occidit; sed amabilem suam lucem, mira cum voluptate omnium, diffundit. 2. Considera, si tectum hujus machinæ, Solis, Lunæ, errantium & non errantium stellarum tanto splendore collucet; qualis erit cœlestis illa Patria, ubi Aula est magni Regis Regum, Dei Omnipotentis, qui carissimis sibi filiis multò majora præstare vult & potest, quàm nos possimus comprehendere. Ideo dicebat David Psal. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

II. Considera qualis illa sit Domus Dei, omnino nimirùm jucundissima & amabilissima, ubi omnium bonorum est copia, ubi nec quicquam quod offendat, adest, nec quicquam quod delectet, abest, ubi amor perfectus, timor nullus, dies æterna, & unus omnium spiritus: ubi facie ad faciem contemplantur sanctissimam Trinitatem, & omnia in illa, eandemque ex toto corde omnibusque viribûs complectuntur & amant: ubi sanctissimam vident Christi humanitatem, in quam desiderant Angeli prospicere: beatam Virginem ìtèm, ùt Matrem Dei, & in gloria Christo proximam: tum Angelorum Choros, & varios hominum Ordines, Apostolos,

Pro-

Prophetas, Patriarchas, Martyres, Confessores, Virgines, Innocentes, Parentes, cognatos, socios, & omnes instar Solis splendidos, tantaque caritate flagrantes, ut nullus minùs de aliena gloria, quàm de sua gaudeat. 2. Considera multitudinem & plenitudinem gaudiorum, quæ erit in omnibus: Tanta enim erit multitudo, ut solus Deus ea numerare possit; tanta magnitudo, ut solus Deus nôrit æstimare; tanta varietas & perfectio, ut nihil habeat hic mundus cum illis comparandum. Summum autem gaudium capient ex perpetua securitate, quòd non solùm ab insidiis dæmonis & mundi, liberi sint, sed quòd inferni pœnas, ad quas tam multi detrusi, evaserint.

III. Considera quanta sit futura gloria corporum: habebunt enim quatuor singulares dotes; subtilitatem, agilitatem, impassibilitatem & claritatem, quæ tanta erit, quòd teste Christo Matth. 13. *Justi fulgebunt ùt Sol in Regno Patris.* Nec explicari potest quanta in voluptate ibi futuri sint omnes sensus, quæ ibi lux, quæ colorum venustas, qui concentus, qui sapores, qui odores. Nam Isa. 64. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se.* 2. Considera quantô gaudiô exilient, qui multos labores in corpore sustinuerint., multa pro Christo perpessi fuerint, ciliciîs, disciplinîs, iejuniîs se contra tentationes munierint, qui pravis carnis cupiditatibus sedulò restiterint, easque crucifixerint. 3. Cogita tu quoque, quid hactenus egeris, quid agas, quid agere cogitas pro gloria cælesti. Perpende quibus mediis usi fuerint Sancti omnes, qui nunc cum Christo in cælo regnant, ut gloriâ illâ non exciderent, eosque strenuè imitare.

Colloquiô cum Deo Meditationem conclude, quò petas veniam ob tempus hactenus negligenter actum, & decernas te deinceps velle sedulò percurrere viam mandatorum Dei.

MEDITATIONES

Residuæ de Christi Vita & Doctrina. Quæ non incidunt in Dominicas vel Festa.

MEDITATIO I.

De Christi generatione æterna. Joan. 1.

1. IN *princio erat Verbum.* Considera, cùm duplex sit Verbum humanum, vocale & mentale; Christum, ùt est Filius Dei, à similitudine mentalis dici Verbum: quia sicut verbum, vel cogitatio mentis nostræ, qua sibi mens loquitur, sinè passione & corruptione à mente procedit, ejusq; est expressa imago; ità Filius Dei incorruptã & passionis expertem à Patre trahit originem & expressam ejus imaginẽ gerit. 2. Sicut mens sibi ipsi per verbum vel cogitationem loquitur, & in seipsam, & omnia quæ scit; agnoscit: ità & inFilio sibi ipsi Pater loquitur, & in eo, quasì speculo & viva imagine, se, omnesque creaturas contemplatur. 2. Considera, per principium significari primordium mundi & omnium rerũ conditarum: voce autem *erat* denotari Filii Dei cùm Patre æternitatem. Si enim jam erat Verbum cùm mudus conderetur, rectè infertur numquam ejus durationem incepisse. Si enim incepisset, jam non præcessisset principium durationis & omnium rerum condita-

ditarum. Deinde dicit *In principio erat*, non autem *fuit*, ut significet verbum ità præcessisse res conditas, ut tamen cum illis perseverârit & permanserit.

II. *Et Verbum erat apud Deum.* Considera hîs verbîs 1. indicari ubi fuerit Filius Dei vel Verbum ab æterno: si enim apud Deum Patrem fuit, qui incircumscriptibilis est, nullô certè locô, nullîs finibûs fuerat circumscriptum. 2. quale fuerit: non accidens, ut nostrum verbum mentale, vel vocale in mente, vel aëri inhærens, sed subsistens, non in Deo, sed apud Deum. 3. verbum hoc, ità per se subsistere, ut ab eo secundùm personam distinguatur. 4. ita esse personam distinctam, ut tamen sociali & amicabili conjunctione maneat cumDeoPatre devincta 5. procedere à Patre.

III. *Et Deus erat Verbum.* Considera sicut prima parte significata est æternitas Verbi cum Patre, secundâ verò personalis ejus à Patre distinctio: ità hac tertia parte designari identitatem naturæ ejus & essentiæ cum Patre, ut licèt Pater & Filius duæ sint personæ reipsa inter se distinctæ, maneat tamen unus idemque Deus. Debet enim in hac oratione præconstrui dictio *Verbum*, ut sit sensus: *Et Verbum illud quod dixi, erat Deus.* Verborum autem, quæ mox hìc sequuntur apud beatum Joañem: *Hoc erat in principio apud Deum.*, hæc est sententia: Hoc nempe Verbum quod dico esse Deum, hoc, inquam, & non aliud erat in principio apud Deum. 2. Considera hoc verbum divinum in eo distingui à verbo mentali nostro, quòd hoc inefficax sit ad operandum, illud verò efficax ad omnia facienda, & ideo subdit sanctus Joannes: *Omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil.* 3. Considera, si velis esse genuinus Dei filius, debere te magnô desideriô æternitatatis, hoc

eſt conſpectu Dei fruendi in æternum, teneri. 2. converſationem tuam habere in cælis, id eſt apud Deum, & ideo ſemper eum præ oculis habere, & non res terrenas. 3. Deo per intimum amorem ex toto corde jungi. 4. ut ſi naturâ eſſe non poſſis idem cum Deo, ſis ſaltèm voluntate & ſpritu: *Qui enim adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo*, 1. Cor. 6. 5. ut non tantùm multa bona cogites & velis, ſed etiam facias. *Debemus* enim *Deum diligere*, ùt habet beatus Joannes, *non tantùm verbô, ſed opere & veritate*

MEDITATIO II.

De *Chriſti Filij Dei Incarnatione*. Joan. 1.

1. *VErbum caro factum eſt.* Conſidera quis mundi ſtatus fuerit ante Filii Dei Incarnationem; nempe idolis colendis, mutuis odiis & cædibus, aliiſque flagitiis patrandis totus deditus erat. *Omnes declinaverant ſimul inutiles facti: non erat qui faceret bonum uſque ad unum*. Veritas exulabat, caritas refrixerat, & malitia abundabat, regnabat mors, dominabatur ſathan, & in infernum innumera animarum turba præceps ruebat. 2. Perpende quis ſtatus fuerit Sanctorum Patrum in Lymbo, poſt diuturnam captivitatem liberationis ſuæ, ſalutiſque mundi cupidorum. Nimirùm toto affectu ad Deum clamabant: *Uſquequò obliviſceris in finem? Exurge: quare obdormis, Domine! exurge, & nè repellas in finem*. Pſal. 87. & Pſal. 43. Veni tandem gloria gentis noſtræ, & ſpes unica ſtirpis tuæ. Deſere tandem ô vere Jacob! domum paternam, & ab æterna requie tua deſcende, & carnem humanam aſſume.

II. Conſidera quomodò ſacrum trium divinarum perſonarum collegium, utriuſque partis afflictiſſimum ſtatum dolenter perſpiciens, cœperit agitare conſilia de certo remedio, illos ab æterno exitio, hos

hos à captivitate diuturna vindicandi. Persona Patris videbatur propendere in justitiam, ut peccatores secundùm gravitatem delictorum punirentur. Persona verò Spiritûs Sancti in misericordiam, ut peccantibus parceretur. Filius autem considerans hominem ob temerè affectatam sui similitudinem in has miserias delapsum, nec suis viribûs posse emergere ad salutem, seipsum obtulit paratum ad assumendam carnem, & in ea ad profundendum pro salute hominis sanguinem: cui oblationi, misericordiarum Pater cum Spiritu Sancto mox subscripsit, & decretô unà factô, Mariam Virginem dignissimam esse, ex qua carnem assumeret, mox evocatur Gabriel Angelus, qui rem annunciet, & consensum ab ea impetret.

III. Considera, consensu à Beata Virgine impetrato, quomodò mox post verba illa, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, Spiritus Sanctus supervenerit, & virtus Altissimi obumbraverit illam, sicut promiserat Angelus, & Verbum Caro factum sit Deus homo in utero Beatæ Virginis. Sic celebratæ sunt æterni Verbi cum natura humana nuptiæ: *Sic misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*: sic humilis Ancilla facta est Mater sui Creatoris: sic homo miser & vilis in Divinæ Naturæ consortium est exaltatus.

2. Considera humilitatem Filii Dei, quòd vilis homo fieri voluerit, imò non homo tantùm, sed caro, quæ in homine abjectissima est, communis scilicet cum lumbricis & vermibus & aliis vilioribus: *Omnis* enim *caro fœnum*, Isaiæ 4. Factum est autem caro, non quia conversum sit in carnem; sed quòd itá arctè illi conjunctum sit, ut quicquid fecit Deus,

us, caro vel homo fecisse dicatur, & quicquid passus est homo, Deus passus dicatur.

MEDITATIO III.

De vita Christi ab anno ætatis duodecimo usque ad trigesimum, Luc. 2.

1. *CHristus annorum duodecim cum parentibus Hierosolimis redit in Nazareh, & erat subditus illis.* Considera Christum, ùt scribit Beatus Lucas, cœpisse primùm facere, deinde docere. Nam triginta primò annîs exercuit se in humilitate, patientia, obedientia & oratione, deinde verò tribûs annîs ultimîs prædicavit & docuit alios: ut intelligas, si verbô aliis prodesse velis, priùs diu operam dandam pietati, bonorumque operum exercitationi; nam non facilè docebis alios verbô, quod non ipse præstiteris exemplô. 2. Considera etsi scriptum non sit quid egerit Christus post annum duodecimum usque ad trigesimum, tamen non fuisse otiosum: à consuetudine mundi se subtraxit, in adeundo Templo & orando frequens. sæpe Matrem in humilibus officiis, sæpe Sanctum Joseph in fabrili arte juvit. Nam Marci cap. 6. de eo quidam dicunt: *Nonne hic est faber* ? Cur autem hæc fecit, nisi ut ad tempus solitudinem amemus, mundi consuetudinem vitemus, vanam gloriam fugiamus, priùs bene discamus quàm ad alios docendos prosiliamus.

II. Considera ex una parte bonum Joseph strenuè laborantem, ut habeat, unde carissimam Sponsam suam & mundi fabricatorem sustentet. Ex alia humilem Virginem suâ industriâ, nendo, texendo, aliisq; modîs providentem cibum ei, qui in cœlo Angelos, & in terra pascit omnes creaturas. Compa-

patere Christo, dum aspicis & illum in sudore vultûs sui instar primi Adam laborantem, non ut sibi prodesset, sed ut nobis exemplum daret humilitatis, obedientiæ & caritatis. 2. Considera quantum solatium Beatæ Virgini attulerit tam diuturna filii commoratio. quem certò credebat mundi Creatorem: quantâ reverentiâ ipsa & Joseph eum allocuti fuerint. Quàm promptus fuerit ille ad omnia, licèt nihil ei imperare auderent. Aspice illum servilî cinctoriô præcinctum, & per domum currentem ut nunc Sanctum Joseph, nunc Beatam Virginem juvare queat, dolandîs asseribûs, hauriendâ aquâ, domô everrendâ, focô construendo. Verosimile enim est nullos ibi fuisse vel famulos vel ancillas: circumstantibûs interim Sanctîs Angelîs & obstupescentibûs, eumque cum gaudio juvantibûs.

III. Considera quoties præter ista corporalia opera & publica, fecerit alia multa spiritualia & sublimia in secreto: ac imprimìs, quoties labore fessus in pauperculum suum cubiculum rediens, totas subinde noctes pro salute nostra in oratione impenderit: quoties multas horas in rebus cœlestibus Matri Patriq; explicandis impenderit: quoties per diem labores, orandi causâ, petita à parentibus facultate, interruperit: quoties memor inobedientiæ parentum primorum, ingratitudinis hominum, & perditionis tot animarum cum lachrymis animam suam crucifixerit, ut iram Dei placaret, & salutem nobis impetraret. 2. Considera quod Beatus Lucas addit: *Christum cum ætate crevisse in sapientia & gratiâ apud Deum & homines*: ut discas, si verè Christum imitari velis, te debere operam dare, ut nullum vitæ tempus sinè fructu

abire permittas, proficiendo de virtute in virtutem, tum apud Deum per obſervationem divinorum præceptorum, tum apud homines per exempla bonorum operum.

MEDITATIO IV.

De prædicatione Joannis Baptiſtæ, Math. 3. Marci 1. Luc. 3.

I. *JOannes Baptiſta habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos: eſca autem ejus erat locuſta & mel ſylveſtre in deſerto.* Conſidera Joannem adhuc puerum ingreſſum deſertum, ibique uſque ad trigeſimum ætatis annum in ſumma auſteritate vixiſſe: ut diſcas in vita ſemel piè inchoata perſeverare, etiamſi moleſtiæ nonnullæ occurrant. 2. Conſidera ſi S. Joannes in utero matris ſanctificatus, quô inter natos mulierum major nullus fuit, teſte Chriſto Math. 14. tam ſeverè tractavit corpus ſuum; quid nobis, qui peccatis & imperfectionibûs pleni ſumus, faciendum ſit.

II. *Ex deſerto autem digreſſus, circa Jordanem prædicavit Baptiſmum, dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Conſidera, Deum evocâſſe Joannem ex deſerto ad prædicationis officium, tum ut oſtenderet perfectionem vitæ Chriſtianæ, non in ſola contemplatione, quâ noſtræ ſaluti ſtudemus, ſed etiam in actione, quâ ſaluti aliorum operam damus, conſiſtere: tum ut intelligeremus eos, quibus incumbit munus alios docendi, debere eſſe amicos pœnitentiæ, orationis & contemptûs mundi, ut quod docent verbô, teſtentur vitæ exemplô. 2. Conſidera quis ſcopus, quod argumentum debeat eſſe prædicatori vel doctori aliorum, nempe ut homines adducat ad pœnitentiam, id

id eſt ad contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem pro ſuis peccatis. Et quia arduum id & durum videri poſſet, mollivit S. Joannes hoc initium prædicationis dulcedine maximi præmii, nempe Regni Cœlorum appropinquantis: ut diſcas & tu inculcare hominibus magnitudinem mercedis futuræ, ſi pœnitentiam amplexi fuerint.

III. *Tunc exibat ad eum omnis Judæa, & baptizabantur ab eo confitentes peccata ſua, illisque dicebat: Ego quidem aquâ baptizo vos. Veniet autem fortior me, cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti, qui baptizabit Spiritu Sancto & igni.* Conſidera quantam auctoritatem ſibi conciliârit, ſola vitæ ſanctitate B. Joannes, non ſolùm apud imperitum populum, ſed etiam apud Principes, Scribas & Phariſæos, ſic ut turmatim ad eum audiendum convolarent: imò etiam ſuſpicarentur eſſe ipſum Meſſiam in Lege promiſſum. Unde & conſecutum eſt, ut facilè eos ad patefacienda publicè peccata, & ſuſcipiendum novum baptiſmi ritum adduxerit. 2. Conſidera humilitatem Joannis, qui cùm tantum nomen Sanctitatis obtinuiſſet, tamen non ſe effert, non prædicat, ſed ut Chriſtum extollat, ejuſque patefaciat Divinitatem, ſe pedibus ejus ſubmittit. Nimirùm probè norat ad veram Sanctitatem imprimìs pertinere, honores, & magnam hominis exiſtimationem contemnere, & ſe omnibus propter Chriſtum ſubjicere.

MEDITATO V.

De baptiſmo Chriſti. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3,

1. JESUS *venit à Nazareth Galilææ in Jordanem ad Joannem ut baptizaretur ab eo.* Conſidera Filium Dei, ſimul atque parentibus & mundo valedixit,

xit, incedere solùm, sinè sociis, (qui tamen habere poterat in comitatu multa Angelorum millia) miscere se turbæ publicanorum & peccatorum, atque si unus esset de populo, subjicere se Joannis magisterio, ut ab eo baptizetur in pœnitentiam & remissionem peccatorum: cùm ille prorsus esset peccati expers, nec pœnitentia egeret, imò esset magister omnium, qui solus baptizaret in Spiritu Sancto. Nos autem, licèt peccatis pleni, volumus videri gloria & honore digni, aliisque imperare. 2. Considera, Christum numquam se in actionibus suis exhibuisse vel ostentasse, tamquam eximium & singularem hominem, sed cæteris similem: unde voluit more aliorum circumcidi, in Temlo præsentari, & nunc à Joanne baptizari: ut discas in omnibus etiam spiritualibus te aliis accomodare, nec peculiaria privilegia tibi vendicare ob doctrinam, sapientiam, opus, industriam.

II. *Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Et respondit* JESUS: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Considera, quantus stupor invaserit humilem Joannem, cùm videret hôc modô Salvatorem mundi venientem ad se: Cogita quomodò magno spiritu ei occurrens, se statim ad pedes ejus abjecerit, dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Absit, absit, ut ego audiam te baptizare, creatura vilis Creatorem, homo Deum.* 2. Considera quomodò vicissim Christus humiliarit se coram Joanne, quomodò ambo non de prærogativa honoris, utì nos, sed humilitatis & abjectionis contenderint. 3. Considera Christum complementum justitiæ vocare, si submittat se Joanni, hoc est Creator creaturæ; quæ ergo erit justitia nostra, dum non solùm contemnimus inferi-

ores,

ores, sed etiam ægrè submittimus nos æqualibus aut superioribus?

III. *Christus à Joanne baptizatus mox ascendit de aqua, eoque orante apertum est cælum, & Spriritus sanctus in specie columbæ descendit in ipsum, & vox audita est: Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Considera quomodò Rex Angelorum non reformidat se in conspectu hominum vestibûs spoliare, & aquam intrare, obstupescentibûs Angelîs, & vestes sublevantibûs. Deinde, quàm trepidè Joannes sequatur, & aquâ caput Christi devotè perfundat. 2. Considera propter hanc ineffabilem Christi abjectionem ruptum cælum, effusos ex eo Angelos, ut nuditatem ejus operirent. Et quia homines non capiunt tantam humilitatem, voluit Deus declarare voce cælitûs missa, hanc virtutem esse, quâ sibi maximè complacuit in Christo. 3. Considera descensu columbæ indicari, Spiritum sanctum illabi illis qui proprietates habent columbæ. Nam velut illa utitur gemitu pro cantu,non ferit rostro,caret felle, nõ habet ungues recurvos,& educat pullos alienos æquè ac proprios; sic homo perfectus dolet de peccatis, famam nullius lædit, est iræ odiique expers, nil alienum usurpat, necessitatibus proximi æquè ac suis prospicit.

MEDITAIO VI.

De vocatione primorum quinque discipulorum. Joan. 1.

1. *ALtera-die stabat Joannes, & ex discipulis ejus duo: Et respiciens* JEsum *ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei.* Considera Christum venisse ad servum suum Joannem Baptistam: 1. ut eum honoraret: 2. ut testem sui adventûs eum acciperet: 3. ut aliquos ejus discipulos ad Apostolatum vocaret. Unde Joannes

annes demonſtrando illis Chriſtum mentibus, eorum tantam impreſſit dignitatem Salvatoris, ut eis perſvaſerit Chriſtum ſequendum. 2. Conſidera quòd Joannes 1. ſteterit: 2. reſpexerit JESUM ambulantem, 3. dixerit, *Ecce Agnus Dei.* Unde diſce, ſi alios docere velis, 1. debere eſſe conſtantem in doctrina & vitæ exemplo: 2. debere diligenter totum vitæ Chriſti progreſſum expendere: 3. hanc Chriſti vitam aliis imitandam proponere.

II. JESUS *converſus, videns duos diſcipulos ſequentes ſe, dixit: Quem quæritis? Tum illi: Rabbi, ubi habitas?* Et JESUS: *Venite & videte.* Conſidera Chriſtum ſtatim convertiſſe oculos in eos, qui ſe ſequuntur: ut diſcant qui relictô mundô, Chriſtum ſecuti ſunt, ob virium ſuarum imbecillitatem, aut vitæ initæ aſperitatem, non animum deſpondere: nam talibus Chriſtus miſericordiæ ſuæ reſpectu addit animum & fiduciam, vireſque ſuperditat. 2. Conſidera hos duos diſcipulos, impendente licèt veſpera, comitatos Chriſtum, illoſque ab eo benignè receptos: ut diſcas nullum tempus eſſe, quò non poſſimus facere bene, Deoque ſervire. Qui in juventute non comitatus eſt Chriſtum, ſaltèm comitetur in ſenectute, ætatis veſpera.

III. *Venerunt & viderunt ubi maneret, & apud eum manſerunt die illo, hora autem erat quasi decima.* Conſidera, quantò Dominus promptior ſit ad dandum, quàm nos ſimus ad petendum. Nam cùm Dominum non aliud ſciſcitati eſſent, quàm ubi habitaret, ut poſtea eum invenire poſſent, is non fuit tam exigua petitione contentus; ſed invitavit eos, ut ſecum pergerent, & ſi vellent, unà pernoctarent. Rectè autem dicit Evangeliſta, diſcipulos illos tota die apud eum manſiſſe; neque enim

enim nox esse poterat, ubi erat Christus, verus Sol justitiæ & lux mundi. O quàm suavia illius clarissimæ noctis fuerunt colloquia! 2. Considera, sicut discipuli illi experientiâ probarunt, quàm jucundum fuerit toto die commorari cum Christo eumque loquentem audire: ità Religiosos, qui summa spiritus voluptate fruuntur in sua Religione, solos capere quantum bonum sit servire Deo.

II. PARS.

I. *Duorum illorum unus erat Andræas, qui invento Simoni fratri mox dixit: Invenimus Messiam. Et adduxit eum ad* JESUM. Considera Andræam statim post inventum Messiam, thesaurum absconditum, spiritu Apostolico communicare fratri suo, ut nempe qui sanguine dudum sibi junctus esset, etiam fide & religionis studio jungeretur, & ideo rectè ait se invenisse Christum, quia hoc est invenire Christum amore ejus accendi, curandæ etiam proximi saluti incumbere. 2. Considera quàm alius longè sit spiritus hujus sæculi, quòd omnibus modis laborat, ut sanguine junctos & cognatos abstrahat à studio perfectionis, & Christo, in abrenunciatione omnium rerum sectanda.

II. *Intuitus Simonem* JESUS *dixit: Tu vocaberis Cephas vel Petrus. Deinde invenit & Philippum: dixitque ei* JESUS, *Sequere me. Philippus autem invenit Nathanaël, & dixit: Invenimus* JESUM *filium Joseph à Nazareth. Tum ille: A Nazareth potest aliquid boni esse?* Considera mirabilem Dei providentiam, quòd cùm Andræas prior vocatus fuerit, & immediate à Deo, Petrus verò posteriùs & per hominem; tamen Christus eum indicet Ecclesiæ fundamentum futurum. 2. Considera proprium eorum qui ad sequen-

quendum Christum adducuntur, esse munus, ut & alios adducant, hoc est bonum suum non sibi solis usurpent, sed liberaliter aliis communicent. 3. Considera, voce Nazareth Hebraïcè significari sanctificatam, separatam, custoditam & floridam: itaque non posse non aliquid boni ab illa manare. Si enim sanctificatus & in gratia Dei sis, omnia opera tua sunt meritoria; si separatus à mundo, sanctus redderis corpore & spiritu. Si sensuum portas sedulò custodieris, non facilè ab hoste expugnaberis: si denique floridus, non potes non bonum odorem piæ vitæ exemplô expirare.

III. *Vidit* JESUS *Nathanaël venientem ad se dicens: Ecce verè Israëlita in quo dolus non est. Tum ille: Undè me nosti? Cùm esses sub ficu, inquit, vidi te. Tum ille: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël.* Considera eos Deo charissimos esse, & verè Israëlitas, id est perfectos Christianos, qui ab omnibus dolis & fraudibus sunt alieni. Unde & Christus Apostolis hanc virtutem commendavit, dicens: *Estote simplices sicut Columbæ*, Matth. 10. Et in canonizatione Sanctorum hæc imprimis virtus commendatur. 2. Considera Nathanaëlem, licèt Apostolica hac virtute præditus esset, tamen in numerum Apostolorum non esse ascitum, quia Christus voluit converti mundum, & humanam confundi sapientiam per homines rudes & idiotas, quo constaret non humana, sed divina virtute Christianam Religionem persuasam mundo. Nathanaël autem erat homo eruditus, & Legis Doctor. 3. Considera doctrinâ adjutum Nathanaëlem, ut citiùs adverteret Christum secum loquentem, esse Messiam, quia videbat duo illa abditissima, quæ de ipso prodidit Christus, non potuisse scire nisi à Deo.

ME-

MEDITATIO VII.

De principio prædicationis Christi. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4.

I. JESUS *relicta civitate Nazareth, venit in civitatem Capharnaum, Galilææ metropolim.* Considera cur JESUS patriam suam deserat, nempe ut doceret, si liberè velimus aliis annuntiare veritatem, & debere exuere nos omnem inordinatum erga parentes & cognatos affectum: 2. deinde munere prædicandi fungi, ubi spes est uberioris fructûs, ùt erat in alia urbe populosa: 3. ut traderet modum in persecutione servandum, ut scilicet non temerè nos periculis exponamus, sed fugiamus cum Christo, qui in patria non erat receptus. 2. Considera JESUM non inchoasse prædicationem Hierosolymis apud Principes, sed etiam pauperes Galilæos: ut doceret non esse ambiendas cathedras celebres, sed unum animarum fructum expectandum. Unde & tot millia de populo eum sequebantur.

II. *Exinde cœpit* JESUS *prædicare, quoniam appropinquavit Regnum Dei: Pœnitemini, & credite Evangelio. Et fama exiit de illo per totam regionem.* Considera causam cur Christus non cœperit prædicare: nisi Joanne Baptista in carcerem conjecto: nempe nè occasionem daret schismati vel dissensioni populari: deinde ut exemplum humilitatis daret peccatoribus, ut facilè cedant, non solùm superioribus, sed etiam paribus & inferioribus in munere prædicandi. 2. A pœnitentia exorsus est, sicut Joannes, tùm ut ejus doctrinam confirmaret, tum ut doceret nos non aspernari aliorum qui nos præcesserunt, si bona sit, doctrinam. Ad hæc ut ostenderet primam & auream clavem quâ peccatoribus

aperiatur Regnum cœlorum, esse pœnitentiam, hoc est dolorem de peccatis vitæ anteactæ, confessionem eorumdem, & satisfactionem per bona opera: Hîc enim pœnitentiâ Regnum cælorum, quod propter peccata longissimè à nobis recessit, rursum nobis appropinquat, modò vera fides Catholica à pœnitentia non absit.

III. *Et circuibat totam Galilæam, docens in Synagogis, & sanans omnem languorem, & secutæ sunt eum multæ turbæ magnificantes eum.* Considera hìc in Christo, velut in speculo, formam boni Prælati & Prædicatoris: Primò enim debet circuire, id est omnem ignaviam excutere, & subditos invisere, cognoscereque, num omnes rectè credant & vivant. 2. circuire Galilæam, in qua erant Gentiles mixti Judæis, pauci divites, multi pauperes, id est omnes promiscuè Christo lucrifacere hæreticos, malos Christianos & inopes: 3. docere in Synagogis, tradere doctrinam Christianam in scholis & Templis: 4. adjumento esse, non solùm in rebus spiritualibus, sed etiam in corporalibus: 5. doctrinam tradere non curiosam, sed animabus salutarem, & communi omnium Christianorum consensu approbatam: 6. doctrinam verbis traditam stabilire exemplô.

MEDITATIO VIII.

Nazareni Christum voluêre præcipitare. Matth. 13. Marc. 6. Luc. 4.

I. JESUS *ingressus Synagogam in patria sua, explicatô locô Isaiæ plicuit Librum dicens: Hodie impleta est hæc Scriptura.* Considera JESUM noluisse initium prædicationis & miraculorum facere in patria Nazareth, nè videretur ad id potius humano in popula-

pulares affectu, quàm puro animarum zelô permotus. Noluisse tamen omnia illis præsidia subtrahere: tum quòd Lege quadam Naturæ dilectionisque ad id esset obligatus, tum quòd officium ejus esset omnes ad salutem vocare. 2. Considera eum post quædam ex Isaia lecta plicuisse Librum, ut indicaret non omnia omnibus promiscuè prædicanda, sed habendam rationem capacitatis auditorum. Deinde non dixisse ea de se scripta, sed tunc esse completa, ut indicaret, quàm modestè de rebus ad laudem vel honorem nostrum pertinentibus loqui debeamus.

II. *Et omnes mirabantur ejus doctrinam, dicentes: Unde huic sapientia? Nonne is est faber filius Mariæ? Et scandalizabantur in eo.* Considera stultos Nazarenos indignari Christo ob parentelæ humilitatem, atque si homo sapiens, & miraculorum patrator non possit nasci ex humili prosapia, cùm & David tot Regum radix & Moyses ex humili pastorum stirpe orti sint. Deinde rectè Christum ab iis dici fabrum, vel filium fabri, quia filius erat fabri illius magni, qui fabricavit totum orbem terrarum. 2. Considera, cur cùm Nazareni petierint etiam signum aliquod exhiberi in patria sua à Christo, sicut fecerat in Capharnaum, tamen non fecerit: nempe quia ex vanitate petierant, nè ipsorum civitas videretur contempta præ aliis: deinde, quia cùm esset Sanctus Sanctorum, & alii Christi parentes apud eos nati; tamen, velut ingrati, tantum beneficium nihil fecerunt, & unde moveri debuerant, ut Christum magnifacerent, nempe ex doctrina admiranda & miraculis, inde ansam arripuerunt eum calumniandi. Sed mirum non est Nazareth non cognovisse

viſſe ſuum Chriſtum, cùm nec mundus, teſte ſancto Joanne cap. 1. cognôrit.

III. JESUS *dixit eis: Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Et repleti irâ ejecerunt eum urbe, & in montẽ duxêre præcipitandum: ipſe autem per medium illorum ibat.* Conſidera Chriſtum non celare veritatem Nazarenos, etiamſi ſciat illos ægrè laturos, quia magnô beneficiô afficimur, dum nobis noſtri defectus & imperfectiones patefiunt, licèt illud non agnoſcamus. Nazarenos autẽ qui Chriſto ideo mortem intentârunt, imitantur omnes illi, qui concionatores & doctores veritati patrocinantes perſequuntur. 2. Conſidera Chriſtum præcipitare ſe conantibus non reſtitiſſe; ſed quietè per medium illorum tranſiiſſe: ut diſcamus injurias nobis illatas diſſimulare, & aliorum malignitatem patientiâ vincere.

MEDITATIO IX.

De electione duodecim Apoſtolorum. Marc. 3. Luc. 6

1. CUm JESUS *in oratione pernoctâſſet in monte, vocavit ad ſe diſcipulos, & ex iis elegit duodecim, quos & Apoſtolos nominavit.* Conſidera Chriſtum digreſſum à ſuis in ſolitarium locum, prædicandi cauſâ, totamque noctem in precibus conſumpſiſſe, non quòd ipſe indigeret hac præparatione ad electionem Apoſtolorum; ſed ut nos doceret exemplô ſuô, cùm pro rebus magnis feriò orandum eſt, ut digrediamur ab hominum turba, & in oratione perſeveremus. 2. Conſidera in monte electos Apoſtolos: ut intelligerent qui aliis præeſſe, eoſque docere volunt, debere rerum cæleſtium ſcientia & vitæ ſanctitate aliis præeminere & alieniſſimos eſſe à cupiditate rerum terrenarum, opum, honorum

&

& voluptatum hujus mundi. 3. Considera vocatos esse Apostolos, id est missos, nuncios, tabellarios, ut nomine ipso admonerentur humilitatis & obedientiæ, ac cogitarent quicquid essent, quicquid possent, se non suis viribûs, suâ sapientiâ suoque meritô, sed solâ gratiâ Dei & voluntate adjutos præstare.

II. *Et præcepit eis, nè in via tollerent virgam, peram, panem, æs, nec duas tunicas haberent, & irent calceati sandaliis.* Considera quomodò mittat Apostolos prædicatum, instar pauperum viatorum, prohibens nè secum ferrent quicquam supervacaneum, sed tantùm necessaria: quò omni cura terrena soluti, liberiùs invigilarent officio prædicationis. Incedebant quidem pannosi, sed caritate egregiè vestiti; vacui nummîs, divina autem virtute pleni; destituti adminiculô baculi, sed firmâ fiduciâ nixi, atque ità conveniebat, ut qui aliis prædicaturi erant de contemptu mundi, ipsi jam antè eum contempsissent. 2. Considera, si sis Religiosus, quomodò Christus eorum quos in Apostolos assumpsit, virtutem probârit: ut non mireris in Religionis ingressu unum vel plures annos probationis institutos, quibûs solent tyrones in humilibus quibusque officiis exerceri, quo solidum fundamentum perfectionis Christianæ in humilitate jaciant. Sicut enim habitus virtutum non acquiruntur nisì crebrîs actibûs, teste Philosopho, ità *humilitas religiosa non acquiritur nisi crebrô & diuturnô exercitiô humiliationis*, ùt ait sanctus Bernardus epist. 87.

III. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ: cavete autem ab hominibus.* Considera, etiamsi terrere potuerit Apostolos talis missio, quâ præda fierent

lupis: tamen contrà magno solatio illis fuisse, quòd mitterentur ab eo, qui non modò defenderet eos à lupis, sed etiam virtutem dedisset convertendi immanes lupos in mansvetos agnos. Monet verò eos ut ex parte sua sint prudentes ùt serpentes, qui ad voces incantantium aures occludunt, hoc est, nè sinant se decipi hostium blanditiis; & ad caput tuendum exponunt totum corpus, id est, ut sinant potius totum corpus discerpi, quàm fidem & salutem animæ eripi. Deinde monet ut simplices sint sicut columbæ, hoc est, patientes, & malum malo non reddant, sed potius bonum. 2. Considera, quòd monet cavendum esse ab hominibus, hoc est, prospiciendum cum quibus agant, quia sæpè inimici domestici ejus, & nonnumquam homo nequam malitiam cujusvis ferocis bestiæ, imò & dæmonis superat, Matth. 10. tum quia lædit eum etiam, à quo nullô modô est læsus, sed beneficiis affectus, tum quia nocet etiam justis & innocentibus, quos dæmon accedere non audet.

MEDITATIO X.

De Lunatico sanato. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9.

1. *CHristo de monte Thabor descendenti quidam genibus provolutus obtulit filium lunaticum, quem spiritus allidebat, dicens, Discipulos non potuisse illum ejicere.* Considera Christum post tantam Transfigurationis gloriam non dedignatum iterum conversari cum simplici turba, ægris & energumenis curationis causâ adductis: ut discamus, etiamsi excellamus magnis naturæ & gratiæ donis, demittere nos etiam ad informandos homines rudes & pauperes, imò & peccatores, ac quotquot infirmi sunt spiritu. 2. Considera tunc nos esse lunaticos, cùm variis animi

mi perturbationibûs nos agitari finimus, easque non domamus, ac ità Deo non solùm, sed hominibus etiam reddimus exosos, ac tandem eò pervenimus, ut nec discipulorum Christi, hoc est, præceptorum & patrum spiritualium monita audiamus.

II. *Cùm vidisset eum* JESUS, *statim à spiritu elisus in terram spumabat. Tum pater: Si quid potes, adjuva nos. Et* JESUS. *Si potes credere, omnia sunt possibilia credenti. Tum illi: Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Et* JESUS *jussit spiritum exire nec regredi.* Considera hominem non solere tentationibûs agitari, quando vitam solutam ducit secundùm voluntatem dæmonis, sed dum conatur se ab ejus imperio abducere, & ad Christum per vitam piam redire. Unde Sapiens Eccl. 2. dixit: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* 2. Considera, quòd dæmon miserum hunc adolescentem primò dejecerit in terram, tum variîs modîs afflixerit: Hoc enim præcipuum dæmonis munus est, ut hominem per peccatum etiam unicum lethale in terram dejiciat: nam semel prolapsum, facilè deinde in alia præcipitat. 3. Considera Christum mandâsse dæmoni, non modò ut exiret, sed etiam nè rediret: ut indicet peccatorem tum perfectè resipiscere, quando non solùm pristina peccata deserit, verùm etiam in eadem non relabitur: unde qui facilè redeunt ad vomitum, declarant se non habuisse perfectam contritionem.

III. JESUS *tenens manum elevavit sanatum, & surrexit. Discipulis autem secretò rogantibus, cur non potuissent ejicere spiritum, respondit: Propter incredulitatem vestram, & quia hoc genus oratione & jejuniô tantùm ejici queat.* Considera sanatum manu elevatum: ut

intelligeret peccator in manu sua quidem esse labi & peccare; sed non itèm surgere à peccato, si absit Dei gratia: Deinde ut sciret se postquam peccata evomuit, non debere otiari, sed in sanctis operibus se exercere. 2. Considera Christum non reprehendisse palàm, sed secretò discipulos suos: cùm enim essent futuri aliorum magistri, non conveniebat eorum imperfectiones populo esse notas: unde discimus, opportuno tempore & loco arguendas esse quasdam personas, & non semper publicè. 3. Considera, quoniam non potuit spiritus ille fugari, nisi alacriorî remediô orationis & jejunii, nonnumquam ad extirpanda quædam vitia, ùt quæ sunt consvetudine corroborata, opus esse asperioribus pœnitentiæ remediis, ùt jejuniis crebris, ciliciis, disciplinis, confessione & communione.

MEDITATO XI.

De adolescente divite. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

1. *CHristus adolescenti roganti ut posset salvari, respondit: Serva mandata. Cùm autem addidisset, si vellet perfectus esse, bona sua daret pauperibus, abiit tristis.* Considera Christum. 1. juveni recitâsse præcepta tabulæ: 2. deinde consilia: ut doceret nos, si ad perfectionem vitæ Christianæ contendamus, opus esse ut priùs nos exerceamus in operibus ad caritatē proximi spectantibus, quæ sunt propria vitæ activæ: Deinde, ut intelligeremus nos non esse semper securos de salute, si præcepta servemus, quæ juvenis ille servârat, & ideo contendere debere ad majorem perfectionem, ac longiùs in cursu virtutis progredi, exemplô sagittariorum, qui ut scopum valdè remotum attingant, arcum paulò altiùs attollunt. 2. Considera, hunc juvenem, licèt magnô desideriô sa-

salutis teneretur (nam flexîs genibûs petiit instrui) tamen ubi de opibus deserendis mentio facta est, resiliisse: id enim multis aliis piis & devotis contingit, qui ubi prosperè illis omnia fluunt, nec quicquam adversi in honore & corporis commodis patiuntur, strenuè Deo serviunt: at ubi pati aliquid cœperint, ab amore proprio victi, languescunt.

II. *Tunc* JESUS: *Quàm difficile est divitem introire in Regnum Dei! facilius est camelum per foramen acûs transire. Tum discipuli: Quis ergo poterit salvus esse? Et Christus: Impossibile est apud homines, sed non apud Deum.* Considera mirandam hominum cæcitatem, qui cùm sciant non à Salomone, sed ab æterna Dei sapientia hanc prolatam de divite sententiam, inhiando opibus, in tam apertum salutis discrimen se conjiciant. De divite epulone, certè Scriptura nullam aliam damnationis affert causam, quàm quòd habuerit multa bona in vita sua: *Fili*, ait Abraham, *recordare quia recepisti multa bona in vita tua, & ideo nunc cruciaris*, Luc. 16. 2. Considera cur Christus dicat impossibile esse apud homines, ut dives salvetur, nempe quia generatim loquendo *omnes homines avaritiæ ferè student à minore usque ad majorem*, ùt Prophetæ Isa. 56. & Jer. 6. loquuntur, & ùt loquitur Apostolus Philipp. 1. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ* JEsu *Christi.* Deinde, quia qui *volunt divites fieri*, eodem teste Tim. 6. *incidunt in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Apud Deum autem possunt salvi fieri, qui divinâ gratiâ muniti non student avaritiæ, & amicos faciunt de mammona iniquitatis pauperes.

III. *Et Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? Cui Christus: Sedebitis mecum super se-*

des duodecim judicantes tribus Israël, imò quotquot reliquerunt omnia propter me, centuplum accipient hìc, & posteà vitam æternam. Considera cur cùm Petrus & alii Apostoli tam pauca reliquerint, nempe pauperes piscatores, tamen tam magnificum præmium Christus illis promittit: nempe quia non solùm facultates suas, parentes, amicos & patriam reliquerant propter Regnum Dei, sed etiam affectum ad illa, ac cupiditatem plura habendi: deindè reliquerant seipsos suamque voluntatem, eam subjicientes alterius voluntati & obedientiæ. Et ideo voluit Dominus eos quoque esse de mercede securos, ut quòd in die Judicii essent secum futuri Judices totius mundi. 2. Considera, quàm conveniens fuerit eos esse aliorum Judices, qui tam boni fuerunt Judices suiipsius, & verorum bonorum, ut qui scirent paupertatem opibus, crucem voluptatibus sæculi anteponendam, maximè autem debebant esse Judices tribuum Israël, id est iniquorum Judicum in Judæa, à quibus Apostoli erant injustè flagellati, & omni dedecore affecti. 3. Considera secundum responsum Christi in omnes fideles quadrans, esse illud, qúod toti mundo persvasit contemptum mundi, quod complevit Monachis deserta & Monasteria, quod omnes docuit vim inferre sibi & Regno cælorum. Hi enim sunt, qui pro desertis voluptatibus sæculi centuplum illud quotidie experiuntur, id est, mille majores voluptates spirituales quàm mundani; pro uno patre, matre, fratre, domo deserta habent centum patres, matres, domos.

MEDITATIO XII.

De ficu arefacta. Matth. 21. Marc. 11.

1. CHristus manè è Bethania exiens esuriit, & conspecta ficu habente folia sinè fructibus (non enim erat tempus ficorum)

rùm) maledixit eam, & mox exaruit. Considera Dominum illum, qui in cœlo pascit omnes beatos spiritus, & in terra omni animæ viventi providet cibum in tempore, ideo manè esurire, quia nullô pridie sumptô cibô pernoctârat in oratione, pro cæcitate Judæorum & tua curanda sollicitus. 2. Considera eum fame compulsum adire ficum, si fortè ad sedandam famem in ea fructum reperiret, & quia nihil repererit, maledictam fuisse: ut discas tibi idem accidere posse, si solis bonorum desideriorum & propositorum parum firmorum foliis onustus inveniaris: quod fiet, si instar ficûs istius propinquus maneas viæ publicæ, id est, vitæ laxæ & mundanæ. 3. Cosidera cur cùm non fuerit tempus ficorum, tamen ficus maledicta sit, nempe quia ira Domini, non in illam arborem, sed in Synagogam Judæorum, & in omnes obstinatos in peccatis ferebatur, quibus semper tempus est faciendi fructus bonos pœnitentiæ. Hac fame cruciabatur Christus, ut Passionis suæ meritô videret obstinata corda nostra molliri & converti, simul judicans, si tantam gratiam repellamus, fore ut prorsus deseramur, sicut & Judæi verè deserti sunt.

II. *Et cùm veniret in Templum, accesserunt ad eum Principes Sacerdotum & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? Quibus respondit: Neque ego dicam vobis, in qua potestate hæc facio.* Considera 1. nemini fas esse à Deo, qui universorum est Dominus, quærere, Cur hæc aut ista facis? Numquid omnia in manu Domini, ùt lutum in manu figuli, qui possit, quidquid libuerit, effingere? Ità sanè graviter peccant, qui de divina Providentia obtrectant, identidem mussitantes, ecquid vel ista calamitas? ut quid nefarii illi terram occupant? 2. Considera,

ra Christum Judæis alia interrogatione ità respondisse, ut confusi ac muti remanserint: ut discas eos qui curiosas de Deo quæstiones solent proponere, fore ut in extremo Judicio Christo rationes exigenti respondere non valeant: *Ipsorum* enim *iniquitas oppilabit os suum.* Unde Job: *Si repentè interroget, quis respondebit ei?*

III. *Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodò continuò aruit?* Considera 1. Apostolos in alterum vitii extremum incidisse, eò quòd visô miraculô de ficulnea, illud duntaxat sunt admirati, cum Domino quærere cur hoc fecerit, debuissent, ut ex ipsius responsione fructum aliquem, puta de timendo obstinationis peccato, cujus typus erat ficulnea infructuosa, colligerent. 2. Considera in hoc esse imitatores Apostolorum eos, qui post auditum Concionatorem, stupefacti dicunt: Numquam sic locutus est homo de mediis emendandæ vitæ nequaquam percunctantes. Longè aliter sancti Joannis Baptistæ auditores, qui ipsius & verba & opera demirati, statim ipsum interpellârunt: *Quid ergo faciemus?* Itèm alter qui Christum prædicantem sic rogavit: *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?*

ME-

MEDITATIONES DE PASSIONE D. N. JESU CHRISTI.

ADMONITIO.

Quid singulis Meditationibus de Passione considerandum.

I. *QUis patitur?* Christus, Verbum, Sapientia Patris.
II. *Quid patitur?* spinas, verbera, sputa, crucem.
III. *Pro quibus hæc patitur?* pro nostra, omniumque salute.
IV. *Cur patitur?* semper nè patiatur homo.
V. *A quibus hæc patitur?* ab amica stirpe suorum.
VI. *Sed quando patitur?* quando fuit juvenis.
VII. *Hæc ubinam patitur?* medio telluris in orbe.
VIII. *Quomodo tanta tulit?* proferat ipse modum.

MEDITATIO I.

De lotione pedum. Joan. 13.

I. *CHristus ante institutionem Sacramenti, cœnâ factâ, sciens quia à Deo exivit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, ponit vestes, linteô se præcingit, mittit aquam in pelvim ad lavandos discipulorum pedes.* Considera 1. quis sit qui servile, omniumque vilissimum ministerium hoc eluendi sordidos pedes suscipiat; nempe Christus, qui à Deo exivit, qui est Filius Dei, Deus de Deo, Creator mundi. 2. quanta sedulitate solus, nullo juvante; ut abjectissimus servus id suscipiat, surgit à cœna, licèt rusticum videatur, tempore mensæ iisdem manibus tangere cibos & pe-

pedes ſordidos : abjicit ſummam veſtem, ut expeditior ſit, præcingit ſe, petit pelvim ab hoſpite, aquam quærit, fundit in pelvim, ipſe aquam apportat, ut omnes partes officii ſervilis expleret : ut diſcas viliſſima officia etiam perfectè ex humilitate complere.

II. *Venit ergo ad Simonem Petrum, qui dixit : Domine, tu mihi lavas pedes : non lavabis in æternum.* *Tum* JESUS : *Si non lavero, non habebis partem mecum. Et Petrus: Domine, non tantùm pedes ; ſed & manus & caput.* Conſidera quàm attoniti fuerint ſimplices diſcipuli, cùm viderent Dominum ſuum & Deum in cujus nomine omne genu flectitur, procidentem ad ſuos pedes : cùm viderent nunc ad hujus, nunc ad illius pedes prorepere, ſordes abluere, linteô extergere, & magno affectu oſculari, non dubium quin præ ſtupore conticuerint, & uberrimè lachrymârint. 2. Conſidera eum lotionem cœpiſſe à Juda : ut hôc exemplô eum ad pœnitentiam commoveret, & nos doceret, quomodò cum inimicis agendum ſit : imitatum exemplum Medicorum, qui dum plures ægros habent, incipiunt à maximè ægro. O rem ſtupendam! videre Deum Majeſtatis abjectum ad pedes ſui capitalis inimici, tam duri & obſtinati, ut nullam emiſerit lachrymulam. 3. Conſidera Petrum, qui ultimô locô ſedit, utì erat humillimus & ardentiſſimus, non potuiſſe ſe continere, & non ex alienatione, ſed ex mera reverentia ſurrexiſſe & exclamâſſe : *Tu Domine, Conditor cœli & terræ, quem aliàs confeſſus ſum Filium Dei vivi, mihi piſcatori conditione abjectiſſimo, mihi miſero peccatori & ſervo indigniſſimo, lavabis pedes ?* Quod enim ex reverentia ità locutus ſit : inde liquet, quòd ſtatim ſe totum lavan-

lavandum obtulerit, dum advertit, nî pareat se Deum offensurum.

III. *Lotis pedibûs* JESUS *dixit: Si ego Dominus & Magister lavi pedes vestros, & vos debetis mutuò vobis lavare. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, & vos faciatis.* Considera cur Christus laverit pedes, non ut sordes pedum ablueret (sordes enim pedum manuumvè non coinquinant animam) sed ut doceret 1. quomodò quis præparare se debeat ad Sanctam Eucharistiam, nempe aquîs lachrymarum & pœnitentiâ, ùt exponit S. Cyprianus, & sedulo totius conscientiæ examine, hoc est, à capite usque ad pedes. 2. ut exemplum humilitatis daret, in officio servorum vel ancillarum abjectissimo, nec nos puderet sive majoribus, sive minoribus aliquando servire: ut mutuas offensiunculas, quæ aliquando etiam inter pios & religiosos homines incidunt, libenter condonemus.

MEDITATIO II.

De institutione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ.

Math. 26. Marc. 14. Luc. 22.

1. *ACcepit* JESUS *panem, & gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis, dicens: Accipite & comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* Considera stupendum Deì erga nos amorem: dum enim Judas molitur proditionem, Principes Sacerdotum crucem & mortem parant: Christus sollicitus est, ut testamenti locò nobis relinquat pretiosissimam hæreditatem, non regnum, non opes, non honores, non scientiam, non aquam de petra, non manna de cælo, non Angelum vel Archangelum; sed seipsum, Deum & hominem, quô nihil præstantius esse vel excogitari

por-

poteſt: Et ſeipſum, non ùt Regem tantùm & Dominum, patrem, fratrem, ſponſum, advocatum, ſodalem, magiſtrum; ſed in cibum & potum, ut quàm arctiſſimè illi conjungeremur: & ſicut cibus in ſubſtantiam corporis noſtri, ſic nos corpore & anima transformaremur in ipſum, quô divinæ conſortes naturæ & Filii Dei efficeremur. 2. Conſidera Chriſtum accepto pane gratias agere Deo: ut ſcias, quando ſanctum hoc Sacramentum ſumis, priùs tibi agendas gratias pro tanto beneficio, & per preces animum ad Deum elevandum.

II. *Deinde accepto calice gratias egit, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Conſidera Chriſtum hoc myſterium inſtituiſſe, ut eſſet memoriale, & quaſi compendium omnium mirabilium operum ſuorum. Nam in aliis rebus unam aliquam proprietatem divinam: in hac autem oſtendit multas, ùt potentiam infinitam, mirabilem ſapientiam, & ineffabilem bonitatem. Potentiam, quòd ſub ſpecie panis & vini totus cum Corpore, Sanguine, Anima & Deitate contineatur. Sapientiam, quòd tam ſuavem & commodam rationem excogitârit ſe nobis uniendi, nempe per cibum & potum, quô nihil libentiùs ſumimus, frequentiùs, avidiùs: ut ſcilicet libenter, ſæpe & avidè ad Euchariſtiam accederemus. Bonitatem denique, quòd ſecum omnia bona ſpiritualia & vitam æternam donavit: *Qui manducat enim hunc panem* (ait Chriſtus) *vivet in æternum.* 2. Conſidera ſub ſpecie vini dari nobis totum Chriſtum, uti ſub ſpecie panis: ut recordaremur ſemper Paſſionis vel effuſionis Sanguinis Chriſti in Cruce, per vinum ſanctificatæ & Calicem: digniſſimè

enim

enim communicat, qui cum desiderio perfectè imitandi Christum, etiam in Passione, communicat.

III. *Dico vobis, quia non bibam modò de hoc genimine vitis, usque in diem illam cùm bibam novum in Regno Patris mei.* Considera id dictum à Christo, ut nos doceret convivium Eucharisticum in hac terra, esse pignus & arrhabonem convivii cœlestis alterius vitæ, in quo apponetur vinum præstantissimum & novum, mittendum in utres novos corporum immortalium & gloriosorum, quô omnes Beati ab ubertate Domûs Domini inebriabuntur, hoc est summô gaudiô in æternum fruentur, & omnium præteritarum ærumnarum & vanitatum hujus mundi oblivifcentur.

MEDITATIO III.

Christus proditorem inter cœnam indicat. Math. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 13.

1. JESUS turbatus est spiritu, & dixit: *Unus ex vobis me tradet, qui manducat mecum, & intingit manum in catino. Et contristati discipuli singuli, dicunt: Numquid ego sum Domine?* Considera miram Christi mansuetudinem, permittentis manum proditoris in eadem secum patena, & nè pudore eum afficeret, generatim tantùm admonentis. Turbari autem ex mera compassione, quòd vel unus suorum periret: tam enim angitur unius interitu ovis, quàm omnium: ut discas non prodere peccata aliena quando occulta sunt, vel minùs nota: deinde si superior sis, laborare nè vel unus pereat. 2. Considera quid egerit Christus, ut Judam à scelere revocaret, mensæ adhibuit, pedes lavit, allocutus est, clarè satis dixit se prodendum ab uno, qui manum secum ponat in catino, minatus est damnationem æ-

ternam : *Væ illi per quem Filius hominis tradetur.* Sed nihil juvit, quia cor ejus obduratum erat.

II. *Simon innuit Joanni ut exploraret, quis esset proditor : & JEsus ei recumbenti supra pectus suum, aperuit fore illum cui panem intinctum porrigeret. Quô porrectô, intravit in Judam Satanas : & continuò exivit. Erat autem nox.* Considera Judæ injectam priùs cogitationem de proditione, tum Satanam ipsum ingressum : ut discas primis dæmonis suggestionibus resistere, nè per consensum ingressus cor omnî illud gratiâ spoliet. 2. nè noctu & in abdito quicquam faciamus, quod non audemus facere coram omnibus : aut certè, si Religiosi simus, nullum etiam pium opus faciamus quod non patefactum velimus superioribus vel Patribus spiritualibus ; nam sæpe Satan transfigurat se in Angelum lucis. 3. Considera solum Joannem, quem diligebat JEsus ob singularem castimoniam, in pectore Christi recubuisse : ut discas te tum multorum donorum cœlestium capacem futurum, cùm purus mente & corpore fueris, ac sæpiùs non in sinu Christi recubueris, sed Christum ipsum ore & corde in Eucharistia sacra susceperis.

III. *Cùm exiisset Judas, dixit JEsus : Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, & continuò clarificabit eum.* Considera quàm dissimilia sint Dei & hominū judicia : homines enim claritatem in honoribus, opibus & rebus secundis hujus vitæ collocant : Deus autem in ludibriis, opprobriis, paupertate, afflictione & crucifixione contumeliosissima. Unde & Apostolus ait : *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* 2. Considera clarificatum Christum, quòd morte & Passione sua victoriam obtinuerit contra dæmonem, peccatum, mortem & infernum : ut

ut discas verè te gloriosum futurum, si humilitate, patientiâ, pœnitentiæ operibûs omnes tentationes dæmonis viceris, à consuetudine peccandi discesseris, ac tuas pravas cupiditates expugnâris: *Qui enim dominatur animo suo*, ait Sapiens, *est melior expugnatore urbium.*

MEDITATIO IV.

De itinere in hortum Gethsemani. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 18.

I. *EGressus* JESUS *cum discipulis trans torrentem Cedron venit in hortum Gethseman, & ait: Sedete hic donec vadam illuc, & orem.* Considera quanto cum desiderio & promptitudine iverit ad hortum, ut tandem opus Redemptionis, ad quod totâ vitâ tantopere anhelârat, inchoaret. Nam apud beatum Lucam dixerat: *Baptismô habeo baptizari & quemodò coarctor, usque dum perficiatur?* Anhelabat nimirùm primò voluntate sua: *Oblatus est* enim *quia voluit*: Volenti autem vel amanti nihil difficile. Deinde duplici igne amoris; unô in Patrem, qui illi mandârat ut pateretur; alterô in nos, ut pro nostra salute moreretur: *Majorem enim caritatem nemo habet, quàm ut animam suam quis ponat pro amicis suis.* Quantam ergo habuerit, qui posuit pro inimicis?

II. JESUS *assumptô Petrô, Jacobô & Joanne, cœpit mœstus esse, pavere & tædere, & ait: Tristis est anima mea usque ad mortem.* Considera Christum tristari cœpisse, non tam de pœnis suis sibi impendentibus, quàm de totius orbis peccatis: qui mœror tam vehemens fuit, ut solus ad mortem inferendam suffecerit: ut discas compati proximorum damno, & vicissim inania mundi gaudia pro amore Dei contemnere. 2. Considera, si quando tædium in actioni-

bus pietatis exercendis obrepat, non putemus idcirco eas spirituali fructu destitui; sed post tædium porrò progrediamur cum Christo, & mox solatium etiam Angelicum non deerit.

III. *Et avulsus est ab eis, ac progressus pusillum, quantum jactus est lapidis, positis genibus procidit in faciem suam super terram.* Considera quàm invitus relinquat suos: avulsio enim violentam abstractionem significat. 2. Nota orandi ritum: figit humi genua, quasi reus capitis ob scelera nostra projicit se in terram, velut immolandum pro nostra salute, & velut omnium mortalium indignissimum, ac verò dignissimum, qui omnium pedibus proteratur: unde discimus in tribulationibus primum ad Deum esse, omnibus impedimentis abjectis, recurrendum: deinde usurpandam sæpè hanc humillimam ceremoniam. 3. Considera quàm gravia fuerint peccata nostra, quæ humeris Christi imposita ità pondere suo illum in terram depressêre, ut non potuerint ampliùs.

MEDITATIO V.

De oratione Christi & agonia. Luc. 22.

I. *ORavit JESUS tertiò, & dixit: Abba, Pater, si possibile est, transfer hunc calicem à me: verumtamen, non mea, sed tua voluntas fiat.* Considera Christum cum multis lacrymis & clamore valido, ùt loquitur Apostolus, cum geminatione vocis, *Pater, Pater*, eamdem orationem iterâsse: ut discas quò major impendet afflictio, eò majori cum affectu & diutiùs orandum, idque conditione semper adjecta, si Deo ità placuerit. 2. Considera summam Christi resignationem in re gravissima: nam licèt maximè horreret futura tormenta & mortem, tamen in iis ferendis voluit paternam potiùs sequi voluntatem, quàm

quàm suam; & ità sequi voluit, ut etiam optâri sibi mandari totam passionem, quâ ex obedientia moreretur: ut discas in omnibus te conformare divinæ voluntati, & obedientiam maximi facere.

II. *Et surgens ab oratione bis, dum dormirent, dixit Simoni: Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum? Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Considera quantîs angustiîs prematur bonus JEsus. Orat Patrem, & silet; quærit à discipulis levamen, & dormiunt, & dormit eorum Princeps, qui paulò antè præ aliis gloriatus erat: *Etsi omnes scandalizati fuerint*, &c. Heu qualis hortus est hic Gethsemani! in aliis hortis sunt deliciæ, in hoc verò mœror & pavor. O quàm acerba sunt horti hujus poma! 2. Considera Christum abrumpere orationem, ut videret quid agerent discipuli, ut discas, si superior sis, vel aliorum curam geras, non ità tuæ saluti intendere, ut aliorum negligas: & si officio suo non faciant satis, liberè quidem, sed amanter corripias, simul infirmitatem eorum excusando, ùt hìc fecit Christus: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

III. *Et factus in agonia, sudore sanguineo decurrente in terram, prolixius orabat: & apparuit Angelus de cœlo, confortans eum.* Considera causam hujus sudoris: nimirùm eousque creverat desiderium patiendi pro nostra salute in Christi pectore, ut pretiosus ejus sanguis: qui ex timore mortis decurrerat ad cor, intùs bulliret; & quærens violentum exitum, tandem per poros & venas guttatim eruperit primùm in vestes, deinde per illas in terram. 2. Tantam vim sanguinis effusam, ut præ debilitate non potuerit se erigere: itaque accurrit Gabriel Archangelus, eumque è terra levavit. Vide hìc faciem Chri-

Christi deformatam ex pulvere sanguine mixto, capillos ex sanguine concretos, Gabrielem sedulò abstergentem omnia, eumque confortantem, ut in pedibus consistere posset. Hic orandi fervor, Domine, prorsus damnat meum langvorem & pigritiam, dum nè unam quidem lachrymulam in oratione mea exprimere valeo.

MEDITATIO VI.

De proditione Judæ. Math. 26. Marc. 14.

I. ORatione peracta, Christus discipulis dixit: *Dormite jam & requiescite: Sufficit, surgite, eamus: ecce qui me tradet, propè est.* Considera Christum, cognita voluntate Patris per Angelum, illico omnem metum abjecisse, conspectoq; hoste non quæsiisse latebras ùt mercenarium, sed ùt Pastorem bonum etiam obviam processisse. 2. Adverte verba Christi ad discipulos: Surgite, satis dormîstis: non permittit Judas vos ampliùs dormire, ruite in ultimos amplexus, quia jam moriendum est: Accede Petre, cui commisi meas claves: accede Joannes, & reliqui: solamini Matrem meam mœrore confectam. Vide quomodò eos amplexus benedictionem ultimam eis tribuat: nullam ampliùs daturus, qui manibûs ligandus. Cogita quantus omnium stupor & lachrymarum effusio hìc fuerit.

II. *Judas antecedens turbam gladiîs, fustibûsque armatam, appropinquavit JEsu, dicens: Ave Rabbi, & osculatus est eum. Dixitq; JEsus: Amice, ad quid venisti? Osculô filium hominis tradis?* Considera Judam Apostolum Domini, & qui miracula fecerat, hìc factum ducem ministrorum dæmonis: ut discas quàm gravis lapsus sit eorum, qui post magna à Deo accepta beneficia, vocationem suam vel pietatis cursum

sum semel inchoatum turpiter deserunt. 2. Considera quibûs modîs Christus pro sua immensa benignitate conetur Judæ pectus emolire: 1. benignitate, præbens osculum: 2. significatione benevolentiæ, vocans amicum: 3. correctione, quâ facti turpitudinem exponit, dicens: *Osculô filium hominis tradis?* ut discas, si tanto amore complexus est inimicum, quantô amplexurus sit amicos, qui toto corde eum quærunt eique serviunt: deinde ut discas, inimicis nihil unquam precari mali vel asperius loqui, sed quodam amoris affectu eis condolere.

III. *JEsus dixit turbæ, quem quæritis? Responderunt, JEsum Nazarenum. Dixit JEsus, Ego sum. Quô dictô, retrorsum corruerunt in terram. Et cùm secundò idem respondissent, ait: Si me quæritis, sinite hos abire.* Considera quàm dissimilis fuit primus Adam ab hoc secundo, idque in horto. Ille enim audita voce Divinæ justitiæ: *Adam, ubi es?* abscondit se: hic verò audita voce humanæ justitiæ manifestavit se, dicens: *Ego sum JEsus.* Sic enim amat salutem nostram, ut Nomen JEsus, id est Salvatoris, celare non potuerit. 2. Considera, si amabilis vox *Ego sum* tam formidabilis toti satanico exercitui cum Juda fuerit, ut supini in terram ruerint; quid in die Judicii futurum sit, quando in Majestate sua terribilem illam contra inimicos suos detonabit sententiam: *Discedite maledicti in ignem æternum.* 3. Nota mirum amorem Christi, quòd in tantis periculis, nec sinè suo incommodo, sollicitus est de discipulis, ut dimittantur.

MEDITATIO VII.

De captivitate Christi. Math. 28. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 18.

1. *TUnc accesserunt, & manus injecerunt in JEsum, & tenuerunt eum.* Considera quomodò viles & barbari nebulones in agnum innocentem cum ingenti clamore petulanter irruant, alii in capillos, alii in barbam, alii caput benedictum pugnîs, alii fustibûs cædant, alii brachia crassîs funibûs tam arctè stringant, ut sanguis erumpat è venis: alii catenam ferream in collum injiciant, omnes ùt rabidi canes insultent. O miserabile spectaculum! onustum videre catenîs & funibûs Creatorem cœli & terræ, qui solus nos à vinculis liberare potest: videre ligatas manus, tot miraculorum effectrices; tractari ùt latronem, qui omnium animas à morte æterna liberavit. 2. Cogita, Christum ligari, ut te peccatorem vinculîs solvat, & ex dæmonis laqueis expediat.

II. *Petrus abscidit auriculam servi summi Sacerdotis, quâ curatâ Christus dixit: Mitte gladium tuum in vaginam: calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Deinde ad turbam dixit: Tamquam ad latronem exiistis comprehendendum; sed hæc est potestas tenebrarum.* Considera 1. cur Petrus tam temerarius fuerit, nempe quia in oratione obdormiit. 2. benignitatem Christi bonum pro malo reddentis hosti, dum sanat auriculam Malchi. 3. studium obediendi: quid enim aliud est, *non vis ut bibam calicem*, quàm, vis, ut Patri non obediam? *Maluit* enim, inquit S. Bernardus, *perdere vitam quàm obedientiam.* 4. obstinationem Malchi & turbæ duplicî miraculô nihil motæ. 4. Considera rem indignam, nempe Christum seu

latro-

latronem tradi, non solùm in manus Judæorum, sed etiam Principis tenebrarum. Job quidem diabolo vexandus datus est, sed nè vitam tolleret: at JEsus sinè exceptione tartareæ potestati traditur, ut in famam & vitam ejus rabiem exerceant.

III. *Tunc discipuli omnes, relictô eô, fugerunt.* Considera his discipulis similes esse, qui tantisper serviunt Christo & pietati, dum res bene fluunt, ubi verò tentatio oritur & afflictio, ab instituto pietatis studio recedunt. 2. Considera eos in hanc tentationem incidisse, ut fugerent, quia consilio Christi non paruerunt, cùm præmoverit: *Orate, nè intretis in tentationem:* imò prædixerit eos fugituros, *Omnes scandalum*, inquiens, *patiemini in me ista nocte.* Unde discimus in magnis afflictionibus superandis non esse fidendum nostris viribus, sed ardenti orationi instandum. Nec enim pro se opus habuit oratione Christus, nè fugeret; sed ut nobis exemplum daret, doceretq; quanti sit facienda oratio.

MEDITATIO VIII.

De ductione Christi ad Annam. Joan. 18.

1. *ET adducunt JEsum ad Annam primùm, qui interrogavit JEsum de doctrina & discipulis. Et respondit: Interroga eos, qui audierunt, palam locutus sum in Templo & Synagoga omnia.* Considera quomodò rabidi illi ministri per vias invias, per spinas & sordes indignè raptent (utì ad domum Annæ pertrahant) innocentem hunc Agnum, quot injuriîs & verberibûs afficiant, ac subinde præ debilitate in terram relapsum, pugnîs & calcibûs exagitent, ut surgat. 2. Considera quomodò coram truci & fastuoso Pontifice, manibûs in terga revinctîs, oculîsq; humi dejectîs, astat is, cui omnis potestas data erat

in cœlo & in terra : quàmque modestè Annæ per calumniam doctrinam ejus examinanti respondeat : ut discas non tristari, si aliquando alii perversè de te loquantur & sentiant, modò tu nullius erroris conscius sis : deinde ut alienô potiùs testimoniô, quàm propriô, doctrinæ vel vitæ integritatem defendas.

II. *Hìs à Christo dictìs, unus assistens ministrorum dedit alapam JEsu, dicens : Sic respondes Pontifici?* Considera indignum facinus, quod cœlum horruit & terra obstupuit : percutitur Dominus à servo, Creator à creatura, Dominus universi à verme & luto, coram quo tremunt cœli & inferorum potestates. O Angeli cœlestes! cur tantam in Dominum vestrum injuriam non vindicatis? 2. Considera hanc alapam armata militis manu impactam Christo, tantâ vî, ut vestigia in vultu relinqueret, miraculumq; sit Christum, utì corpore tenerrimum, & jam sudore sanguineo & impotenti tractione fractum, non illico concidisse mortuum. Et interim Christus non aliud respondet, quàm

III. *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo : sin autem bene, quid me cædis?* Considera è contrario nos talî injuriâ affectos continuè de vindicta cogitare, cùm tamen minimè tam innoxii esse possimus, quàm JEsus. 2. Considera Dominum ideo respondisse huic vili nebuloni, quia fuit una ex gravissimis injuriis, quas passus est : nam postea graviter sæpe cæsus, imò crucifixus, nihil questus est, imò pro crucifixoribus suis oravit. 3. Considera hunc sensum responsi esse : Si malè locutus sum, ecce aliam maxillam, percute illam. Nam Jeremias ait : *Dedit percutienti se maxillam* : nec enim sibi satisfactionem fieri, honoremq; restitui petiit ; sed

ſed ut temerarium illum converteret, ad majora paratum ſe demonſtravit.

MEDITATIO IX.

Mittitur Christus ab Anna ad Caipham. Matth. 10. Marc. 14.

I. *TUnc duxerunt eum ad Caipham Principem Sacerdotum, ubi Scribæ, Seniores, & Phariſæi convenerant, ubi Chriſto tacente ad ſalſa teſtimonia, ait Caiphas: Adjuro te ut dicas ſi ſis Filius Dei. Et reſpondit: Ego ſum.* Conſidera cur taceat Chriſtus ad calumnias, nempe quia reſponſô digna non erant: 2. nè anſam daret obſtinatis hominibus graviùs peccandi: 3. ut doceret nos patienter ferre opprobria, maximè cùm conſcii non ſumus objectorum, & patienter tolerata reddant nos coram Deo meliores. 2. Conſidera cur non taceat ad adjurationem Caiphæ, cùm tamen ſciret ſe ex reſponſo graviora paſſurum: nempe ut doceret nos, ubi Dei honos agitur, non liceret nobis vel cum vitæ periculo, veritatis profeſſionem omittere.

II. *Dico vobis* (addit Chriſtus) *Videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei. Quô auditô, Caiphas, ſciſſa veſte ſua, ait: Blaſphemavit. Et omnes clamârunt reum eſſe mortis.* Conſidera hæc verba à Chriſto ſubjuncta: partìm ut clarior eſſet confeſſio ſuæ Divinitatis, ut ſenſus ſit: Etſi nunc me tam contemptum eſſe videatis, quàm Propheta prædixit: *Erit vultus ejus quaſi abſconditus & deſpectus*: tamen veniet olim dies, quô videbitis me Judicem vivorum & mortuorum ad dexteram Majeſtatis Dei ſedentem. Partim ut eos mentione noviſſimorum terreret, & à cœpto revocaret. 2. Conſidera patientiam Chriſti ad barbaram illam mortis ſententiam

tiam contra ipſum vitæ Auctorem. Mirùm eſt terram non ſe aperuiſſe, & omnes iſtos abſorpſiſſe. Unde diſce proprium eſſe mundi damnare eos, qui verum dicunt & inculpatè vivunt, noſtrumq; eſſe cum Chriſto non curare ejuſmodi clamores, etiamſi omnes contra nos inſaniant.

III. *Tunc qui tenebant JEſum, exſpuerunt in faciem ejus, & velaverunt, dicentes: Prophetiza, quis te percuſſit? Alii alapas in faciem dedêre, & alii blaſphemârunt.* Conſidera homines ſpuere volentes, ad ſordidiſſimos domûs angulos ſe convertere: ſcilicet impii illi ſordidius nihil æſtimârunt facie, in quam deſiderant Angeli proſpicere. 2. Conſidera iſtos non tot excogitare injurias, quin Chriſtus omnes cum ſilentio ferat, & plures ferre paratus ſit. Aſpice faciem Chriſti ex colaphis & alapis totam lividam inflatam & fœtidîs ſputîs conſpurcatam, impletumque illud Iſaiæ: *Et nos putavimus eum quasì leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.* 3. Conſidera quàm longè diſtemus à vita & moribus Chriſti: quippe, qui nè verbulum quidem contra honorem noſtrum dici feramus; & tamen Chriſtus voluit nos ſuos eſſe imitatores.

MEDITATIO X.

De trina negatione Petri. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 18.

I. *PEtrus foris, in atrio rogatus primò ab ancilla oſtiaria, tum ab aliis, an eſſet diſcipulus Chriſti; tertiò negavit ſe nôſſe hominem.* Conſidera quomodò in corde Petri certârit timor & amor: timor nempe mortis, & amor magiſtri ſui. Amor ſequi Chriſtum cogebat, timor ſe occultare cogebat: tantùm verò crevit timor, ut cederet amor, & ſic Chri-

ſtum

stum negavit. Ergo qui stat, videat, nè cadat: si enim vertex Apostolorum, cujus erat cæteros fratres confirmare, cecidit; quid aliis fiet? Si columna trepidat ad vocem vilis ancillulæ; quid faciet ad verba Principum? 2. Considera principiis obstandum, nè lapsus sequatur gravior. Petrus primò vanè gloriatus est se non scandalizandum, tum obdormivit contra consilium Domini in horto, hinc fugit, demum negavit ter Dominum, & quidem cum juramento & execratione.

II. *Et continuò gallus iterum cantavit: & conversus Dominus respexit Petrum.* Considera in quo mœrore & dolore animi fuerit Christus, dum vidit se à Juda venditum, à discipulis derelictum, & nunc tam turpiter à Principe omnium negari. Doluit procuidubiò plus de hac negatione, quàm de omnibus opprobriis suis & tormentis, dixitque: *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me.* Quid mirum si à sinistra inimicorum nemo Christum agnoscat, si à dextera Petrus negat? 2. Considera quomodò tandem gallo cantante, misericordiâ motus Dominus oculîs quæsiverit Petrum, quô inventô, sic eum tacitè oculi affati sint: Sic me, Petre, negas? ubi fides? ubi fidelitas? ubi tuus in me amor? ubi promissa magnifica de non me deserendo? Isti corpus satis torquent, tu animam pergis cruciare? Hæccine reddis Salvatori, qui te è vili piscatore constituit Principem populi.

III. *Et recordatus Petrus verbi JEsu, quod prædixerat de gallo, egressus foras flevit amare.* Considera, sicut nix ad intuitum Solis liquefieri solet, sic algens cor Petri ad intuitum Christi post galli cantum, in lachrymas liquescere cœpisse; & dixisse: *Domine, quid me vis facere?* Est nè adhuc spes veniæ

niæ poſt tam turpem lapſum ? Unde diſcamus nunquam deſpondere animum, quantumvìs in Religione etiam ſanctiſſima vivamus, & per fragilitatem in peccatum etiam grave incidamus, ſed oremus tantùm, ut Deus miſeriam noſtram reſpiciat. 2. Conſidera quamprimùm cogitatio de reſipiſcendo injecta eſt, ſtatim deſerenda eſſe loca, cœtusq; hominum, ubi occaſio eſt delinquendi, ſicut Petrus deſeruit ſtatim aulam Caiphæ, difficilè enim eſt inter improbos tueri probitatem. 3. Nota ad pœnitentiam veram requiri intimam cordis contritionem & perfuſionem lachrymarum. Certè S. Petrus dicitur, tantum callidarum effudiſſe lachrymarum, quoties galli cantum audiret, ut canales in maxillis ex guttis decurrentibus apparuerint.

MEDITATIO XI.

De ſuſpenſione Judæ. Math. 27. Marc. 15. Luc. 22.

1. *JUdas videns Chriſtum ad mortem condemnatum, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi, tradens ſanguinem juſtum.* Conſidera quòd homo, licèt in piorum cœtu ſit, ſi imperfectionibus initiô obſiſtere negligat, progrediatur, ut pudore ſcilicet abſterritus, pedem referre non velit; nota & dæmonis aſtum, qui faſcinat initiô oculos, nè turpitudo peccati appareat: pòſt verò ità turpitudinem exaggerat, ut deſperet. 2. Conſidera quantô pretiô venditus ſit Chriſtus, nempe triginta argenteîs, cùm multæ beſtiæ tam vilî pretiô non vendantur. O res ſtupenda! Homo emi debuit ſanguine Filii Dei, & Deus venditur triginta denariîs! Et quibus? inimicis crudeliſſimis. A quo? à proprio diſcipulo, fure, & ſuiipſius ſuſpenſore.

II,

II. *At Principes Sacerdotum dixerunt : Quid ad nos ? tu videris. Judas verò, projectìs argenteìs in Templo, abiens laqueô se suspendit.* Considera Petrum, commissò peccatô veniam meruisse, quia malorum consortium mox deseruit : Contra, Judam desperâsse, quia ad malos rediit : & hinc disce eos, qui in hominum gratiam Deum deserunt, sæpe etiam in hac vita ab ipsis deseri. 3. Considera malæ conscientiæ gravem carnificinam, utpote quæ nec confusionem, nec laqueum meruit. 4. Quàm malè perire soleant apostatæ, vel à fide vel religione. 5. Judam suspensum crepuisse medium, ùt est in actis, & viscera ejus diffusa, ut qui viscera charitatis amiserat, amitteret viscera sua, & qui multa possidere studuerat, etiam sua intestina perderet.

III. *Principes autem Sacerdotum, consiliô initô, emerunt illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Considera præposteram istorum religionem, qui non verentur pretiô sanguinis inficere gazophylacium, similes, qui gravem Dei offensam parvifaciunt, res autem parvi momenti, magni. 2. Considera Dominum noluisse pretium sanguinis suï in alium usum verti, nisì charitatis ùt in sepulturam peregrinorum : *Ipse* enim *est figulus, qui finxit mundum de nihilo*, inquit S. Hieronymus. Ager est mundus : sepultura est paccata conscientia, quam soli illi habent, qui peregrinos se agnoscunt in terra, & conversationem habent in cœlis.

MEDITATIO XII.

De missione Christi ad Pilatum. Luc. 23. Joan. 18.

I. *MAnè factô, adducunt JEsum à Caipha in Prætorium : & Judæi non introierunt, nè contaminarentur.*

tur. Confidera Dominum quâlibet horâ aliquid pati. A vefpera ufque manè, tota nocte vexatus : & rurfus à manè ufque ad vefperam. Horâ primâ accufatus, tertiâ damnatus, fextâ crucifixus, nonâ mortuus, ad vefperam fepultus, nec mirùm, quia nos quovis tempore novîs peccatîs & imperfectionibûs eum offendimus. 2. Confidera, fummo manè ad necem Domini feftinari : ingenium enim diaboli eft, præcipites homines agere ad malum, nè cunctando fententia mutetur. At contrà convenit nos veloces effe ad bonum, quia *nefcit tarda molimina*, inquit fanctus Ambrofius, *Spiritûs fancti gratia.*

II. *Exiit ergo Pilatus foras, rogans, Quam accufationem haberent. Et refponderunt : Si non effet hic malefactor, non tibi tradidiffemus eum.* Confidera Pilati humanitatem, qui cùm interpretari potuiffet fui contemptum, ad quem, ut immundum ingredi recufarent, ceffit tamen eorum fuperftitioni, melior nobîs, qui contempti contemptum reddimus, & à punctis honorum nos divelli nullîs precibûs patimur. 2. Confidera Chriftum, licèt apud varios Judices variè accufetur ; tamen fe neque defendere, nec excufare, ut indicet fe velle haberi malefactorem & reum, & tanquam reum fubire mortem : iniquitates enim noftras ipfe portavit, ipfe ùt verus peccator periculo maledictionis fe expofuit, ut nos hæredes faceret fuæ benedictionis. O charitas ineffabilis !

III. *Accufârunt autem eum dicentes : Hunc invenimus fubvertentem gentem noftram, & prohibentem tributa dari Cæfari, & dicentem fe Chriftum Regem effe.* Confidera, quoufque excæcârit Judæos odium & invidia, ut cùm nihil haberent accufatione dignum in Chri-

fto

sto, impudenter mentiantur coram suo Magistratu; sciebant enim eum & Regnum fugisse, & obedientiam docuisse, & tributum solvisse, & solvendum docuisse. 2. Expende, an sit subvertere gentem, cæcos, claudos, leprosos, aliosque ægros sanare, dæmones expellere, mortuos excitare, multa hominùm millia in necessitate pascere, meretrices & publicanos convertere, vitia arguere & virtutes prædicare, filios Israël, sicut gallina congregat pullos suos, ad pacem & concordiam convocare, omnium se facere servum, ut omnes faciat Regni cœlestis hæredes? Hinc disce non mirari, si facta à te optimè aliquando pessimè alii interpretentur.

MEDITATIO XIII.

De examinatione Pilati. Math. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joann. 18.

1. *Pilatus ingressus Prætorium, rogat JEsum: Tu es Rex Judæorum? Qui respondit: Regnum meum non est de hoc mundo. Tum ille: Ergo Rex es tu? Et JEsus, Tu dicis, quia Rex sum ego.* Considera ùt Christus Pilato sincerè agenti clarè responderit: Judæis autem insidiantibus, nisi adjuratus, respondere noluerit, quia fictum detestatur Dominus. 2. Considera Christum non negare Regnum suum esse in hoc mundo, quia utique in illo, Ecclesia & nobis regnat: sed *de hoc mundo*, quia non est simile Regnis mundi, quæ multo satellite defenduntur, florent opibûs & pompîs; sed consistit in splendore animæ, paupertate spiritûs, humilitate, obedientiâ, mortificatione passionum & charitate, & commune est etiam pauperibus & mendicis, sanis & ægris. Si ergò Christi subditi esse volumus, talibûs virtutibûs instructi simus.

II. *In hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati. Dixit ei Pilatus: Quid est veritas? Mox exivit, dixitq; Judæis: Ego nullam in eo invenio causam mortis.* Considera cur Christus in mundum venerit, nempe ut ab erroribus, idololatria, & peccatis liberaret, ut doceret vanitatem rerum, quas mundus admiratur: ut discas tum te esse de Regno Christi, cùm à vanitatibus hujus sæculi abhorres, cùm studes alios ad veram fidem & sanctam vitam convertere. Hæc omnis Judæorum in Christum causa fuit, quòd veritatem doceret, & vitia eorum redargueret. 2. Considera Pilato, ante auditum à Christo responsum egresso, similes esse eos, qui cùm aliquid de humilitate, abnegatione sui, mansuetudine, vel alia perfectione vitæ Christianæ legunt vel audiunt, dissimulant, vel ad se non pertinere existimant. 2. Considera etiamsi causam mortis non inveniat Pilatus, & falsam inveniant Judæi; duas tamen veras esse causas, nempe multitudinem & gravitatem peccatorum nostrorum, & immensam Christi charitatem, qui sanguine suo peccata nostra expiare voluit.

III. *Tunc dixit Pilatus: Non respondes quicquam? non audis quanta Sacerdotum Principes contra te dicant testimonia? JEsus autem tacuit, mirante Præside vehementer.* Considera quas tenebras animis Principum illorum offuderit invidia, videntes enim Pilatum inclinari ad liberationem Christi, omnia complent clamoribûs, quòd totam commovisset Galilæam, objicientes benefacta ejus pro criminibus. Movebat certè à tenebris ad lucem, à morte peccati ad vitam. 2. Considera Christi patientiam, inter tot clamores nullum verbum asperiùs gerentem, nullo nutu impatientiam prodentem. Quæ, quæso, amo-

amoris flammæ ardebant in pectore illo, quas tanti injuriarum torrentes non potuerunt extinguere ? 3. Considera Pilato sæpiùs Christum respondisse, ad calumnias autem Judæorum tacere ; sic ut Pilatus miraretur ejus patientiam, quanta ex malitia peccabant. Unde discimus, cùm lacessimur injuriîs, plùs tacendo quàm respondendo proficí.

MEDITATIO XIV.

Pilatus mittit Christum ad Herodem. Luc. 23.

I. *PIlatus JEsum remisit ad Herodem Regem, qui tum Hierosolymis erat, qui eô conspectô gavisus est valde : cupiebat enim eum videre, & signum ab eo fieri.* Considera quemadmodùm barbari milites contumeliosissimè per mediam urbem JEsum raptârint, multisq; probrîs & sannîs coram tota urbis fæce affecerint : ut discas patienter ejus exemplô ferre, quæ à Superioribus alioquin piis, si Religiosus sis, nonnumquam tibi contingunt, si ab uno officio ad aliud, sive viliùs sive digniùs, sive leviùs sive graviùs, promovearis, etiamsi sensualitati tuæ repugnare videantur. 2. Considera nihil profuisse Herodi, quòd optaret videre Christum, quia cupiditas illa non oriebatur ex desiderio emendandæ vitæ, sed ex curiositate, fingens Christum esse Magum aliquem, qui mira spectacula edere posset : ut discas, nec tibi prodesse, si libenter audias verbum Dei, vel legas spirituales libros vel alios, nisi studiô proficiendi id facias, & non ut doctus habearis.

II. *Herodes interrogabat JEsum multis sermonibûs : at ipse nihil ei respondebat : & Principes Sacerdotum constanter accusabant eum.* Considera cur Herodi, licèt Regi, interroganti non responderit Christus : 1.

quidem, nè curiositatem ejus, ex qua solo more Aulicorum interrogabat, probare videretur: 2. quia margaritæ, id est mysteria divinitùs communicata, non sunt projiciendæ porcis: 3. ut doceret nos in concionibus non hoc quærere, ut audientium curiosorum intelligentiam pascamus; sed potiùs ut ad emendationem vitæ affectus commoveamus. 2. Considera, sicut Judæi constantes erant in accusando, ità Christum constantem fuisse in patienter omnia tolerando: ut doceret nos in patientia continua possidere animas nostras.

III. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et factus est ejus amicus, cùm antè esset inimicus.* Considera quàm ignominiosè ex conspectu Herodis abstractus sit, quantìs ludibriìs à tanto numero militum exceptus, singulìs excogitantibûs novam illudendi rationem, ac velut stultus alba veste indutus. Cogita quanto risu, quot sordibûs petitus: nec enim stulti aliter tractari solent. In hoc speculum intueantur, qui tantum studium in sacco stercorum & nido vermium, mollibûs & pretiosìs vestibûs ornando ponunt. 2. Considera, si Christus nè fatui quidem habitum recusavit; neminem Christianum, maximè autem Religiosum, qui paupertatem vovit, pudefieri debere, si abjectum & simplicem habitum gestârit. 3. Considera hanc Christi illusionem occasionem temporalis dedisse amicitiæ inter Pilatum & Herodem initæ, mortem verò fore verè causam spiritualis amicitiæ Judæorum & Gentilium in uno Ecclesiæ corpore jungendorum: ut disces afflictiones ob Christum perpessas multa commoda temporalia & spiritualia nobis conciliare.

ME-

MEDITATIO XV.

De Barraba Christo prælato. Luc. 23.

1. *CHristô ab Herode reversô, Pilatus dixit Judæis: Nullam causam mortis invenio in eo, sed nec Herodes.* Considera Herodem, tametsi in Christo nihil viderit morte dignum, non tamen liberâsse innocentem de manibus Judæorum; sed ad gratificandum Præsidi cognitionem causæ detulisse ipsi: Itâ fit, ut hominibus omnes studeant placere, nullus Christo. 2. Considera, à tot Judicibus hactenus in vitam Domini inquisitum, nihilq; inventum, quod mortem aut vincula mereretur. Tu quoque sic vitam institue, ut omnes inferni dæmones nihil suum in morte tua inveniant.

II. *Barrabas, cùm ob seditionem & homicidium commissum missus esset in carcerem, liceretque Præsidi die solemni Paschæ vinctum dimittere, petiit à plebe, Hunc-nè an JEsum dimitti vellent: & clamavit: Non hunc, sed Barrabam.* Considera incredibilem Christi patientiam, qui cùm esset Deus verus de Deo vero consubstantialis Patri, per quem omnia creata sunt, passus est non modò se cum Barraba homine seditioso & homicida publico, infamiq; nebulone comparari; sed etiam (quod indignissimum est) illi postponi, quasi indignior vitâ esset, quàm improbus latro: Quæ injuria fuit una de maximis, quâ Judæi Christum affecerunt. 2. Considera inauditam Judæorum cæcitatem & feritatem insatiabilem, quam & Pilatus summoperè admiratus est, quòd lupum prætulerint agno, hominem sceleribus coopertum justo & innocenti, sanguinarium latronem Auctori vitæ. Hic fructus est cordis obdurati in malo. 3. Considera Barrabam nos præponere Chri-

ſto, cùm judicium noſtrum judicio Superiorum, qui vicem Chriſti tenent, præponimus; cùm carnem ſpiritui, vitium virtuti, honorem mundi honori Chriſti, ſæculum religioni.

III. *Tum Pilatus: Quid ergò faciam de JEſu, qui dicitur Chriſtus? At illi dixerunt: Crucifige eum.* Conſidera quot laqueîs homo, cùm non quærit purè gloriam Dei, animæq; ſalutem, ſed favores humanos, cum Pilato ſe involvat. Cùm enim nullô modô expectâſſet Barrabam anteponendum Chriſto, totus turbatus fuit, neſciens quid ageret; ſic ut tandem petat conſilium à turbulento populo, quid facere debeat cum JEſu. Quid enim abſurdiùs, quàm Judicem ſequi ſententiam accuſatoris, & furioſo gladium præbere? 2. Conſidera Evangeliſtas ideo tam diligenter narrare, quòd Pilatus variîs viîs conatus ſit liberare Chriſtum, tum ut conſtaret quàm iniquè damnatus eſſet, quem profanus Judex ſola æquitate motus toties dimittere tentavit, tum ut ex ratione damnationis importunè per vim exortæ appareret Chriſtum non tam ab hominibus quàm à Deo Patre ad Crucem tractum fuiſſe.

MEDITATIO XVI.

De viſu uxoris Pilati. Matth. 27.

1. *SEdente Pilato pro Tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens.* Conſidera valdè opportunè nuncium illum ab uxore miſſum, nempe cùm jam ad ferendam ſententiam maritus paratus eſſet, ut res non caſu, ſed divinô conſiliô facta videretur. 2. Conſidera Deum ità voluiſſe condemnari Chriſtum, ut cùm in toto populo nullum patronum, nullum inter Scribas & Seniores advocatum inveniret pro

ſe,

se, omnibus tamen modis & omnis generis personarum sententiis, virorum & mulierum, ejus innocentia testata redderetur. Ac discas Deum numquam permittere piorum famam sic opprimi ab impiis, quin semper maneant aliqui, qui eorum innocentiam tueantur.

II. *Jussit uxor Pilati dici : Nihil tibi & justo illi :* id est, Nè te ejus negotio immisceas, nec eum condemnes. Considera Deum humanitatem Pilati, quâ conabatur eripere Christum è manibus Judæorum, voluisse remunerari speciali gratiâ, ut nempe mitteret Angelum noctu ad uxorem : deinde, ut uxor nuncium mitteret per medias turbas, qui moneret eum contra quem ageretur, esse justum hominem, imò Christum, & deterreret à condemnatione : sed quia non paruit, inexcusabilis fuit. Tanti mali causa est metus offendendi Cæsarem. 2. Considera, sicut prima mulier à perverso Angelo inducta fuit, ut causam daret lapsûs Adami, & perditionis generis humani; ità Deum per bonum Angelum nunc movisse mulierem, ut abduceret virum suum à gravissimo lapsu perdendi authorem generis humani. Unde & putatur credidisse, ac salvata.

III. *Multa enim passa sum hodie per visum propter eum :* id est, multa somniavi, quæ me sollicitam anxiamque reddiderunt. Considera multos Patres arbitrari terrores hos mulieri per quietem injectos à dæmone, ut impediret Christi Passionem : advertebat enim Christum esse Messiam, tum ex responsis Pilato datis, tum quia Patres in Lymbo exultabant de vicina liberatione; & ideo metuebat suas vires minuendas. Unde colligis quanta fuerit malitia hominum, ut nè dæmon quidem eos ausus fu-

erit à cœpto revocare, ſed opem à muliere quæſierit. Alii tamen malunt à bono Angelo factum.

MEDITATIO XVII.

De flagellatione Chriſti. Matth. 27. Marc. 15. Joan. 19.

1. *CUm tertiò Pilatus proteſtaretur nullam ſe cauſam mortis invenire, & Judæi clamarent crucifigendum* JESUM, *apprehendit eum & congregata tota cohorte flagellavit.* Conſidera hactenus ſponſum animæ tuæ, ut te ſibi deſponſaret, variîs modîs irriſum, conſputum, verberatum nunc autem ventum eſſe ad vulnera, ut qui tibi honores ſuos, libertatem, aliaque corporis bona dedit, nunc etiam ſanguinem propinaret, viſurus qua tu viciſſim liberalitate ſis uſurus. 2. Conſidera Chriſtum à Pilato Prætorianis militibus tradi, qui totam cohortem, id eſt, ſexcenta ſexaginta ſex milites, convocârunt: Ubi attende miram eorum petulantiam, Chriſti verò incredibilem confuſionem & patientiam. Primò enim eum toto corpore coram tanta multitudine denudant: tum ſacrum corpus columnæ alligant, brachiîs in altum erectîs. Stat agnus inter lupos: nemo pro eo loquitur, nullus miſeretur. Tale ſpectaculum non fuit à condito orbe, ut flagella caderent in humeros Dei.

II. Conſidera quàm gravis & acerba fuerit flagellatio. Veteri quidem Lege cavebatur, nè ultra quadraginta verbera infligerentur; hâc additâ cauſâ, nè quis tot plagîs fœdè laceratus expiraret. At gentilis miles nec hac Lege tenebatur, nec commiſeratione ulla movebatur: ſic ut quinque millia quadringenta verbera, ùt nonnullis Sanctis revelatum eſt, illi inflixerint: quod non videtur improbabile, quia Pilatus eum flagellari voluit, ut Judæorum

ra-

rabies viſo Chriſti corpore miſerè dilaniato, aliquantùm miteſceret. Deinde quia flagellatio ideo præmittebatur crucifixioni, nè nuditas corporis crucifixi aliquem ad turpitudinem moveret, & ideo totum erat deformandum. 2. Conſidera internîs oculîs quantâ vî, tùm virgîs, tum nodosîs funibûs corpus diſcerpant, ſanguine ubertim in terram defluente: auribûs excipe multiplices ictus, cachinnos & ſannas cædentium. Vide quoque in Angelo aliquo latitatam Beatam Virginem, cum gemitu ſingulos ictus numerantem.

III. Conſidera Chriſtum dum à columna ſolveretur, inſtar trunci prolapſum in terram: tam enim erat fractus & debilitatus ex flagellatione, ut pedibûs inſiſtere non poſſet. Aſpice enim in pavimento reptantem ſanguineum, ut veſte ſe cooperiat. Ut autem in pedes ægrè ſe erexit, cogita eum ſic te allocutum: Fili mi, hæc paſſus ſum libenter amore tui. Expende quàm parùm reſpondeas huic meo amori, tum quòd tam impatiens ſis in paucis flagelli alicujus ictibus perferendis, tum quòd quotidie novîs peccatîs & imperfectionibûs me flagellare non deſiſtis.

MEDITATIO XVIII.

De Coronatione Chriſti. Marc. 15. Joan. 19.

I. *Milites Præſidis exuentes eum circumdederunt ei clamydem coccineam: Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput.* Conſidera non ſinè verecundia virgineum corpus iterum nudari, & cum ingenti dolore vulnera omnia quibus veſtis ejus inhærebat, fontibûs novîs ſcaturientibûs renovari: tum purpura Regia, tamquam Regni affectatorem, cum per ſummum ludibrium indui. 2. Conſidera

coronam spinis aculeatam ei imponi, & hastis transversè positis, in benedictum Caput adigi spinas, quæ, longitudinem ferè digiti minimi æquant in illis regionibus. Videas exire aculeos ex fronte & temporibus, magnâq; vi penetrare cranium, quantus hic dolor, quanta acerbitas. A condito orbe auditum non est talî suppliciô aliquem affectum: & mirùm est vel dæmonem tale aliquid potuisse excogitare.

II. *Arundinem ei in dextera dant, eâdem percutiunt, dando alapas, & genu flexo, ajunt: Ave Rex Judæorum.* Considera nullam intermissionem vel quietem benedicto JEsu ab impiis ministris dari, rursum injurias in domo Caiphæ illatas renovari, & recentibûs augeri, ut dum scurriliter ab improba illa turba in hæc verba poplite uno flexo irridetur: Tunè omnium bipedum abjectissimè, miser mendice, Rex esse concupisti? unde tibi hoc delirium? Sed qualis Rex es, tale nunc accipe sceptrum, nempe inanissimum & vanissimum. Et rursùm, dum sceptrô illô caput cæditur, spinæ altiùs in caput deprimuntur. Quô exemplô discimus quàm aspernanda sit omnis humana gloria, & quantô desideriô contemptus nostri quærendus.

III. *Exivit ergò JEsus portans spineam coronam & purpureum vestimentum: & dixit eis Pilatus: Ecce homo ego nullam causam in eo invenio. At Pontifices clamârunt: Crucifige eum.* Considera mirabile spectaculum. Egreditur mitis JEsus diductâ purpurâ, portans locò diadematis coronam spineam, ligatîs manibûs, arundinem in dextra pro sceptro tenens, vultu livido, sputô, sanguine & vibicibûs deturpatô. Pilatus verò sperans Judæos hôc dirô spectaculô molliendos, dicit: *Ecce homo*, ecce quem

vos

vos dicitis Filium Dei se facere : Ecce miserum Regem, qui vix videtur homo. 2. Considera cæcitatem Pilati. Iterum protestatur Christum esse innoxium, & tamen tam fœdè eum tractavit, ut vix hominis speciem retinuerit. Certè nec canem quis ità tractaret. 3. Considera si teste Pilato innocens est Christus, unde hæc illi contigerint. Nimirùm ex superbia tua irrisiones, ex avaritia nuditas, ex ebrietate sanguinis effusio, ex libidine spinæ, ex ira vulnera, ex invidia livores, ex acedia funes & vincula. Si ergò Pilatus non potuit Pontifices excitare ad commiserationem, te saltèm excitet. Hæ spinæ enim pro te perferuntur, hic sanguis tibi propinatur, hæc mala tibi donantur, ut iis quasi pharmacis peccata tua tollas.

MEDITATIO XIX.

De aliis accusationibus Christi coram Pilato. Joann. 19.

1. *AD clamorem Pontificum respondit Pilatus : Accipite eum vos, & crucifigite. Tum illi : Secundùm Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Considera, quòd sicut impii Pontifices, conspectô Christô sanguinolentô, non aliter in ejus necem inardescebant atque canes visò sanguine feræ : ità conveniat te accendi in amorem Passionis Domini, contemplatione dolorum ejus, ut in meditatione tua exardescat ad imitandum ignis devotionis. 2. Considera Judæos verum dicere, sed non ad mentem suam : omnia enim veteris Legis Sacrificia Passionem & mortem Filii Dei adumbraverunt, & Prophetæ clarè prædixerunt : illi autem volebant Christum mereri mortem ob blasphemiam, quòd faceret se Filium Dei : ut discas Deum aliorum male-

lefacta vel dicta in bonum tuum commutare, quò & tu ex malis semper bona elicias.

II. *Pilatus rogat JEsum: Tu quis es? Eoque tacente: Mihi* (inquit) *non loqueris? an nescis me posse dimittere te? Respondit JEsus: Nullam potestatem haberes, nisi data esset desuper & ideo qui tradidit me, plùs peccavit.* Considera tacuisse JEsum, nè Sanctum cani daret: jam enim immani flagellatione indignum se responsô reddiderat, tum ut nos doceret non loqui, nisi cùm necesse est, necesse autem non erat Christo loqui, quia jam antè dixerat, Regnum suum non esse de hoc mundo: & si plùs dixisset, intellectus non fuisset, cùm nec Angeli capiant ejus generationem. 2. Considera Pilati superbiam, quòd taciturnitatem Christi sinè causa reputet sui contemptum: facilè quippe indignatur homo superbus, quia nec minimum quid potest ab aliis tolerare: 2. quòd non agnoscat omnem potestatem se à Deo habere, cùm tamen sinè ejus voluntate nec folium arboris commoveatur: imò docet Cyprianus nec posse diabolum quicquam in hominem, nisi Deus permiserit.

III. *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum: Judæi autem clamabant: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Tum producto JEsu, dixit: Ecce Rex vester. Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Considera Pilatum audita mentione peccati, seriò de Christo dimittendo cogitâsse, nè se majori crimine obstringeret; sed postquam de honore suo apud Cæsarem agi vidit, rursus animô concidit: similis illis, qui veritatem tuentur, quamdiu id vident sinè suo dispendio fieri posse: sed si turbo aliquis se immittat, vela convertunt. 2. Considera Judæos, quia repudiatô Christô verô Rege, Cæsarem

Re-

Regem suum esse voluerunt, in tot mala & perpetuam servitutem incidisse; nec secùs succedere omnibus, qui abjectô jugô svavi servitutis Christi, ad mundum redeunt, quippe cùm perpetua fiant mundi mancipia, & cum mundo pereant.

MEDITATIO XX.

De Christi Domini condemnatione. Math. 17.

I. *VIdens Pilatus quòd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, aquâ lavit manus, dicens: Innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis.* Considera Judæis nos fieri similes, quando nullîs neque rationibûs neque monitionibûs in re ad salutem utili vel necessaria acquiescimus: Pilato autem, quando in aliorum gratiam contra conscientiam, quid facimus, & culpam totam in alios retorquemus. 2. Considera Pilatum bis falli, cùm putat se innocentem: 1. ex ceremonia externa lavandi manus: non enim aquâ, sed lachrymîs peccata purgantur: 2. quòd justum invitùs damnet. *Nam innocens esse non potest, inquit S. Leo, qui iìsdem labiìs mittit JEsum in crucem, quibûs eum pronunciavit innocentem.*

II. *Et respondit universus populus, dicens: Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Considera cæcum furorem invidiæ: Non negant JEsum esse justum: sed ut timido Præsidi animum addant, se & posteros suos gravissimis malis adstringunt. 2. Considera quanta sit insania, malum sibi imprecari, cujus gravitatem ignores. Si enim quodlibet aliud peccatum igne æterno excruciandum est, pro quo delendo hic sanguis fusus est; heu qualis gehenna manebit peccatum illud, per quod hic sanguis fusus est! His similes sunt. 1. qui nihil pendentes gra-

gravitatem pœnarum inferni, pergunt Deum offendere: 2. qui res arduas, nulla consideratione quòd rationem reddituri sint apud Deum, suscipiunt.

III. *Tunc Pilatus videns satisfacere populo, adjudicavit fieri petitionem eorum* id est, ut crucifigeretur. Considera quàm iniquum & præposterum fuerit hoc Pilati judicium: Paulò antè agnoscebat per invidiam à Judæis JEsum traditum: appellârat hominem justum, protestatusq; erat se nihil causæ invenire in eo, & jam crudelissimæ eorum voluntati eum tradit. 2. Considera quàm humiliter mitis JEsus absque ulla contradictione funestam sententiam exceperit; nec secùs, quàm si de omnibus criminibus objectis seriò convictus esset. 3. Considera quomodò latâ sententiâ, satanici satellites irruerint in JEsum, & omni genere injuriarum obruerint. Jam crux & alia feralia instrumenta, id est clavi, & alia parata erant. Jam totîs artubûs exultabant omnes Pontifices, Scribæ, Seniores, & populus. Sola mœstissima Domini parens cum discipulis tota in lachrymas soluta est.

MEDITATIO XXI.

De Crucis bajulatione.

I. ET *apprehendentes JEsum, eduxerunt eum ut crucifigerent: & bajulans sibi crucem, exivit in Calvariæ locum.* Considera Judæorum crudelitatem inauditam, quòd Christo jam fatigato, membrîsq; omnibûs fracto, ingentem illam trabem crucis imponunt, perinde ac si vellent eum in ipsa via occumbere. At ubi, quæso, legimus vel pessimum latronem suum gestâsse patibulum? Omnibus suppliciô afficiendis instrumenta abscondi solent, quibûs occiduntur: at Christo etiam gestanda cum summo dede-

dedecore imponuntur. 2. Considera, & quasi præsens aspice quomodò tanto pondere onustus procedat, oculis langvidis, facie totâ sputis adhuc & sanguine plenâ, trepidantibûs & vacillantibûs genibûs, ac tandem toto corpore septies in terram corruente: quibûs casibûs novo vulnere humeros vulnerârit, & alia ex flagellatione accepta renovavit.

II. *In via Simonem Cyreneum angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Considera non satis esse, si Christus crucem suam bajulet, eamq; nos sola fide & meditatione aspiciamus: sed opus est, ut nostram quoque crucem in ferendis injuriis, mortificandis passionibus, carneq; castiganda jejuniis, disciplinis aliisq; pœnitentiis feramus, juxta illud Christi: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* 2. Considera Simonem hunc non sponte sua, sed coactum huic cruci humeros submisisse: ut discas in ferenda cruce requiri, ut vis inferatur naturæ, & carni semper spiritui reluctanti. 3. Considera utilitatem, quam Simon iste, licèt invitus, portans crucem, tamquam laboris mercedem reportârit: nam ejus Nomen toto orbe divulgatum est, patria ejus innotuit, & filii ejus non modò Christiani facti sunt, sed etiam famâ celebres.

III. JESUS *ad mulieres flentes conversus: Nè flete* (inquit) *super me, sed super vos & super filios vestros. Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Considera Dominum non voluisse se defleri, sed populum: ut ostenderet potiùs nobis esse flendum de peccatis, quæ mortis illius fuêre causa: deinde quia multis mors Christi majorem damnationem erat illatura, ùt improbis. 2. Considera, si viride li-

gnum, id est, is, qui in mundum venit sinè peccato, non egressus est sinè flagello; quomodò nos, qui in peccatis nati sumus & in illis vivimus, sinè flagello & cruce poterimus ad vitam æternam pervenire? 3. Considera quàm triste & acerbum fuerit Virgini Matri spectare unicum suum vitæ solamen tam miserè derelictum, curvumq; inter duos latrones incedentem, & inter clamores populi tam immaniter tractari. Videre ibi erat duos Soles, cùm se mutuò aspicerent, deficientes.

MEDITATIO XXII.

De Christi crucifixione. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19.

I. *ET venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quæ est Calvariæ locus, & ibi crucifixerunt eum.* Considera quàm molestus fuerit Christo istius montis ascensus, qualem sibi vim intulerit, teneroque & exhausto jam corpori, nè saluti tuæ deesset, & in monte cœlis viciniore Deo Patri se sistens holocaustum pro peccatis tuis, in odorem suavitatis offerret. 2. Considera genus mortis crudelissimæ: Primùm enim vestibûs omnibûs exuitur violenter, quô factô, omnia sinè dubio vulnera sunt renovata: stabatque ibi mansvetus JESUS totus sanguineus. Detruditur in trabem humi jacentem, clavîs obtusîs perforantur manus & pedes. O dolor incredibilis! manus enim plenæ sunt venîs & nervîs, augetur dolor violenta extensione brachiorum pedumque, ut respondeant foraminibus. Tum elevatione & concussione crucis in scrobem effossam demittitur, ac demum diuturnitate temporis, nempe trium horarum, quibûs in cruce pependit.

II. Considera quanta ignominia hoc genere mortis affectus sit Christus: nullum enim id temporis

erat

erat vilius & servilius. Patitur in monte & stipite eminenti, ut omnibus esset ludibrio; in loco suppliciis publicis destinato, ut improbus haberetur; inter duos latrones, ut omnium sceleratissimus reputaretur; in ipso meridie, ut omnes adessent; in die solemni Paschæ, quô tota natio Hierosolymam confluebat; in urbe totius Judææ Principe, quam sex antè diebus cum triumpho intrârat: & in tanta ignominia adhuc verbîs probrosîs ab omni genere hominum excipitur. Demum nullum genus tormenti, nullum infamiæ fuit, quod Christus expertus non sit.

III. Considera causam cur hoc genus mortis Christus elegerit: 1. quia nullum erat acerbius, diuturnius, ignominiosius, & ad salutem tibi parandam accommodatius: 2. ut tamquam hostia in altum sublata, Mediatorem se inter Patrem cælestem & genus humanum interponeret, reconcilians ima summis: 3. ut eminus oculîs te quæreret, inventum expansîs brachiîs exciperet, in sacrîs vulneribus reconderet, manibus insculptum ob oculos semper haberet, & capite inclinato oscularetur: denique ut mentem tuam à terrenis avelleret, & ad cælestia attolleret.

MEDITATIO XXIII.

De duobus latronibus cum Christo crucifixis. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19.

I. *ET crucifixerunt cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris.* Considera execrandam Judæorum improbitatem, quòd Redemptorem mundi crucifigant ùt latronem, incredibilem verò Christi humilitatem, quòd talis voluerit haberi, & ùt talis mori, idque nostrâ causâ, ut qui verè malefactores sumus & latrones, hoc est animæ nostræ occiso-

res, dum peccamus, libenter confusionem & pœnam aliquam pro peccatis sustineamus. 2. Considera, sicut Christus in vita toleravit societatem Judæ, in morte verò latronum; sic te debere tolerare humilium & pauperum conversationem: & sicut ille sua societate unum fecit ex improbo probum, ità & nos nostra consvetudine alios facere debere meliores.

II. *Medium autem JEsum.* Considera Judæos hâc ignominiâ conatos nomen Christi delere, ut pro Messia latronum Princeps haberetur; sed Christus hanc eorum malitiam ad suam convertit gloriam: nam cùm tres sint cruci affixi, ipse tamen solus cum cruce sua toto orbe factus est gloriosus: 2. inter peccatores moriens, omnium pretia persolvit: 3. neminem, quamvìs teterrimũ latronem, à salute excludit: 4. judex erit in extremo judicio omnium bonorum & malorũ: bonos repræsentat latro ad dextram, malos latro ad sinistram. 2. Considera æquè bonum atq; malum latronem cum Christo crucem sustinere: ut scias neminem, licèt bonum, à cruce ferenda exceptum.

III. *Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus*, Esa. 53. Considera, id tanto tempore prædictum: ut intelligeretur, non casu, sed divina etiam voluntate accidisse. Christus quoad divinitatem medius erat inter divinas personas, quoad humanitatem medius inter Angelos & homines, cæterasque creaturas. Quoniam verò omnium hominum iniquitates in se susceperat, conveniebat ut licèt non esset, tamen inter iniquos medius, id est omnium iniquissimus reputaretur.

MEDITATIO XXIV.

De crucis Christi titulo. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19.

I. *SCripsit autem & titulum causæ ejus Pilatus, & posu-* it

it super crucem ejus. Considera Pilatum quidem id fecisse, ut ob affectatum Regnum putaretur crucifixus; sed longè aliam causam fuisse Dei, nempe ut invenires omnem salutem in JESU, omnes flores virtutum in Nazareno, & omnem in Rege securitatem: Titulus enim erat, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. 2. ut cognosceres ex tabula domui præfixa, quæ disciplinæ hìc doceantur. Solent enim ludi magistri valvis indicem lectionum præfigere. Hìc enim discis salvari, virtutes omnes sectari, teipsum regere, mundum & diabolum & carnem vincere, confiteri peccata, laudare Deum, corpus castigare, cruce te consignare in omnibus actionibus, & dicere: Titulus triumphalis liberet me ab omnibus malis.

II. *Et erat superscriptio scripta Hebraicè, Græcè & Latinè.* Considera variis linguis titulum scriptum, quia omnium interest hunc Regem crucifixum agnoscere, imò beatus Paulus non judicat se aliud scire quàm JESUM crucifixum. Ideo enim id editô locô figitur: ut eminus videas & legas & intelligas, ac spretîs aliîs Dominum sequaris. 1. quia omnibûs linguîs laudandus est Messias crucifixus, sicut & nunc hic solîs tribûs in divinis Ecclesiæ Officiis tamquam cruce Dominica consecratis, laudatur. 2. quia Christus hac re docere voluit, neque sapientiam cælestem, quæ Hebraicè in Bibliis, nec ullam scientiam vel eloquentiam humanam quæ Græcè vel Latinè conscripta est, valere, nisi ad crucifixi gloriam referatur.

III. *Dicunt Pilato Pontifices: Noli scribere Rex Judæorum: sed quia dixit, Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.* Considera Judæos, id est omnes impios & mundanos, qui addicti sunt vo-

luptatibus hujus ſæculi & carnis, non poſſe ferre nomen Regni Chriſti crucifixi, ſicut nec crucis; probos autem in ſola cruce cum D. Apoſtolo gloriari; & cùm aliquando à dæmone, mundo, vel carne tentantur, ut crucem ſemel ſuſceptam in baptiſmo, vel religioſæ vitæ ingreſſu deſerant, cum Pilato dicunt: Quod ſcripſi, ſcripſi: Quod vovi, ſervabo: Sicut cœpi, perſeverabo. Si enim Pilatus quod ſemel ſcripſit, mutare non vult; cur tu, quod ſemel promiſiſti, mutes?

MEDITATIO XXV.

De veſtium Chriſti diviſione. Matth. 27, Luc. 23. Joan. 19.

I. MIlites, *cùm crucifixiſſent JEſum, acceperunt veſtimenta ejus & tunicam.* Conſidera Chriſti paupertatem, habentis pauculas tantùm veſtes ad tegendam nuditatem, arcendumq; frigus neceſſarias. Et tunica quidem inconſutilis à Matre Dei Chriſto infantulo fuit contexta, quæ cum eo creſcebat, ſicut filiis Iſraël in deſerto: ut diſcas omnem ſuperfluitatem veſtium fugere. 2. Conſidera liberalitatem Chriſti: corpus dederat, ſanguinem profuderat, nunc etiam externa bona, id eſt veſtes tibi donat, nihil præter clavos, ſpinas, ſputa, & concretum corpori cruorem ſibi ſervans. Tu ſi perfectus Chriſti imitator eſſe velis, nudus ad nudum Chriſtum advola.

II. *Et fecerunt quatuor partes ſorte miſſas, quam quiſque tolleret.* Conſidera milites per irriſionem portionem aliquam veſtis ſibi ſumpſiſſe, tamquam Regis Judæorum ornatum: ut tu quoque vel fimbriam veſtium ejus ſeriò colligas, hoc eſt quicquid Paſſionem Chriſti quoquomodò attingit, in pretio habe, ut ſunt Sacramenta ejus, verba ejus, ſignum crucis.

2. Considera, nos cum militibus vestes Christi dividere, cùm inter nos non satis convenimus, aut cùm aliis discordiæ occasionem præbemus.

III. *De tunica inconsutili per totum dixêre : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* Considera ut per vestimenta significantur variæ hominum societates, & particulares Ecclesiæ, quæ possunt per hæreses dividi; sic per tunicam inconsutilem significari Ecclesiam Catholicam Romanam, quæ non potest dividi; sed unam tantùm fidem retinebit, & est *desuper contexta per totum* : id est toto orbe diffusa. Tu cave nè ab hac tunica excidas. 2. Considera tunicam inconsutilem esse verum & perfectum amorem in Deum : hic enim verè inconsutilis est, & in alios amores dividi non potest : Deus enim solus vult amari : non admittit in sui amore rivalem.

MEDITATIO XXVI.

De irrisionibus Christi in cruce. Matth. 27. Marc. 15. Lucæ 23.

I. *TRansseuntes blasphemabant moventes capita sua, & dicentes : Vah, qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas : salvum fac temetipsum.* Considera feritatem populi, Principum & militum, nec in summo quidem agone Christi ab injuriis abstinentium; & cùm peccata non inveniant, etiam beneficia & miracula ei exprobrantium ùt quòd infirmos sanârit. Contrà perpende, quàm graviter hæ blasphemiæ mansvetum Christi Cor pupugerint, cùm soleant maledicta in calamitosum conjecta ipsa calamitate esse acerbiora.

II. *Similiter & Principes Sacerdotum dicebant : Si Filius Dei, si Rex Israël est, descendat nunc de cruce,*

& credemus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult: dixit enim, Quia Filius Dei sum. Alios salvos fecit, se non potest. Considera cœcam Judæorum stultitiam: quia enim Filius Dei fuit, ideo non debuit relinquere obedientiam Patris; sed bibere totum calicem, quem dederat illi Pater. Deinde, quia Rex Israël fuit, non debuit descendere, cùm scriptum sit, *Dominum à ligno regnaturum*, Psal. 95. Et si regnet, non debet Imperii sui sceptrum, nempe crucem, deserere: similiter si seipsum salvum facere velit & alios, debet persistere in cruce: quia qui perseverârit usque in finem, hic salvus erit. Unde discis in vitæ sanctæ proposito, etiamsi difficile nonnumquam sit, perseverare usque in finem.

III. *Illudebant autem ei & milites, acetô oblatô, dicentes: Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac.* Considera, ab impiis nullam in hac vita cognosci, nisi corporis salutem & comoditatem, ignaris pro animæ salute hæc Christum facere, & ut nos eâdem viâ per multas tribulationes in cœlum tenderemus. 2. Considera Christum ad omnia opprobria nihil respondisse: ut nos doceret amore Christi illa patienter ferenda, nec loquendum nisi cùm honos Dei, vel salus animæ id exposcit, & ideo locutus est bono latroni, non malo.

MEDITATIO XXVII.

De primo verbo Christi in cruce prolato. Luc. 23.

I. JESUS *autem dicebat.* Considera JEsum hæc septem verba extrema cum clamore valido protulisse, copiosissimîs lachrymîs sanguine de capite defluente mixtîs. Lachrymæ orationem rigabant, sanguis exornabat, clamor aures Patris penetrabat. Hæc & tu admitte ac expende: hîs enim sanctificata

cata ſunt ſeptem Sacramenta, & impetrata ſeptem Spiritûs Sancti dona, ac depulſa ſeptem capitalia vitia. 2. Conſidera quis dixerit hæc verba? Filius Dei. Cui? Patri. Ubi? in arbore crucis. Quando? proximus morti. Quomodò? manibûs expansîs in cruce ſtans, & ſanguine madens. Pro quibus? pro ſuis crucifixoribus & omnibus peccatoribus. Quid petiit? remiſſionem peccatorum. Coram quibus? coram hoſtibus, ut teſtes eſſent condonationis factæ.

II. *Pater, dimitte illis.* Conſidera verba ſingula. *Pater*, quod eſt miſericordiæ nomen, non juſtitiæ ùt *Dominus*: quasì diceret: O Pater! agnoſce me Filium. Pater filio nîl recuſat. Itaque quàm carum habes me Filium, ſic nunc me orantem exaudi. Cùm enim ideo crucem hanc aſcenderim, ut veniam impetrarem, novam crucem mihi impones ſi abnueris. Hanc unam obedientiæ meæ poſtulo mercedem. 2. Conſidera vocem *dimitte*. Fungitur officiô Sacerdotis Dominus: orat enim pro peccatis populi, imò & hoſtiæ, nec gratuitam ſolùm condonationem petit, ſed & offert ſatisfactionem. Clamant vulnera, ſanguis, ſputa, dolores, *Dimitte*, hæc pro peccatis eorum ſuſcipe. Petit autem ſinè conditione & abſolutè, *Dimitte*: ut diſcas remiſſionem peccatorum & divinam gratiam abſolutè petendam, quia ſemper ad Dei refertur gloriam. Deinde non petit dimitti peccata tantùm commiſſa, ſed omnia etiam futura. 3. Nota vocem *illis*, id eſt non tantùm crucifixoribus, ſed omnibus, qui peccatîs ſuîs cauſam dederunt meæ Paſſioni. Itaque neque tu ab hac oratione excluſus es.

III. *Quia neſciunt quid faciunt.* Conſidera JEſum

Judicem omnium, & JEſum, non Judicis & accuſatoris, ſed defenſoris partes ſuſcipere, cùm tanta tamen peccati hujus fuerit malitia, ut nisi ignorantiæ nomine extenuari potuerit, imò cùm voluntaria fuerit ignorantia, mirùm eſt, quomodò Judæos excuſare poſſit. Excuſabit ergò Chriſtus tunc magis illorum peccata, qui cum dolore invocant Nomen ejus. Et tu diſce hôc exemplô excuſare, non augere exiguas proximi offenſiunculas. 2. Conſidera Judæos ſciviſſe quidem quid mali agerent; ſed neſciviſſe, quæ ipſis mala impenderent: & omnes peccatores, dum peccant, neſciunt quid agant, quia ſi ſcirent quàm graviter Deum offendant, quantaſq; pœnas mereantur, millies mori mallent.

MEDITATIO XXVIII.

De ſecundo verbo Chriſti. Luc. 23.

1. *CUm unus latronum Chriſto improperaret : Si tu es Chriſtus, ſalvum te fac & nos ; alter eum increpavit : Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es ? & nos quidem juſtè : nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit.* Conſidera mirandam converſionem boni Latronis : quo enim tempore Apóſtoli de Chriſto non audebant loqui, publicè eum defendit, non abſterritus Judæorum calumniis, non proditione Judæ, non fugâ diſcipulorum, non Chriſti mortalitate. 2. ſocium peccantem inſigni charitate corripit priùs, quàm ſibi aliud à Domino petat, incutit timorem mortis impendentis & judicii tremendi, peccatum ſuum agnoſcit, & crucis pœnam in ſatisfactionem ſufficit, Chriſti innocentiam prædicat, qui verè ſolus cum Beata Virgine erat innocens. 2. Conſidera, ſi Deum velimus

no-

nobis propitium, blasphemias in Deum & Sanctos ex zelo esse arguendas, peccata sincerè confitenda, & famam piorum, cùm traducitur, tuendam.

II. *Et dicebat ad JEsum: Domine, memento mei cùm veneris in Regnum tuum.* Considera, unde huic Latroni tam repentina mutatio, homini scelerato & infideli, & tam felix, ut primus omnium os suum ad fontem aquæ vivæ apponeret, ut socius Christi in cruce mereretur esse socius? Hæc verè fuit mutatio dextræ excelsi, ad cujus dextram pependit. 2. Considera magnam ejus fidem, quòd quem mori videbat, credidit, & professus est Dominum, & Regem non terrenum, sed cœlestem. Deinde spem firmam, quòd gravitas peccatorum eum non deterruit, quominùs humiliter peteret sui memoriam non deponi: ubi ostendit summam in verbo modestiam ac submissionem.

III. *Et dixit illi JEsus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Considera quomodò paulatim Salvator sinum misericordiæ expandat. Paulò antè pro crucifixoribus orabat, nunc Latroni Paradisum aperit. Quàm benignus, Domine! quàm largus! imò quàm prodigus es in hunc Latronem! Facilè apparet te in mundum venisse, ut peccatores facias salvos, imò nihil aliud facere potes, cùm sis ipsa misericordia, imò fons omnis bonitatis. 2. Considera, si Latronem, qui totam vitam in sceleribus transegerat, ob unius horæ pœnitentiam Christus Paradisô remunerat; quid illis faciet, qui ad mortem usque fideliter ipsi serviunt? 3. Nota quòd è duobus latronibus secum crucifixis, unum salvavit, ut nemo desperet, imminente morte: alterum verò non salvavit, ut nemo prætendens

misericordiam Dei, pœnitentiam ad finem vitæ differat.

MEDITATIO XXIX.

De tertio verbo Christi in cruce. Joan. 19.

I. *STans autem juxta crucem JEſu Mater ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ.* Conſidera fugientibus Apoſtolis, mulieres uſque ad crucem Dominum ſecutas, ac imprimis Matrem ejus, tum quòd cæteris eſſet ferventior, tum nè quem hactenus ſecuta fuerat, in morte deſereret, & ſi quid poſſet ſolatii, præſtaret, vel obſequii, tum quia & ipſa parata erat, ſi fieri poſſet, per crucem mori, ſciens ſibi prædictum à ſene Simeone: *Et tuam ipſius animam doloris pertranſibit gladius*, Luc. 2. Unde & ipſa præ aliis Martyribus nobilius ibi martyrium, nempe in anima paſſa eſt. 2. Conſidera Beatam Virginem, S. Joannem, & cæteras mulieres ſtetiſſe juxta crucem, non ſediſſe, aut exanimes concidiſſe: non enim ſatis eſt ad ſalutem ut ſimus vicini cruci, ſed opus eſt ſtare erectos, & pugnare adverſùs tentationes.

II. *Cùm ergò JEſus vidiſſet Matrem & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dixit Matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.* Conſidera JEſum Matrem ſuam vocare mulierem, quia maternæ aures ſinè novo vulnere illud dulciſſimum Nomen non tuliſſent: deinde ut doceret Religioſos, qui mundo mortui cum Chriſto, per obedientiam crucifixi ſunt, oblivíſci in terra patris & matris. 2. Conſidera ſub Joannis nomine omnes nos filios commendatos Beatæ Virgini, ut hac ratione virginitatem cum Joanne amaremus, ipſam ùt Matrem coleremus, & in omnibus tentationibus ad eam confugeremus.

III.

III. *Deinde dixit discipulo : Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Considera Matrem ideo Sancto Joanni soli commendatam, quia cæteris fugâ dilapsis, ille solus fidelis amicus usque ad mortem permanserat : veros enim amicos & servos Christi crux discernit, id est, tentationum & tribulationum tempus. Filii ergò & genuini Beatæ Virginis sunt, qui ad crucem usque Christum sequuntur. 2. Considera voce *Ecce* indicari summum beneficium esse, ut communem homo & Deus habeat Matrem, ad quam confugias, in qua spem colloces, quæ Mediatrix sit inter nos & Deum. 3. Considera S. Joannem, licèt pauperem, hanc novam Matrem recepisse in sua, non bona, domos, agros, sed officia : curam enim ejus egit, nè quid deesset. Tu roga Dominum, ut tibi etiam sit Mater, & pro te apud Filium jugiter intercedat.

MEDITATIO XXX.

De quarto verbo in cruce. Matth. 27. Marc. 15. Lucæ 23.

I. *A Sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam, & obscuratus est Sol.* Considera Solem in Domini tui Passione obscurari, ut sicut moriente Patrefamilias, tota domus pullis vestitur in signum luctûs ; sic luctum de Domini tui Passione in Meditationibus concipias : 2. ut discas gravitatem peccatorum mortalium tantam esse, ut leviùs sit Solem & sydera interire, quàm uno crimine Dei offendi Majestatem : siquidem quôlibet peccatô mortalî Deus est occisus : 3. ut intelligas Dominicæ Passionis fructum esse in contemptu splendoris mundi hujus : Qui enim cum Christo confixi sunt, non honoribus, sed contem-

ptu

ptu gaudent & neglectu. Unde Paulus: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini*, Gal. 6.

II. *Circa horam nonam exclamavit JEsus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamazabathani: id est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Considera Christū idcircò in fine tam miserabilem edidisse clamorem, quòd reverà in parte animi inferiore intolerabiles sentiret pœnas: pars enim illa nihil solatii vel auxilii à superiore parte, nec ab ipsa divinitate conjuncta accepit; sed relicta fuit, ut pateretur, quantùm posset. Horâ nonâ autem corpus totum erat exhaustum, tum ex copia effusi sanguinis, tum ex incredibili clavorum dolore, tum ex lethali sudore frigoreq; undique diffuso. 2. Considera quomodò in tali statu moribundos ad cœlum sustulerit oculos, multîsque profusîs lachrymîs clamârit magno affectu, *Deus meus, Deus meus*, qui nunquam deseris clamantes ad te; cur me dilectissimum filium sinè ullo solatio in hac extrema lucta derelinquis? Hinc disce quid nobis, qui pleni peccatîs sumus, futurum sit in hora mortis, si Filius Dei ità deseritur, nisi Christo conjuncti maneamus?

III. *Quidam autem illic stantes dicebant, Heliam vocat iste.* Considera hoc dictum esse, ut discas otiosos homines in rebus suis incurios, nihil nisi aliorum verba & facta carpere & ridere. 2. ab impiis ignorari discrimen inter Eli & Heliam, id est, inter honorem qui Deo debetur, & qui Sanctis: ùt sunt Hæretici nostri temporis. 3. illos sinistrè Dei verba torquere, qui illa quidem audiunt, sed non juxta illa vitam instituunt.

MEDITATIO XXXI.

De quinto Christi verbo. Joan. 19.

I. *SCiens JEsus omnia consummata, ut consumaretur Scrip-*

Scriptura, dixit: Sitio. Considera Dominum in tantis crucis tormentis, tamen lustrâsse Scripturas singulas, an quæ fortè superesset nondum ad tuam salutem impleta, ut tu in Dei voluntatem superiorumque jussa intentus, nihil omittas eorum, quæ tui officii vel vocationis sunt. 2. Considera Christum nihil umquam vel fecisse temerè, vel dixisse; sed eò retulisse omnia ut consummaretur Scriptura, id est voluntas Dei in ea expressa: sic effice tu quoque ut nihil agas, nisi quod consentaneum est tuæ vocationis legibus & obedientiæ, & mercedem mirum in modum in cælo augebis.

II. *Sitio.* Considera cur tot doloribûs obrutus de sola siti quæratur, nimirum ut qui jam sanguinem suum totum effuderat, omnis generis cruciatus exantlârat: Patrem pro omnium peccatis orârat, indicaret optare se, ut vicissim nos pro grati animi significatione aliquid offerremus: Sitiebat enim emendationem, perfectionem & salutem nostram, sicut & sitivit à primo vitæ exordio. 2. ut hanc sitim animarum testamentô nobis relinquat. Mundus sitit opes, honores, voluptates, quæ magno quidem constant; sed sitim non explent, imò ut venena bibentem perimunt. At Christus te vult sitire ad fontem aquæ vivæ salientem in vitam æternam, id est Deum, tuamque & aliorum salutem, sicut sitivit Christus, quæ sitim explent.

III. *Et continuò accurrit unus habens spongiam acetô impletam, imposuit arundini & hyssopo, & dabat ei bibere.* Considera an hæc sit justa merces illius oris, quod ad nostram salutem toties apertum fuit, & linguæ illius, quæ tot documenta dedit, tot ægros curavit, tot edidit miracula. Sed Christus, qui jam pro cæteris peccatis tuis aliîs pœnîs satisfecerat;

vo-

voluit etiam gulæ & intemperantiæ medicinam adhibere, & os quod esu pomi in Paradiso erat infectum, hac amaritudine quasì antidotô purgare. 2. Considera, nos acetum porrigere Christo, cùm in rebus ad salutem spectantibus sumus tepidi & negligentes: mundo verò merum vinum præbere, cùm nulli labori parcimus, in honoribus & existimatione nominis aucupanda.

MEDITATIO XXXII.

De sexto Christi verbo. Joan. 19.

I. CUm *accepisset JEsus acetum, dixit: Consummatum est.* Considera non dictum esse: Consumatum est hoc vel illud, sed absolutè: ut scias hâc Dominicâ Passione omnia perfecta, tam in cœlis quàm in terris, tam quæ ad Deum, quàm quæ ad homines pertinent. Sicut enim peccatum violavit omnia, ità Christi sanguis restituit omnia: ut discas & in Christi Passione omnia quærere, & cum Apostolo, in nullo nisi in cruce Domini gloriari. Gal. 6.

II. Considera quomodò consummârit omnia, quæ ad Deum vel ad se pertinebant. Primò enim quicquid à Prophetis prædictum, per figuras veteris Legis præfiguratum à voluntate æterni Patris decretum vel mandatum: quidquid denique ad redemptionem nostram opus erat, perfectissimâ obedientiâ explevit. 2. quia nulla pars, nullum membrum in eo expers crucis fuit: anima tristis fuit ad mortem: corpus totum flagrîs laceratum, caput confixum spinîs, capilli evulsi, facies deformata sputîs & alapîs, aures vexatæ blasphemiîs & injuriîs, manus & pedes transfossi clavîs, lingva fellis & aceti amaritudine imbuta, sanguis totus effu-

fusus. 3. extremam manum apposuit omnium virtutum speculo & exemplari. In vita enim & Passione elucet perfectissima obedientia, humilitas, patientia, fiducia, fortitudo, perseverantia, & infinita charitas.

III. Considera quomodò consummârit omnia nos concernentia. Peccatum enim finem accepit, debita omnia soluta, fidelibus omnia bona comparata, nihil ut nobis desit in ulla gratia, Ecclesia nova cum novo Sacrificio, novis Sacramentis & Legibus erecta, & missione Spiritûs Sancti in æternum confirmata, Sanctorum in Lymbo desiderium completum. In malis quoque odium Judæorum est finitum, imperium diaboli eversum, vires ejus fractæ, in abysso catenâ constrictus, nihil amplius metuendus, sed etiam puerulis irridendus. Tu ergò post tanta beneficia nè sis ingratus; sed conformes te ejus voluntati: *Voluntas* enim *ejus est sanctificatio nostra*, ut loquitur B. Paulus 1. Thess. 4.

MEDITATIO XXXIII.

De septimo verbo Domini in cruce. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19.

1. JESUS *magna voce clamans, ait.* Considera Christum quoties Patri pro se locutus est, clamâsse; ad alios, vel pro aliis, non itèm: ut discas magno affectu cum Deo agendum, & non aridè vel frigidè: Deinde ut scias illô momentô ad omnium dolorum culmen perventum fuisse. 2. Considera, cur clamârit orando, nempe ut indicaret se vitæ mortisque Dominum, nec *nisi vocata*, inquit sanctus Gregorius Nazianzenus, *ausa fuisset accedere.* 2. ut Deum Patrem ad commiserationem pro totius mundi peccatis flecteret: omnium enim peccatorum

per-

perſonam in cruce ſuſtinebat. 3. ut ad infernum vox penetraret, quæ ibi exhilaravit Patres in Lymbo, ſed perterrefecit dæmones. 4. ut corda omnium hominum ad pœnitentiam comoveret.

II. *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Conſidera Chriſtum Scripturæ verbîs orare: ut te doceret non tuô judiciô & ritu Deum colere; ſed illô quem à Spiritu ſanĉto diĉtata Scriptura, vel ab eodem doĉta Eccleſia tradit. 2. Conſidera eum non orâſſe, vel metu judicii & inferni, vel quòd indigeret commendatione apud Patrem; ſed ut doceret te invictum ab oratione ſpiritum, non relaxare, ſciresq́; omnes pios hac oratione Deo comendatos. Hos enim ſpiritûs nomine compellat Dominus, qui ejus ſpiritu ſunt imbuti, *Qui* (inquit) *natus eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*, Joan. 3. Si autem nos Chriſtus comendat Patri, decet & nos eidem animas commendare in benefactis.

III. *Hæc dicens, inclinato capite, tradidit ſpiritum.* Conſidera inclinâſſe caput, ut indicaret, quàm grave onus peccatorũ ſuſtinuerit: 2. quàm pauper fuit, non habens etiam in morte, ubi caput reclinet: 3. ut tibi ſuggerat, quanta ſint crucis commoda: 4. precibus tuis merito Paſſionis ſubnitentibus annuat. 2. Conſidera eum tradidiſſe Spiritum, tum Patri in tertium diem aſſervandum, tum nobis. Dederat enim nobis ante corpus ſuum, ſanguinem & veſtes, reſtabat, ut daret & animam, ut pretium redemptionis noſtræ fieret perfectum: ut diſcas te tuum non eſſe, ſed Chriſti, quia ſuîs membrîs tua, ſuîs potentiîs tuas, ſuo corpore tuum, ſuâ animâ tuam mercatus eſt ſibi & redemit.

ME-

MEDITATIO XXXIV.

De signis mortem Christi secutis, Matth. 27. Marc. 15. Lucæ 23.

1. E*Cce velum Templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum.* Considera, Christo spiritum cum clamore emittente, omnes creaturas ingemiscere, ac si cum Conditore suo vitæ finem faciente, & ipsæ deficere velle viderentur. Omnes, hominibus præ metu deficientibus, in ultionem impiorum se paratas exhibent, Deoque suo etiam viscera offerunt. 2. Considera velum Templi ideo scissum, quia morte Christi omnia veteris Testamenti mysteria, maximè autem cruentorum sacrificiorum patefacta sunt. Apertus & aditus est in vera Sancta Sanctorum, id est in cœlestem patriam: ut discas imposterum omnium excusationum & peccatorum vela à corde tuo tollere, & interiora Deo & Sacerdoti per confessionem patefacere in hac vita: sic enim opus non erit post mortem in die Judicii illa scindere, & totì mundo manifestare.

II. *Et terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Considera cùm Judæi peterent silentium Judici, turbis clamantibus: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, Luc. 19. Christum respondisse, iis tacentibus lapides clamaturos. Id verè nunc evenit: hominibus enim Christum confiteri non audentibus, petræ, diruptione, testimonium dant ejus divinitatis. 2. Considera, si nos qui quovìs peccatô lethalî Christum crucifigimus, de peccatis non conteramur, nec Passionî Christi compatiamur, nec tremendum Judicii diem timeamus, terrâ sumus insensibiliores, petrìs duriores, & mortuìs magìs mortui.

III. *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum surrexerunt, & in sancta civitate multis apparue-*

runt. Considera hôc signô omnium maximô, Christum, apertîs inferorum portîs, sanctos Patres liberos emisisse: 1. eadem morte fœtentia cordiū sepulchra aperienda esse, ut inde fœtor omnis peccatorum exhalaret.; 2. corpora justorū aliquando resurrectura, & cum Christo sinè fine victura. 2. Considera hîs quinque Dominicæ Passionis signîs contineri effectus quos in anima peccatoris operatur. Primò enim, scissô velò ignorantiæ, judicii dies & pœnæ inferni illi objiciuntur: 2. terra, id est mens, timore illorum commovetur ad resipiscendum: 3. cor saxeum ad pœnitentiam emolitur: 4. per confessionem è sepulchro peccatorum extrahitur: 5. restituitur vitæ gratiæ, & dignus fit ingressu civitatis sanctæ supernæ Jerusalem.

MEDITATIO XXXV.

De conversione Centurionis. Matt. 27. Marc. 15.

1. *Videns Centurio, qui ex adversô stabat, quia sic clamans expirasset, visô terræ motu, timuit cum suis valde.* Considera quàm velociter sanguis Christi suas exerat vires, oratione tam efficaci Deo Patri oblatus, quâ pro crucifigentibus rogàvit. Quæ enim terræ motu, aliîsque signîs indicabantur, eadem hic in animis hominum perficiuntur. Tu spem firmam concipe, eum, tuis necessitatibus unquam defore, qui etiam carnifices suos ad pœnitentiam revocavit. 2. Considera quæ conversionis Centurionis, sociorumque fuerit causa, nempe quia ex adversô stabat, id est mores, gestus & verba Christi sedulò observabat; sic tu, si converti velis, diligenter perlege vitam Christi, ejusque virtutes observa. 3. Considera, omnes timuisse, conspectîs miraculîs, quia *initium sapientiæ est timor Domini*, Prov. 1.

II.

II. *Et glorificaverunt Deum, dicentes: Verè hic homo justus erat: verè hic homo Filius Dei erat*, Luc. 15. Considera hunc primum Crucis Dominicæ fructum esse, ut Deo, sua gloria, integra fide tribuatur, & quidem à carnificibus suis. Magna bonitas Domini, tanta facilitate eorum crudelitatem in mansuetudinem commutantis, & opprobria in laudes Angelicas convertentis! 2. Considera ingens miraculum: in morte atroci & infami illum à gentibus agnosci Deum, qui vix homo præ corporis deformitate videretur. Nempe sanguis Christi ea credenda persvadet, quæ etiam omnem fidem humanam excedunt.

III. *Omnes quoque è turba videntes quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus à longè, & mulieres multæ, quæ in Galilæa ministrârant ei.* Considera, terræ motu & aliis signis ità turbam moveri, ut incipiant confiteri eum, quem antè spernerant: ut discas adversitatem sæpe utiliorem esse prosperitate, quia reddit nos cordatiores. 2. Considera à longè stetisse mulieres notas, quæ Christo ministrârant: ut discas hanc mercedem rependi earum charitati & eleemosynis, quòd ad crucem usque perseverârint; sed à longè stetêre, quia exigua earum crux fuit, si cum Christi cruce conferatur.

MEDITATIO XXXVI.

De Latere Christi aperto. Joan. 19.

I. *JUdæi, quia erat dies Parasceve, rogârunt crucifixorum frangi crura; sed latronum tantùm fracta sunt.* Considera Judæos, cultûs divini prætextu, longe aliud voluisse, ut nimirùm Christum, quem expirâsse nesciebant, graviori cruciatu de hac vita tol-

tollerent: ut discas hominum improborum malitiam semper crescere, juxta illud: *Mali homines & seductores proficient in pejus*, 2. Tim. 3. 2. Considera, utrumque latronem commune quidem sustinuisse supplicium; sed bonus ille peccata delevit, & nomen Martyris sibi comparavit, juxta Augustinum, malus gehennam addidit: ut discas quàm mundus & diabolus suis cultoribus mercedem reddant, nempe duplicem pœnam.

II. *JEsu autem, cùm eum viderent mortuum, non fregerunt crura; sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.* Considera quàm magnum fuerit vulnus: Non enim, ùt notavit Augustinus, ait Scriptura, *Latus percussit*, sed *aperuit*. Unde & beatus Thomas à Domino jussus est ei inferre manum post Resurrectionem. 2. Considera Christum amore voluisse id fieri, ut nihil de amore se remisisse ostenderet, imò si opus foret, paratum iterum pati, ac *ut quicquid in corde resederat sanguinis*, ait beatus Cyprianus, *effunderet, nihil sibi reservans*. Deinde ut amoris tui signum indelebile insculperet ad hæc, ut ad cordis ejus intima, velut per ostiolum, in latere arcæ penetrares. Denique, ut sicut ex latere dormientis Adæ educta est Eva, sic ex latere Christi dormientis Ecclesia: aquâ enim Baptismi fideles generantur, & sanguine in Eucharistia cibantur.

III. *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus, ut & vos credatis: Facta enim sunt hæc, ut Scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo*, Exod. 12. &, *Videbunt in quem transfixerunt*, Zach. 11. Considera ideo sanctum Joannem multîs verbîs dicere se esse oculatum testem: ut discas esse mysterium magni momenti. 2. ideo quod de Agno Paschali in Exodo scribitur, Christo attribui, quia ipse est verus

rus Agnus, cujus os non debet comminui, id est, ejus potentiam in Eucharistia non debemus scrutari, vel fraternam caritatem violare. 3. in die judicii vulnera Christi impiis fore conspicua: ut discas quanta gloria sit Martyrum futura in cælo, qui cum Christo vulnerum cicatrices velut gemmas retinebunt.

MEDITATIO XXXVII.

De depositione de Cruce. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19.

I. *CUm esset serò, venit Joseph ab Arimathia, homo dives & nobilis decurio, vir bonus & justus, & occultus JEsu discipulus.* Considera Dominum duobus Josephis commendasse suam personam: Uni initiô vitæ, à quo gubernaretur; alteri in fine, à quo sepeliretur. Joseph idem est quod accrescens vel proficiens, quia JEsus iis tantùm se communicat, qui in vita spirituali in dies proficiunt. 2. Considera Joseph occultum fuisse discipulum JEsu; sed nè perderet tandem tantum thesaurum, prodidit se, contemptîs periculîs: ut discas te non obtenturum JEsum, nisì contemnas timores humanos, & paratus sis aliud pati. Rosæ non colliguntur sinè spinarum puncturis.

II. *Hic non consenserat actibus eorum, quia expectabat Regnum Dei. Hic audacter à Pilato petiit corpus JEsu, & impetravit, cùm ex Centurione audisset esse mortuum, de quo mirabatur.* Considera alias virtutes Josephi, si vis esse dignus corpore Domini, primò enim vitanda sunt malorum consortia: 2. ad Regnum cæleste est anhelandum. 3. constanter perficienda sunt, quæ Dei gloriam promovent. 4. sæpè magno desiderio & devotione petendum est & accipiendum cor-

pus Domini. 2. Confidera miram obedientiam Christi poſt mortem, quòd noluerit corpus deponi citra licentiam legitimi Magiſtratûs; & ut illud ex gratia ab eo peteretur, tamquam malefactoris, quo terræ mandari poſſet. Deinde eximium in nos amorem, quòd poſtquam dedit nobis ſanguinem, animam & vitam, pro conſolatione noſtra voluit etiam corpus ſuum Joſepho, & in eo nobis donari.

III. *Joſeph autem mercatus ſyndonem mundam, corpus JEſu depoſitum illi involvit.* Conſidera quantam reverentiam Joſeph cruci exhibuerit, clavos ipſe evulſerit, & de cruce (juvante Joanne & mulieribus paulatim, excipiente illud in ſinum Matre ſua B. Virgine) demiſerit. Quot hìc ſin ultus! quot ſuſpiria omnium & lachrymæ! Vide quomodò in oſcula B. Mater ruat totius corporis, quomodò in pectus B. Joannes, quomodò ad pedes Maria Magdalena! 2. Conſidera ſyndonem eſſe, mundam a peccatis conſcientiam, in qua debemus corpus Domini excipere, dum communicamus; & ſi non habemus, nummô pœnitentiæ emere.

MEDITATIO XXXVIII.

De ſepulturæ Domini. Joan. 19.

1. *VEnit & Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & aloës quaſi libras centum: Corpus autem Chriſti ligârunt linteis cum aromatibus.* Conſidera quantùm Nicodemus ex Paſſione hac profecerit. Priùs venerat ad JEſum nocte, nunc palam; tunc nihil præter quæſtiones afferebat, nunc fert pretioſa aromata, & officium exhibet ſepulturæ: ut diſcas in virtutibus progreſſum facere, omnemq; metum & turpem verecundiam excutere. 2. Conſidera neutrum acceſſiſſe munere vacuum: nam Joſeph linteum &

no-

nobile sepulchrum dedit. Nicodemus myrrham & aloëm in magna copia tulit ad obsequium corporis mortui, ut tu quoque ejus honori libenter labores tuos consecres. 3. Considera quid officii præstiterint corpori deposito, quàm sedulò omnia ejus vulnera contemplati sint; quoties osculati: quàm reverenter in subjectam pelvim, sputa, cruorem, aliasque sordes abluerint, & pro reliquiis conservârint; quomodò ablatum corpus linteis ligârint, & caput sudariô texerint.

II. *Posuerunt autem JEsum in monumento quod Joseph exciderat in petra, in quo nondum quisquam positus erat. Et advolvit Joseph saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.* Considera Christum voluisse sepeliri, ut nihil quæ ad homines pertinent, prætermitteret: 2. ut tu, maximè si Religiosus sis, cogites te esse ùt mortuum & sepultum mundo & concupiscentiis ejus. 2. Considera ùt sacra vasa in Templo, sic corpora nostra, quibûs corpus Domini in comunione recipimus, posse dici sepulchra Domini. Tunc autem sunt in petra excisa, quando in virtutis cultu constantes sumus. Magnum autem saxum sepulchro nostro advolvimus, cùm gratiâ Dei ità munimus pectus, ut nullus aditus sit dæmoni, carni & mundo.

III. *Mulieres autem sedebant contra sepulchrum, aspicientes ubi poneretur corpus JEsu, & revertentes paraverunt aromata & unguenta.* Considera te, cùm corpus Domini susceperis in corpus tuum, velut sepulchrum, decere à distractione mentis cavere, cum Mariis autem istis perseverare in contemplatione JEsu in corde tuo sepulti. 2. non satis esse ut Christus semel sit unctus, sed cum mulieribus alia unguenta paranda, quia de virtute in virtutem est procedendum.

MEDITATIO XXXIX.

De custodia sepulchri. Matth. 27.

I. PRincipes Sacerdotum rogant Pilatum, ut jubeat custodiri sepulchrum, nè discipuli eam furentur, & dicant surrexisse. Seductorem enim illum dixisse: Post tres dies resurgam. Considera quale studium impiorum illorum sit in tanto sabbato, quod erat festum Paschæ, ut obscurent gloriam Christi: quando enim cum Deo agendum erat, agunt cum homine prophano & infideli. Quos tu imitaris, dum negotiis externis diebûs festîs, quando Templa & Sacramenta frequentanda sunt, distineri te finis. 2. Considera timeri ab istis impiis Christum etiam mortuum: quantò magis timebitur vivus, dum veniet cum majestate vivos & mortuos judicaturus. 3. Considera cur Christum vocent seductorem, nempe quia populum ad veram fidem & salutem, Apostolos verò Evangelicam perfectionem adduxit, & doctrinam suam miraculis firmavit: ut non mireris nunc quoque vocari seductores, qui alios ad Catholicam fidem, ad perfectius vivendi genus, & religiosam vitam traducunt.

II. *Ait illis Pilatus: Habetis costodiam: ite, custodite sicut scitis.* Considera eum qui semel impiorum voluntati consensit, non posse se facilè ab eorum importunitate subducere, ùt hic accidit Pilato, & experiuntur qui semel dæmoni se addixere, aut meretriculæ amori dedidere. 2. Considera inde factum, ut Pilatus qui priùs pro Christo stabat, nunc metu perculsus cum Judæis contra eum conspiret, dicens: *Habetis præsidiarios meos milites: diligenter ergo custodite.* Hic enim fuit peccati fructus, ut & auctor fieret incensorque malorum, & totus metu ob factam mentionem resurrectionis trepidaret.

III. *Illi abeuntes munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.* Conſidera hanc impiorum contra Deum ſollicitudinem gloriam Chriſti magis promoviſſe, & accidiſſe quod illi veriti ſunt, nè noviſſimus error eſſet pejor priore: quò enim plures cuſtodias & ſigilla adhibuêre, hòc teſtatior facta eſt Chriſti reſurrectio, & omnis ſuſpicio furti adempta. 2. Conſidera ſtudiũ Judæorum in malo, te ſalubriùs imitari poſſe in bono: ut, ſi velis JEſum non tolli ex animæ tuæ ſepulchro, præſerves te non ſolùm ab operibus malis cuſtodiendo ſenſus externos; ſed etiam obſignes ſignô Crucis, & cuſtodias cor à cogitationibus & deſideriis pravis.

MEDITATIO XL.

De deſcenſu Chriſti ad Lymbum. Epheſ. 4. Coloſſ. 2.

I. CONſidera, quomodò Salvator noſter eadem immenſa in nos caritate quâ pro nobis Crucem aſcendit & Paſſionem conſummavit, mox ad inferos in propria perſona deſcendit, ut opus Redemptionis quàm perfectiſſimè abſolveret. Sicut enim mortem elegit, ut nos à morte vindicaret; ità & deſcenſum hunc in intima, & obſcuriſſima terræ penetralia ſuſcepit, ut ſuos ab inferis liberaret. Unde diſcis 1. negotia gloriæ Dei & ſalutis animarum per te, & non per alios, perficere. 2. non dedignari pro conſolatione vel auxilio proximorum vilia loca, ùt hoſpitalia, carceres, & pauperum viſere tuguria.

II. Conſidera quàm incredibili gaudiô perfuſi ſint omnes Patres, qui in obſcuriſſimis terræ locis inde à condito orbe per duo, tria, quatuor, quinque millia annorum latuêre, cùm perfringi inferni portas audirent, animamq́; Chriſti cum ingenti fulgore, Angelis innumeris ſtipatam ingredientem viderent. Præcurrebat ibi reliquos ſinè dubio Joannes Baptiſta, & di-

gitô omnibus demonstrabat illam esse Christi animam, quem ipse baptizasset. Tum primus generis humani parens Adam, supplex ad Christi pedes, & amplexum ruebat: idem Noë, Abraham, David, & alii faciebant. Eò autem majus fuit gaudium, quò major & diuturnior per tot annorum curricula fuit hujus adventûs expectatio, quô clariùs viderunt omnes promissiones Patribus factas, reipsa completas, omnesque tribulationes perpessas conversas in summam felicitatem & gloriam. Sicut enim in cælo & in terra nullum præstantius bonum est, quàm Deus; sic nullum majus potest esse gaudium, quàm Deum videre & possidere.

III. considera quomodò ad Christi adventum omnes tartarei spiritus cœperint contremiscere: & post ereptam tot Patrum prædam, quam cum summo triumpho, fracto eorum robore & potentiâ, gloriosè eduxit, cœperint fremere & tumultuari, & lamentabili ululatu suam servitutem deflere. Triumphabis & tu de dæmone, multosque ejus faucibûs eripies, si multa cum Christo patiare, & tentationibus dæmonis, mundi & carnis fortiter restiteris.

ME-

MEDITATIONES DE SANCTISSIMO SACRAMENTO *Eucharistiæ, pro iis, qui crebriùs communicant.*

MEDITATIO I.

De excellentia Sacramenti Eucharistiæ.

I. COonsidera in isto Sacramento contineri 1. Christi divinitatem, fontem gartiæ, omniumque donorum spiritualium. *In Christo enim inhabitat*, teste Apostolo Coloss. 2. *omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & omnes thesauri sapientiæ in eo sunt reconditi.* 2. animam Christi, omnis sapientiæ, gratiæ, & virtutum plenissimam, omnes creaturas corporales & spirituales perfectione superantem. 3. sanctissimam Christi carnem à Spiritu sancto ex purissima carne sanguineque gloriosæ Virginis Mariæ formatam, & hypostaticè divinitati unitam. 4. sanguinem sacratissimum à Christo primùm adhuc infantulo, dum circumcideretur, deinde verò in ara Crucis copiosissimè effusum: ut tu discas quoque circumcidere & resecare pravos tuos affectus, & inordinatas animæ perturbationes mortificare.

II. Considera excellentiam hujus Sacramenti posse nobis constare. 1. quia Deus illud in veteri Testamenti præstantissimis figuris præmonstravit: ùt panis & vini à Melchisedech oblati Abrahæ, panum propositionis, panis subcinericii Heliæ, Agni Paschlis, man-

mannæ, arcæ fœderis, & farinæ Helizæi. 2. variîs nominibûs appellavit in Testamento novo: ùt panis, potûs, carnis & sanguinis, Eucharistiæ, communionis, corporis Domini, calicis, viatici, Sacramenti, sacrificii. 3. multîs admirandîs miraculîs, variîs locîs & temporibûs illustre reddidit. 4. quia Angeli magnô numerô, ubi hoc Sacramentum conficitur, & reverentiâ (ùt loquitur beatus Chrysostomus) assistunt, & supplîces illud venerantur. 5. quia omnes sancti Patres multîs laudibûs illud prosequuntur, & pro nobilissimo mysterio, imò omnium sacrificiorum veteris Testamenti complemento prædicant. 6. quia Ecclesia non solùm quotidie illud conficit, & ad venerationem conservat; sed etiam solennibûs Festîs & Processionibûs, quotannis celebrat. 7. quia nihil æquè horrent dæmones ac Eucharistiam.

III. Considera miracula stupenda, quæ sunt in hoc uno Sacramento. Primò enim, consecratione à Sacerdote peractâ, panis in corpus Domini, & vinum in sanguinem transsubstantiatur: imò utrumque in totum Christum, utì jam est in cælo. 2. accidentia panis, ùt quantitas, figura, & qualitates, ibi manent sinè subjecto. 3. licèt hostia variîs modîs afficiatur, pungatur, comedatur, calefiat, &c. nihil tamen inde patitur corpus Christi, quia est incorruptibile, sicut in cælo. 4. unum corpus Christi non solùm est in duobus locis simul, ùt in cœlo & in altari; sed in mille, id est, ubicumque sunt hostiæ. 5. nec solùm est totus Christus cum carne, anima & divinitate in hostia; sed etiam in qualibet hostiæ parte, si fortè frangatur. 6. totus est in minima etiam particula, quæ speciem panis vel vini retinet; cum omni sua quantitate & ac-

ci-

cidentibus: & alia plura, quæ omnia Christus fecit ex solo amore tui, ut tecum esse posset, tibique prodesse.

MEDITATIO II.

De causis institutionis hujus Sacramenti.

I. CONsidera, primam & præcipuam causam esse, ut declaret quanto amore, nempe infinito & immenso, nos prosequeretur: unde Joannes de ultima cœna acturus cap. 13. *Cùm* (inquit) *dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Dedit enim Christus nobis in hac institutione, non aurum, non gemmas; sed thesaurum omnium thesaurorum, corpus suum & sanguinem, animam & divinitatem, Deum & hominem, quô nihil majus & præstantius dari potuit. 2. Considera, hoc donum nobis præparavit eo tempore, quô Judæi præparabant virgas, spinas, contumelias, blasphemias, clavos, crucem, & omnis generis tormenta Christo. Unde intelligis quantum obstricti simus vicissim amare donum & donatorem, & crebrò hoc Sacramentum usurpare.

II. Considera alteram causam esse, ut nobis vitam & suæ Passionis, imò totius vitæ, memoriam relinqueret. Unde & præcipit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, Matth. 26. Tertiam verò, ut sua præsentiâ reali & perpetuâ continuo solatio sponsæ suæ, quæ est Ecclesia, & cuique animæ fideli esset. Quartam, ut membra capiti in uno corpore conjungeret, sic ut illud membris semper posset se communicare, & in ea influere, sinè quo influxu illa mortua essent. Quintam, ut hac esca & potu spirituali suæ sanctissimæ humanitatis nos invitaret & traheret ad contemplationem & amorem suæ divinitatis.

III.

III. Confidera & alias caufas, ut fextam, ad confervandam fcilicet vitam noftram fpiritualem, cùm ifte panis fit fpiritualis, qui facit nos crefcere in fpiritu, ficut & cibum corporalem nobis providet, ut crefcamus in corpore. Septimam, ut medicinam nobis contra quotidianas infirmitates, id eft contra peccata, relinqueret, ficut & reliquit contra vulnera & morbos corporum. Octavam, ut non careremus facrificio vero ad divinam majeftatem placandam, quam quotidie offendimus, & ad gratias agendas pro beneficiis quæ in dies recipimus. Nonam, ut nobis occafionem præberet admirabili modô exercendi tres virtutes Theologicas; Fidem, Spem &Caritatem, cùm in hoc Sacramento id maximè requiratur. Decimam & poftremam, ut intimè ipfi Deo conjungeremur, quippe cùm ipfe fit hujusmodi cibus in hoc Sacramento, qui manducantem in fe convertat.

MEDITATIO III.

De dignitate quæ homini accidit in hoc Sacramento.

1. CONfidera, dum communicas, te fieri Templum Spiritûs fancti, & tabernaculum totius Trinitatis, circumdarique infinitô Angelorum numerô canentium, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ut ergo Templum femper debet effe mundum & ornatum, fic cogita debere effe cor tuum purum & virtutibûs ornatum. 2. animam tuam fieri thecam reliquiarum corporis & fanguinis Domini, quæ longè omnes Sanctorum reliquias excedunt. Ut ergo ejusmodi thecæ funt aureæ & argenteæ, margaritîsque & gemmîs ornantur; fic cura, ut anima tua aurô caritatis & argentô caftitatis, & aliorum donorum cœleftium gemmîs fit inftructa.

.II

II. Considera te communione fieri quasì matrem Dei, sposam JEsu, fratrem Christi, imò beatæ Virginis filium: quoties enim cōmunicas, gignis in te Christum, & gigneris à Christo, quia corpus tuum & animam tuam in suam carnem transformat. Operam ergo dare debes, ut & imiteris beatam Virginem, maximè in humilitatis virtute, quâ factâ est Mater Dei. 2. te fieri sepulchrum vivum Christi, non mortui, sed viventis, in quo non tantùm quadraginta horis, ùt in illo lapideo, sed perpetuò quiescat. Ut ergo sepulchrum illud erat novum & mundum, & corpus Christi involutum in syndone munda continebat; (unde & in Altari ponitur in corporali mundo) sic cura animam tuam ante Communionem semper expurgari ab omnibus peccatis etiam venialibus, omnibusque carnalibus affectionibus.

III. Considera te, dum cōmunicas, fieri hospitem Christi, si Christus cùm adhuc degeret in terra, vel semel in domum tuā divertisset, certè beatissimū te reputâsses: quanto beatior nunc es, dum quoties voles non in domum; sed in corpus & animā tuam, eumq́; immortalem & gloriosum recipis: Nec solùm benedictam ejus vestem vel carnem tangis, manusque vel pedes oscularis; sed ore ipso sumis & intimè complecteris. 2. te fieri ex crebra Communione Dei Aulicum & Cubicularium, assidere mensæ Regiæ, & vesci epulo pretiosissimo carnis & sanguinis Domini. Nulla umquam mater inventa est, quæ carne sua paverit proprium filium: at Deus hìc proprii filii carnem manducandam apponit. Vide ergo quàm debeas esse humilis, verecundus, comptus, & omni virtute ornatus.

ME-

MEDITATIO IV.

De præparatione ad Communionem.

1. CONsidera à Scriptura sacra nos moneri de hac præparatione verbîs & exemplîs. Verbîs: nam in primo Regum cap. 7. dicitur: *Præpara te Israël in occursum Domini Dei tui, quia ecce veniam, & manebo in medio tui.* Et in Epistola beati Pauli 1. Cor. 11. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat:* quam probationem Ecclesia intelligit de Contritione & Confessione Sacramentali peccatorum mortalium. Exemplîs verò, quia si ad manducandum panes propositionis, qui erant typus sanctæ Eucharistiæ, tanta munditia requirebatur, & ad sumendum Agnum Paschalem opus erat tot ceremoniis: si Joannes Baptista indignum se reputabat, ut tangeret Christum, & Petrus ut secum esset in navi, ac Centurio ut intraret sub ejus tectum; quomodò nos digni erimus sinè præparatione? Certè de primis Christianis, qui quotidie communicabant, in Actis cap. 4. scribitur, quòd multitudinis credentium cor unum erat & anima una, & perseverantes erant in oratione. 2 si natura & ars longè melius opus producant, quando materia priùs benè est disposita, & si homines hujus sæculi honoratissimè se vestiant dum invitantur ad nuptias, atque itèm magnô studiô se comparant, quando Princeps aliquis vel Dux hospitio recipiendus est, quid non facere debeamus, cùm suscipiendus est Rex Regum & Dominus dominantium, maximè cùm non veniat sicut Principes terreni, ut tantum hospitio suscipiatur; sed ut animam tuam cœlestibûs donîs ornet ac locupletet? Deinde, si in communione anima nostra conjungitur Deo, sicut reverà conjun-

jungitur; quomodò dignè fieri potest ista conjunctio, animâ existente impurâ & tepidâ, cùm Deus sit purissimus & ignis consumens?

II. Considera mirabiles effectus & fructus produci in anima per dignè & cum debita præparatione peractam communionem; ut pote gratiam in anima mirificè augeri, intellectum illustrari, voluntatem accendi, cor confortari, conscientiam exhilarari, amorem mundi in Dei amorem converti, devotionem excitari, familiaritatem cum Deo iniri, pignus gloriæ divinæ accipi, omnes virtutes capere incrementum. 2. ejusdem beneficiô te posse & debere multas exercere virtutes, quas abstinendo à Sacramento non exerceres: nam qui communicare vult, 1. templum adit. 2. cogitat de vita emendanda. 3. dolet de peccatis. 4. humiliter confitetur, & absolutionem consequitur. 5. pœnitentiam injunctam explet. 6. orat devotiùs. 7. ædificat proximum. 8. exercet actus religionis. 9. profitetur fidem. 10. exercet actum amoris erga Christum. Ah quot millibus hominum in mundo ignotus est hic thesaurus? Quàm pauci illum quærunt, quibus notus est! O! quàm multi vellent illum quærere, non tamen illis permittitur occasio! Quot sunt in Germania sola, qui optarent vel micas de mensa Domini colligere, & copia non datur? quot reputarent se beatos, si vel semel in mense possent esse convivæ Christi? imò quot Monachis & Monialibus potestas communicandi adempta est? 2. Considera, si nobis Dominus dedit, quod tot hominibus negavit & quotidie negat, quanta debeamus pro tam singulari beneficio agere gratias? & quominus dignas reddere possumus, eò pluris debemus hoc Sacramentum facere, & crebriùs fre-

quentare, ut ipſemet ſibi id nobis, & per nos eas reddat gratias, quas nos reddere deberemus.

III. Conſidera animam, ut Deo dignè conjungatur per communionem, 1. purgandum eſſe à peccatis maximè lethalibus, nè judicium ſibi manducet & bibat, idq; per contritionē, confeſſionem, ſatisfactionem, ac timorem extremi judicii, & pœnarum inferni, nam qui conſcius ſibi peccati mortalis, audet accedere ad communionem, vel miſſam celebrare, maximum ſacrilegium committit, ſimilis eſt Judæ proditori in quem poſt indignè ſuſceptam communionem introivit Diabolus; ah quantus horror illis eſſe debet, qui ſæpe hoc ſanctiſſimum Sacramentum ſuſcipiunt, & quotidie peccant, nec de emendatione ſuæ peccaminoſæ vitæ ſeriò cogitant! Nulla enim fit Deo major injuria quàm per indignam & ſacrilegam communionem, *Qui enim manducat & bibit indignè* inquit S. Paulus, *judicium ſibi* ac damnationem *manducat & bibit*. 2. ab omni averſione à proximo, contentionibus & rixis, memor verborum Chriſti Matth. 5. *Quando offers munus tuum ad altare*, &c. *vade reconciliari fratri tuo*. 3. ab omnibus affectibus inordinatis & rerum terrenarum cupiditate, ut per amorem anima Deo, à quo receſſit, iterum purè uniri poſſit. 4. ab omni turpium cogitationum ſpecie, quia corpus ſumitur puriſſimum, imò ab omnibus peccatis venialibus, quia devotionem impediunt. 2. Conſidera cum Centurione te eſſe omnino indignum ſacra communione, & ideo ſupplex precare Deum, nè reſpiciat tuam indignitatem; ſed dignum te ſecundùm magnam miſericordiam ſuam movendo ad veram contritionem faciat: *Cor contritum* enim *& humiliatum Deus non deſpicit*, Pſal. 50. Fatere te infirmum, mortique vi-

ci-

cinum, & ideo debes confugere ad Medicum; pauperem & mendicum, & ideo pulsare debes ad januam divitis: esse filium prodigum, & ideo in terram prostratum clamare obligaris: *Pater, peccavi in cœlum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus*, Luc. 15.

MEDITATIO V.

De fine vel intentione communicantis.

I. CONsidera, inter ea quæ ad præparationem sunt necessaria, principem ferè tenere locum, rectam intentionem vel finem, quem in communicando habere debes: *Si enim oculus tuus fuerit simplex*, ait Christus Matth. 9. *totum corpus tuum lucidum erit: si autem fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* 2. Considera intentionem vitiosam vel certè minùs laudabilem esse posse. 1. si communicares, ut mundo habereris pius & sanctus: hæc enim esset hypocrisis, & vana gloria. 1. si principaliter communicares ad impetranda bona terrena: nam cùm hujus Sacramenti cibus sit spiritualis animæ, non debet primariò referri ad caduca & terrena. 3. si primariò spectares consolationem vel voluptatem spiritualem, quia talis intentio nascitur ex amore proprio. 4. si tantùm id faceres ob consvetudinem, vel quia alii id faciunt.

II. Considera, rectam intentionem esse posse. 1. si communices ad obtinendam remissionem peccatorum, quia hoc Sacramentum etiam est sacrificium, quod offertur pro peccatis. 2. ut libereris à gravi aliquo malo, afflictione, tentatione. 3. ut impetres singularem aliquam gratiam vel donum spirituale. 4. ut gratias agas pro beneficiis temporalibus & spiritualibus tibi, aliisque collatis. 5. ut colas laudesq; Deum & sanctos, cùm hoc sit

ſacrificium omnium maximum. 6. ut tantò familiariùs te conjungas ex amore cum Chriſto, & fias unum cum ipſo. 7. ut juves proximos viventes & defunctos. 8. ut Chriſto gratum præſtes officium, quem ſcis ſummo deſiderio teneri ut nobiſcum ſit. *Delitiæ meæ*, inquit Prov. 8. *eſſe cum filiis hominum.*

III. Conſidera ex omnibus finibus optimos eſſe eos ob quos præcipuè eſt inſtitutum hoc Sacramentum. 1. eſt, ut haberes memoriale Paſſionis Dominicæ, & ideo Chriſtus dixit: *Hæc facite in meam commemorationem.* 2. eſt, ut ſicut cibô corporalî corpus, ità hoc ſpirituali cibô anima paſceretur. Unde Chriſtus Joann. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* : &, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* 3. eſt, ut transformareris in Chrſtum, ut eſſes in Chriſto, & Chriſtus in te. *Qui manducat meam carnem* (inquit ipſe) *& bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* 4. eſt & primarius, ut imbibas ſpiritum Chriſti, *per quem vivamus*, inquit ſanctus Bonaventura, cum ipſa humilitate, caritate, obedientia, amore paupertatis, mortificatione corporis, contemptu mundi, & deſiderio multa patiendi, ſicut Chriſtus vixit.

MEDITATIO VI.

Quid ipſa communione, & poſt eam conſiderandum.

I. CONſidera, ſummo mane ejus diei, quô communicabis, Dominum magnô deſideriô te in Eccleſia, expectare, ut in anima tua requieſcere poſſit. Deinde adeundo illam. 2. cogita quantô gaudiô afficiatur Angelus tuus Cuſtos, dum te comitatur euntem, ut ſuum tuumq; Dominum hoſpi-

ſpicio recipias. 3. eandem ingreſſus, conſpectô Altarî in quo eſt Sacramentum, humilem illi in corde exhibeas reverentiam, auxiliumq; beatæ Virginis, aliorumve ſanctorum Patronorum tuorum invoca, ut te poſtea ad communionem euntem comitentur, & gratiam dignè cum fructu communicandi tibi impetrent.

II. Dum accedis Altare, cogita tibi dici Matth. 25. *Ecce ſponſus venit, exite obviam ei.* Venit ille plenus deſiderio tecum manendî, plenus caritate, benignitate & omni bono. Tu quoque illi obvia plenus devotione, gaudio, reverentia & humilitate, dicens cum beata Virgine, cùm eſſet conceptura Chriſtum. Luc. 1. *Ecce ancilla*, ecce ſervus Domini, *fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* 2. dum jam ſumis, tecum ſic loquere: *Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me*? ſimulq; conſidera quis ille ſit, qui venit, nempe Creator & Redemptor tuus: ac illud ſancti Franciſci uſurpa: *Deus meus, & omnia: Quis es tu? & quis ſum ego?* Adorans interim tota ſubmiſſione cordis eum tamquam Deum.

III. Dum ab Altari receſſeris, 1. age maximas Deo gratias, quòd dignatus ſit animæ tuæ domum intrare. 2. te ipſum tuaq; omnia illi in holocauſtum offer, ſicut ille ſe totum tibi obtulit. 3. exerce actus amoris quasì ſpiritualiter eum amplexando, tangendo, manus & pedes oſculando, rogandoq; ut tecum maneat. 4. expone ei miſerias tuas, inſerviendi ei deſideria, & pete, ut domum tuam optimis virtutibûs exornet, gratiamq; largiatur, ut diem illum in omni pietate tranſigere valeas, nè facilè calor devotionis pereat.

MEDITATIO VII.

De frequentanda Communione.

I. COnsidera in Ecclesia primitiva, quæ ab Apostolis gubernabatur, frequenter, imò quotidie communicatum esse: à qua frequentia omnem sanctitatem & ardorem spiritûs ejus Ecclesiæ manasse certum est. Constat enim quò usus ille postea magis elanguit, hòc sanctitatem populi Christiani plus imminutam. Unde & hòc sæculô quò multis in locis usus ille est restitutus, videmus quoque pristinam reflorescere pietatem & ardorem, Ecclesiamque multis novis sodalitatibus & religionibus augeri.

II. Considera, cùm hoc Sacramentum sit animæ cibus, quô ipsa in vita spirituali alitur & roboratur, manifestè consequi, quò sæpiùs hôc cibô alitur, robustiorem & perfectiorem in vita spirituali reddi. Adde, quòd sub specie panis & vini Christus id instituerit, ut indicaret nos eo sæpiùs uti debere: nam ùt panis communis sæpiùs comestus vitam conservat temporalem, sic ille spiritualem. Unde & Sancti Patres in Dominica Oratione, per *panem quotidianum* intelligunt sanctissimam Eucharistiam. *Si autem rarò sumitur*, inquit sanctus Ambrosius, *quomodò est quotidianus?* 2. expende, cùm hoc Sacramentum sit omnis perfectionis & sanctitatis fons, suosq; salutares effectus omnibus dignè communicantibus communicet; certum esse quò quis communicat crebriùs, hòc amplius eorum effectuum participem reddi.

III. Considera, cùm inter beneficia Christi maxima sit ejus Passio nostraq; Redemptio, nulla re nos magis ingrati animi notam effugere, quàm crebra communione, quia hâc, secundum institutionem

nem Christi, illius renovatur memoria. Dixit enim Joan. 6. *Hoc facite in meam, id est in meæ Passionis commemorationem.* 2. Perpende quòd Christus se desideret à nobis recipi, & proposita promissione, quòd velit manere in nobis & vitam æternam donare, ad recipiendum invitet. Non potest igitur fieri, ut verè amemus Christum, vel desiderio teneamur cum illo manendi, si non recipiamus eum sæpiùs.

MEDITATIONES DE NONNULLIS VIRTUTIBUS Christiano magìs necessariis.

MEDITATIO I.

De humilitate.

1. CONsidera cur totîs viribûs humilitati comparandæ insudare debeas. 1. Christus Dominus ad hanc perfectissimam virtutem, & te & omnes invitat hîs suavissimîs verbîs. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, Matth. 13. 2. hic maximus humilitatis Magister hanc non solùm docet verbô, sed & exemplô: *Humiliavit* enim *semetipsum usq; ad mortem, mortem autem Crucis. Ille verò* (ait sanctus Augustinus) *Christiani nomen frustra sortitur, qui Christum non imitatur.* 3. nemo potest ad Regnum cœlorum sinè humilitate pervenire: *Nisi efficiamini sicut parvuli*, id est humiles sicut ipsi, *non intrabitis in Regnum cælorum*, dicit Dominus. 4. nulla planè virtus sinè humilitate acquiri vel conservari potest.

 Unde

Unde D. Gregorius: *Qui virtutes sinè humilitate congregat, quasi in ve. tum pulverem portat.* 5. solis humilibus amplos favores largitur Deus, qui superbis resistit: & sicut aqua quæ fluit de monte, in valle aliqua retinetur, ità gratiæ quæ de cœlo manant, in corde humili collocantur. 6. humilitate omnes omnino dæmonum insidiæ deteguntur, & tentationes vincuntur & superantur. Quapropter, cùm sanctus Antonius terram universam laqueîs à dæmone tensîs coopertam vidisset, & exclamasset: *O bone Deus! quis tot laqueos poterit effugere? Verùm humilem ab his omnibus plane liberum fore*, Deus ipsi respondit. 7. humilis, perpetuâ fruitur pace, & Paradisi delicias prægustat in hac vita, juxta promissionem Christi Domini, qui post hæc verba, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*; addit, *Et invenietis requiem animabus vestris.* 8. deniq; quò major fuerit nostra humilitas in terris, eò quoque copiosior & abundantior nostra remuneratio futura est in cœlis: sicut enim qui se exaltat, humiliabitur; ità & qui se humiliat, exaltabitur.

II. Considera, humilitatem, virtutem esse quâ quis verissima sui cognitione sibipsi vilescit, seu quâ propriam abjectionem amamus, & pro nihilo nos reputamus. Hujus autem virtutis actus præcipui sunt, 1. de nobis semper humiliter sentire: 2. pro nihilo ab aliis haberi desiderare: 3. virtute omnibus inferiores nos reputare: 4. nos omnium odio dignissimos credere: 5. opera quæ vulgò censentur vilissima, exercere: 6 meliora nostra opera manca & defectuosa judicare: 7. nos ad omnia ineptos & inutilissimos existimare: 8. gratias à Deo acceptas numquam imprudenter manifestare: 9. nihil à nobis boni nos esse vel posse vel habere pro certissi-

tissimo tenere: 10. numquam vel nos vel nostros laude aliqua, etsi levissima, extollere: 11. semper obedientiam imperio & magisterio præferre: 12. nos omni creaturæ propter Deum lubenter subjicere: 13. omnia cæterorum vel dicta vel facta, modò non evidenter mala, approbare, & in meliorem partem semper interpretari: 14. nullas, sive postquam in culpam incidimus, sive dum ab aliis corripimur, excusationes, afferre: 15. denique omnes omnino confusionis occasiones, quæ vel ex ignorantia nostra, veste humili & sordida, pauperum conversatione, vel ex quocumq; alio fonte promanare possunt, non solùm patienter, sed & gaudenter & delectabiliter tolerare.

III. Considera varia media ad humilitatem consequendam proportionata: 1. peccata præterita in mentem revocare, & propter Deum de iis gravissimè dolere. 2. Christi Domini profundissimam humilitatem mirari, meditari & imitari: 3. defectus nostros quotidianos, mentis evagationes, tepiditates, verba otiosa, & innumera id genus frequentissimè considerare. 4. nostram ad cuncta mala propensionem seriò perpendere: *Si* enim (ùt ait sanctus Augustinus) *quis cogitet quòd nullum peccatum facit homo, quod non faceret alter homo, si non impediretur ab eo à quo factus est homo, valde sinè dubio humiliabitur.* 5. culpas suas, quantum prudentia patitur, omnibus libenter & humiliter manifestare. 6. felicem rerum nostrarum successum, & nostrorum gloriam operum, Deo semper tribuere & referre. 7. inter peccatores primum & sceleratissimum, ob divinæ gratiæ abusum, se reputare. 8. unumquemq; tamquam superiorem nostrum arbitrari. 9. laudes, applausus & favores hominum, & præcipuè Regum &

Principum, plus quàm mortem millies fugere & detestari. 10. in imo cordis infigere notabilem sententiam divi Augustini dicentis, *primam, secundam, tertiam, imò & omnem omnino Christiani virtutem humilitatem esse* : non quòd cæteræ virtutes non sint necessariæ, sed quòd omnia nostra bona opera humilitas, & præcedere, & comitari, & subsequi debeat. 11 deniq; à Christo humili quotidie humilitatem humiliter postulare.

MEDITATIO II.

De castitate.

1. CONsidera cur castitatem colere debeas, & in gradu perfectissimo possidere. 1. hæc virtus excellentissima à Deo Domino JEsu Christo, Agno scilicet, quem amicti stolis albis, castos repræsentantes, sequuntur quocumq; ierit) gratissima & jucundissima est. 2. eâdem virtute Angelicâ, nos Angelis pulchritudine, prompta in exequendis mandatis & consiliis Domini voluntate, & tandem remuneratione, similes efficit. 3. hæc pretiosa margarita tanti à castissima Dei matre æstimata est, ut vitâ potius quàm castitate privari centies millies elegisset. 4. nos ab innumeris malis & periculis in quæ ruunt & præcipitantur impudici quotidie, castitas eripit. 5. nostras non solùm animas, sed & ipsa corpora Spiritûs sancti habitacula dignissima, & Domini JEsu Christi per sacram Communionem hospitis nostri augustissima Templa constituit. 6. castitatem vel acquirere vel conservare difficillimum est, ac proinde in hoc præstando & exequendo totis viribus insudandum est. 7. tanta sunt, tamq; innumera privilegia castitatis, ut nec exprimi possint, nec cogitari : Sufficiat dicere, Deum, castissimam Viginem Mariam in Matrem, beatum Joannem

Evan-

Evangelistam in dilectissimum Christi Domini discipulum elegisse, & Susannam ab opressione & impudicitia senum, à gula leonum Danielem, tres pueros ab ardenti fornace, tam charæ sibi & jucundæ puritatis intuitu liberasse. O castitas, virtus Angelica! quàm amabilis! quàm jucunda Deo! quàm utilis es & necessaria, non solùm mihi, sed & omnibus hominibus.

II. Considera virtutem castitatis eam esse, quâ omnem carnis illicitam voluptatem fugimus, & omnes affectus, motus inordinatos refrænamus. Hujus autem virtutis actus præcipui sunt septem. 1. est à nulla umquam fœda & impura cogitatione superari. 2. cogitationes hujusmodi numquam admittere: sed ubi primùm suboriuntur, extinguere & generosè repellere. 3. nullam prorsus pugnam sentire carnis adversùs spiritum, & ex visis mulieribus aliisve quibuscumq; objectis, nullô modô moveri vel alterari. 4. nullo pariter motu appetitûs inordinato vel dormiendo vel vigilando, exagitari. 5. numquam etiam somniando illusiones & obscœnas repræsentationes experiri. 6. denique nihil ad perfectam castitatem acquirendam non agere, & magna cum diligentia eidem tuendæ & perficiendæ invigilare. O utinam ad summum perfectissimæ castitatis gradum pervenissem!

III. Accipe media ad Angelicam castitatis virtutem acquirendam & conservandam efficacissima. 1. humiliter & instanter illam à Deo petere: Sapiens enim ait, *Neminem castum esse posse, nisì Deus det.* 2. in omni adversùs castitatem tentatione ad sacratissimam Domini Passionem recurrere. *Fateor* (ait sanctus Augustinus) *me nullum tam efficax remedium contra ardorem libidinis, quàm Christi vulnera invenisse.*

3. jejuniîs, vigiliîs & ciliciîs carnem macerare: virtutis enim castitatis nutrix, austeritas est. 4. summo honore humilitatem colere: castitas enim sinè humilitate paleâ debilior, & vitrô fragilior est. 5. occasiones castitati insidiantes, & præcipuè otium, cibi & potus saturitatem, & fæminarum societatem magna cum diligentia fugere. 6. Angelum custodem puritatis amatorem, & purissimam Virginem sæpissimè invocare, & multum venerari & diligere. 7. Diligenter oculos custodire, & cum illis pactum inire, sicut sanctus Job. ut nec quidem de virgine cogites. 8. infelicem statum multorum, qui castitatem amittendo, ex Angelis dæmones facti sunt, numquam oblivisci. 9. exempla Sanctorum qui in castitate excelluerunt, ob oculos ponere. 10. deniq; non tepidè & oscitanter, sed magna cum devotione augustissimum Eucharistiæ Sacramentum frequentare.

MEDITATIO III.

De mortificatione.

1. COnsidera cur omnî studiô mortificationi acquirendæ debeas insudare. 1. hæc virtus cuilibet Christiano ad salutem necessaria est. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet*, inquit Salvator, hîs verbîs significans mortificationis ad benè agendum necessitatem. 2. *Qui non bajulat crucem suam*, sive qui minimè studet mortificationi, *non est me dignus* (ait ipsemet Salvator) *nec potest meus esse discipulus*. 3. natura per peccatum adeò corrupta & depravata est, ut nos indesinenter ad malum præcipites trahat, nisi eidem continuò per mortificationem resistere conemur. 4. vir mortificatione destitutus, irrequieto motu

Passio-

passionum suarum fluctibûs agitatur: mortificatus verò animi tranquillitate semper gaudet, & in pace perpetua est. 5. perfecti erimus, si ritè mortificemur, cùm omnes omnino culpæ nostræ à quodam immortificationis genere originem ducant, ùt attendenti patebit. 6. mortificatio tam grata & chara Deo est, ut si Sanctis licitum esset, tanto illam amplecterentur ardore, ut nemo exprimere sufficiens sit: 7. Sanctorum vita mortificatio fuit continua: *Mortificamur tota die*, cum Propheta; *mortificationem JEsu Christi in corpore nostro circumferentes*, cum Apostolo proclamant. 8. si Religionis aut Congregationis cujusdam membrum es, considera 1. te degere in domo pœnitentiæ, ad morum reformationem, mediante mortificatione, institutâ. 2. fore tamdiu orationis donô, quamdiu mortificatione destitutum. 3. operarium unicum virtute mortificationis ornatum, plures quàm innumeros hac virtute destitutos, Deo animas lucratum iri.

II. Considera mortificationis virtutem eam esse quæ carnem spiritui, passiones rationi, & hanc ultimam Deo perpetuò submittit. In quinque ramos, nempe sensuum, passionum, intellectûs, voluntatis & imaginationis mortificationem dividitur: ubi enim hæc quinque non mortificantur, deest mortificatio: nam oculîs, auribûs, passionibûs & animæ facultatibûs magìs quàm mortui, nisi ob necessitatem vel utilitatem nos uti debemus; & qui unica ex his quinque partibus, etiam vera mortificatione privari, nec minus deforme esse ejus animam quàm corpus, capite & nasô truncatîs, & oculîs evulsîs, certissimum est: quapropter ii omnes mortificatione carent. 1. qui jejuniîs, virgîs & vigiliîs corpus macerantes, superbo & iracundo animo

mo sunt, & nunquam passionum immortificationem deponunt: 2. qui internæ mortificationi solummodò studentes, exteriorem, sive corporis mortificationem velut inutilem, respuunt: 3. qui voluntatem suam relinquentes, proprium semper judicium retinent: 4. qui voluntatem & judicium mortificantes, huc & illuc vagari suæ imaginationi permittunt, & nullam vim ad illam cohibendam sibi inferunt: 5. denique qui & carne & spiritu non in perpetuum, sed ad tempus solummodò mortificantur. Heu quàm pauci in hoc pravo veram mortificationem sectantur sæculo! quàm plurimi de hac virtute, velut Angeli disserunt! & ferè omnes sinè mortificatione, velut bruta animantia, vitam ducunt. O ter detestanda & intolleranda hominum stupiditas! ô inaudita perversitas!

III. Perpende media generalia ad mortificationem consequendam idonea. 1. parumper orationi, tum mentali tum vocali, quotidie vacare, ad tantam virtutem à Deo postulandam & impetrandam. 2. valde humiliter de se sentire, & pro nihilo se reputare: is enim erit inter homines mortificatione primus, qui per humilitatem fiet ultimus. 3. salutiferum Eucharistiæ Sacramentum magna cum devotione, fide & reverentia frequentare. 4. prava consortia fugere, & cum bonis & mortificationis affectis societatem inire. 5. frequenter compunctionis & contritionis actus elicere, & ab omni vano gaudio & risu immoderato abhorrere. 2. Considera media particularia eidem mortificationi comparandæ consentanea. 1. corporis mortificatio, oculorum custodiâ, silentiô, labore indesinenti, vigiliîs, jejuniîs, ciliciîs & variîs hujusmodi macerationibûs comparatur. 2. passionum mortificatio; amoris scilicet,

licet, odii, desiderii, fugæ, gaudii, tristitiæ spei, desperationis, timoris, audaciæ & iræ, præcipitationem evitando, cum animi tranquillitate operando, & actus quotidie cujuslibet passionis, puta amoris Dei, odii peccati; & sic de cæteris, sanctissimè exercendo acquiritur. 3. intellectûs mortificatio; pravas cogitationes repellendo, divinas inspirationes admittendo, contentionem & pertinaciam fugiendo, de proprio judicio diffidendo, & illud non solùm superiorum, sed & æqualium & inferiorum judicio postponendo. 4. voluntatis mortificatio; Divinæ voluntati nos in omnibus & per omnia conformando, Spiritûs Sancti motibûs acquiescendo, superioribus obtemperando, & proximo in omnibus, quæ gloriæ Dei non officiunt, lubentissimè complacendo. 5. denique imaginationis, quæ porta vel fenestra est, quâ hostes animæ arcem invadunt; à falsis, quæ illam perturbant voluptatibûs declinando, pravîs & ineptîs objectîs aditum occludendo, & piîs cogitationibûs aperiendo comparatur. Sic te mortifica, & talî modô moriendo cum Christo, cum illo resurges, numquam amplius moriturus, sed in perpetuum victurus in cœlis & gloria innarrabili fruiturus.

MEDITATIO IV.

De patientia.

1. CONsidera cur omnî studiô ad patientiam colendam & consequendam debeas insudare. 1. nulla alia virtus tibi magìs necessaria est, cùm enim nullibi occasiones multa patiendi nobis desint, ità etiam patientiâ ubiq; & semper indigemus. 2. tantam nobis patientia utilitatem confert, ut nos quodammodò omnipotentes efficiat, & ipsius adminiculô ten-

tentationes omnes mundi, carnis & diaboli generosè vincamus, & quæcumq; nos in via virtutis retardare possent, & impedimento esse, facilè superemus. 3. virum patientem tanti facit Deus, ut ipsum viro forti & expugnatori urbium longè anteponat. 4. patientia præsentis vitæ cunctas amaritudines lenit, & tam mira suavitate perfundit, ut cuncta adversa non solùm æquanimiter & constanter, sed & delectabiliter toleremus. 5. patientia nostra proximo multum prodest: nam vir patiens bonô suô exemplô ad virtutem omnes continuò svaviter & efficaciter adhortatur. 6. adversùs peccata omnia, summum, patientia, remedium est: impatientia enim fons est & origo omnium peccatorum, ùt attendenti patebit. 7. is sanè multùm irrationabilis & injustus qui pati refugit, ac proinde patientiam odit & contemnit: in hoc enim justitiam ipsam impudenter accusat de injustitia, quandoquidem injunctam sibi à supremo Judice (Deo scilicet) æquitatis amantissimo, pœnitentiam adimplere respuit, eò quòd omnia tum corporis, tum animi mala (peccatô exceptô) à Deo permittantur & immittantur, juxta dictum Prophetæ celeberrimum: *Non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* 8. deniq; sicut inter homines patientissimus omnium etiam felicissimus est, ità ex adverso vir impatiens inter infelicissimos meritò censeri debet: nam quò magìs studet se à labore & miseriis eximere, eò etiam magìs miseriâ & afflictione repletur & obruitur: nam, ùt ait sanctus Job, *qui timent pruinam* (justo Dei judicio) *irruet super eos nix:* & (quod pejus est) qui nec levissima vult pati propter Deum in præsenti vita, gravissima quæq;

tor-

tormenta, velit, nolit, tolerare per æternitatem cogetur in futura.

II. Considera virtutem patientiæ eam esse quâ cunctas omninò vitæ præsentis miserias & ærumnas, undecumque veniant, propter Deum sinè murmure vel tristitia, sed constanter & fortiter, & cum magna animi tranquillitate toleramus; ità ut mortem potiùs subire quàm vel levissimum peccatum ad pœnas hujusmodi devitandas committere eligeremus. Gradus autem patientiæ tres assignari solent. Ille primum gradum obtinuit, qui mala sinè animi perturbatione, aut indiscreti vel in Deum vel in creaturas cujusdam verbi prolatione tolerat: & si suspiret & gemat, imò & lachrymas effundat, leviter & svaviter de proprio dolore conqueratur, & cuncta ad eum sublevandum remedia licita totîs viribûs studeat adhibere. Ad secundum verò pervenit, qui mala suffert cum perfecta resignatione & indifferentia, nec plùs sanitatem quàm morbum, divitias quàm paupertatem amat: nec à miseria præsenti liberari desiderat, sed in omnibus & ubique sentit & dicit cum Propheta; *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Et cum Apostolo: *Domine, quid me vis facere?* Sed tertium gradum solus ille attigit, qui non solùm cum resignatione, sed & cum gaudio cunctas tum corporis tum animi miserias sustinet, easque lætissimo vultu excipit, lubentissimè amplectitur, & in iis mirificè delectatur. Heu! heu! quàm longè à tam sublimi patientiæ gradu remotus es, tu qui necdum ad infimum & ultimum pervenisti!

III. Considera media, quibus uti debes ad patientiam acquirendam, augendam & conservandam. 1. in omni labore ineffabilem patientiam summi Dei

te à longo tempore sustinentis seriò considerare. 2. mentis oculô Christum Dominum pro tui amore mira cum patientia mortem passum & crucifixum, frequentissimè & attentissimè intueri. 3. dierum tuorum paucitatem, ac proinde laborum brevitatem quotidie meditari. 4. in omni angustia & miseria cum Sancto Martyre Ignatio sic exclamare: *Nunc incipio esse discipulus Christi.* 5. quæcumque sustinebis mala, cum mercatorum, militum & aulicorum pressuris & miseriis comparare: & te minùs pro Deo, quàm ipsi pro mundo, velle pati, erubescere. 6. firmiter credere virum patientem in præsenti sæculo, à pœnis Purgatorii immunem fore in futuro. 7. patientiam à Deo per intercessionem Virginum patientissimè, frequentissimè & humillimè postulare. 8. actus fidei quotidie circa hanc veritatem elicere, scilicet cuncta adversa, Dei providentiâ & permissu, ob majorem nostram utilitatem nobis evenire. 9. unaquaque die summo manè, contraria cuncta, quæ nobis occurrere possent, prævidere, & ad ea patienter toleranda, per firmissimum propositum nos præparare. 10. cum S. Theresia corde sentire, & ore quotidie proferre: *Domine JEsu, aut mori aut pati.* 11. tanto cum ardore passiones pro Christo Domino, quantô homines hujus sæculi voluptates & falsos honores quærere, & pro illis inventis, tamquam pro insignibus beneficiis, Deo optimo maximo gratias agere.

MEDITATIO V.

De recta intentione.

1. *SI oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit,* inquit Salvator. S. Gregorius per oculum intelligit intentionem; quæ si recta sit & ad Dei

Dei solius gloriam directa, etiam opus quantumvis ex se indifferens facit bonum ac meritorium; nam si radix sancta etiam rami; si nequam, vanam gloriam intuens, actionem quantumvis sanctissimam inficiet; nullius meriti & pretii apud Deum constituet; quinimò pro præmio, supplicium in purgatorio parabit. Quid quæris in actionibus tuis, in conversationibus, seriò expende? an solius Dei gloriam? salutem proximi? an non potius plausum æstimationem propriam? satisfactionem? vanas amicitias, ut videaris, quæris: non sis tanquam Chamaleon ventô humanæ laudis se pascens. Deum solum intende, nam si te quæsieris, propriô oculô, ùt Basiliscus perimeris. Non quæras placere hominibus, nè displiceas Deo. Pullus aquilæ ni irretertâ palpebrâ intueatur solem, tanquam adulterinus abjicitur, & tu à merito & gratia excides, si purô mentis oculô solem justitiæ non aspexeris. *Non nobis Domine non nobis, sed Nomini Tuo da gloriam.* Psal. 113. debes sæpissimè hoc repetere in omnibus actionibus tuis.

II. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Hæc est infelicitas pravæ intentionis, quòd Apostolicos etiam labores, summi meriti opera, quæ tanquam dulcissima bellaria parari debent palato JEsu, illa faciat amara, abominabilia detestabilia, tanquam pestis; sanctissimas actiones inficit, ac veluti fur subtilis suffuratur ipsis pretium apud Deum; & ùt vermiculus ex sanctissimis operibus prodiens easq; corrodens ut arescant (veluti hædera apud Jonam) coram Deo est peccatum pharisaicum, præmio & mercede spolians miserum operarium. *Amen dico tibi, recepisti mercedem tuam.* Ah te miserum! qui mercedem tuam jam recepisti, nec aliud habeas,

quod speres, ùt aranea te evisceraſti, ſudâſti, aſſiſti, ex pulpito detonaſti. Latera tua ſunt diſtenta. Sanitas vim paſſa & cœpiſti muſcam. Cave igitur hanc dulcem ſpiritualium expoliatricem, jucundum ac blandum animarum noſtrarum hoſtem, nè quando conqueraris: *Totâ vitâ laborantes nîl cœpimus.* Ah quot inveniuntur in mundo ſivè ſæculares, ſivè ſpirituales, qui multùm integrîs diebûs laborant, & nihil coram Deo lucrantur! nam omnia vel propter vanam gloriam, vel propter alios terrenos & vanos fines operantur.

III. *Non quæro gloriam meam ſed Ejus, qui miſit me, Patris.* Hæc meta omnium actionum tuarum eſſe debet, nam *ſoli Deo honor & gloria*, Ipſi fructum evangelizationis, converſiones animarum, felicem negotiorum ſucceſſum adſcribe, ante actiones publicas, vel labores aut orationes ac alia pia opera, ùt Sagittarius pauliſper ſubſiſte, ſcopum attendendo; nè deſideres ſolus aliquid agere, quod ab aliis æquè fieri poteſt, nè ad vanitatem inclineris, non loquaris de fructu laborum, non attendas applaudentibus, ſed totum Deo commenda, ora frequenter cùm Pſalt. *Averte oculos meos, nè videant vanitatem.* Abſit opus tantum, alicujus mercedis, aut emolumenti temporalis intuitu peragere, non loquaris ea, quæ ad tui ipſius laudem apud homines cederent, omnes motus & inſtinctus vanæ gloriæ ſtatim fortiter rejice, dicendo: *Domine Deus, omnia ad majorem tuam gloriam volo dirigere.* Intentionem bonam, omnia propter Deum agendi, manè ſtatim fac, renovando illam quàm ſæpiſſimè per diem, præſertim ante principaliores actiones ſive ſpirituales ſint, ſive temporales, juxta monitum S. Pauli *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia*

omnia in Nomine Domini nostri JEsu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum Coloss. 3. & in alio loco: *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10.

MEDITATIO VI.

De modestia.

1. COnsidera cur in omni loco te modestum debeas exhibere. 1. modestiæ virtutem præcipit tibi Deus per Apostolum suum dicentē: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* 2. vir modestus bonum suo proximo exemplum præbet, ità ut in primordio nascentis Ecclesiæ infideles ipsi se svaviter & fortiter ad peccati fugam & amorem virtutis impelli, Christianorum modestiam intuendo dicerent, teste Tertulliano eorum verba referente, *Sic vidisti Christianum? contritus es.* 3. immodestus omnium offendit oculos, eumq; quilibet aversatur. 4. modestia hominem tanta veneratione dignum efficit, ut in omni loco, Christi bonus odor sit, & singuli singula ipsius verba & opera magni pendant, & ex ipsis non mediocrem fructum percipiant. 5. indecora exterioris hominis compositio, interioris incompositi ac inordinati indicium est. 6. venerabilis viri præsentia nos in officio & modestia continere sufficiens est: & quantò potentior esse debet præsentia Custodis Angeli, imò & Dei Angelorum nobis ubique præsentis Majestas infinita. 7. modestus semper & in omni loco efficaciter concionatur, ad instar D. Francisci, qui cũm aliàs urbem Romam modestè ambulando circuisset, se concionem ad populum habuisse socio suo affirmare minimè dubitavit. 8. non secus ac cortex fructum, theca calamum, & vagina gladium; ità modestia

domum homini interiorem & animæ pacem illæsam servat. 9. modestiam in omnibus Christianis requirit Apostolus: Ergò & multò magìs in Sacerdotibus aut viris Divinæ Majestati in aliqua Religione aut Congregatione specialiter consecratis. 10. denique facillimè modestiæ virtus acquiritur: quapropter magìs inexcusabiles in tremendo Dei judicio, & graviorî suppliciô plectendi erimus, nisì diligentiam in ea comparanda necessariam adhibeamus.

II Considera modestiam virtutem esse, quâ corporis motus & exterior hominis compositio perfectè regulantur & disponuntur. Hujus actus præcipui sunt. 1. erectâ corporis formâ vel stare, vel incedere, vel sedere. 2. caput tantisper à parte antè, inclinatum habere. 3. nec illud leviter, sed graviter movere, idque necessitate postulante. 4. oculos demissos servare, neque illis huc & illuc vagari permittere. 5. nec illos umquam in vultum eorum, quos alloquimur, fixè conjicere, nec rugam in fronte vel in naso, sed vultûs serenitatem semper exhibere, gestus sinè affectatione & evagatione componere. 6. numquam præcipitato, sed gravi gradu, nisì charitas urgeat, incedere. 7. numquam extra tempus, nec tonô nimìs elatô, verba proferre. 8. nec expuere nec tussire absque necessitate, & tunc à vultu adstantium, nè quid vel oculos vel cor eorum offendat, parumper declinare. 9. manus, dum vacant, non inaniter movere; sed quietè ante pectus dexteram super sinistram componere. 10. numquam ad modum Crucis crus cruri sedendo superponere. 11. vestes sinè sordibus, decenter absque affectatione servare. 12. iter faciendo cum superiore suo, retrò paulisper à sinistris

ejus stare, & semper eminentiorem viæ partem illi cedere. 13. modestè lectum petere, & semper in latus & numquam resupinus, nec indusiô vel tunicâ exutus dormire, tum propter amorem castitatis, tum etiam ut semper & in omni loco modestia nostra Deo, Angelis & hominibus notificetur.

III. Considera media, quibus modestiam valeas efficaciter comparare. 1. te æquè, decenter & modestè in occulto & privatim gerere, ac in publico & in hominum conversatione. 2. semel unoquoq; mense punctum secundum præsentis Meditationis actus modestiæ continentis attentè legere, & utrum actus hujusmodi observes necne, investigare. 3. ea, quæ in cæterorum conversatione tibi displicent, observare & fugere. 4. Deum ubique præsentem cernere, & coram eo semper ambulare. 5. unumquemque in magna veneratione habere, & Christum Dominum in singulis considerare. 6. viros modestia præditos, eorumque conversationem & imitationem diligere. 7. denique tantisper quotidie orationi mentali operam dare: anceps gladius est, quô quidquid vel in corpore vel in anima superfluum est, pœnitus resecatur.

MEDITATIO VI.

De eleemosyna.

I. CONsidera cur libentissimè debeas pauperibus eleemosynas erogare. 1. *Sicut aqua extingvit ignẽ, ità eleemosyna extingvit peccatum*: hoc est delet venialia, ad mortalium remissionem disponit, & pœnam utrisque debitam minuit. 2. mortem felicissimam nobis impetrat: *Non* enim *patietur Deus* (inquit Tobias) *ejus, qui pauperibus benefecerit, animam ire ad inferos.* Et D. Hieronymus sic ait: *Non memini*

me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit, habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. 3. docet nos Sapiens eleemosynam quam plurimis sacrificiis anteponendam esse. 4. Sancti Ambrosius, Augustinus & Leo, eleemosynam alterum baptismum & aliorum Christianorum propitiationis Sacrificium nuncupare non dedignantur. 5. *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericos est*, ait Dominus JEsus, hic autem eleemosynas continuò nobis & omnibus tribuit. 6. eleemosynam pauperi erogatam, Christus tamquam sibi factam reputat: *Quod uni ex his meis minimis fecistis, mihi fecistis.* 7. *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*, Prov. 21. 8. si sis Clericus vel Sacerdos, ad magnam erga pauperes liberalitatem exercendam speciali ratione devinceris. Primò enim multùm interest pro Dei gloria & salute proximi, ut sis bonus odor JEsu Christi, & vir pius & probus apud omnes habearis: quod numquam tamen sinè magna erga pauperes liberalitate & charitate consequeris. 2. quia debes alios, non solùm per verbum, sed efficaciùs per exemplum ad amorem pauperum, & ipsis eleemosynas manu largissima erogandas adhortari. Denique quisquis sis, pro certo teneas, si non des eleemosynam pauperibus in hac vita, ignem æternum in alia non tibi defuturum, quandoquidem solos immisericordes Christus Dominus ità alloquitur: *Ite maledicti in ignem æternum, quia esurivi, & non dedistis mihi manducare*, &c.

II. Considera sex quæ debeant comitari eleemosynam conditiones. 1. ut fiat in statu gratiæ, & patet ex eo, quòd *Deus respexit ad Abel & munera ejus:*

& quia donum offerens Divinæ non displicuit Majestati, ità & donatio valde placuit. 2. cum pura & vera, non hominibus, sed soli Deo placendi intentione: *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam*, ait Christus Dominus de iis, qui eleemosynas motu vanæ gloriæ tribuunt. 3. cum diligentia & promptitudine: gratia enim tarda ingrata est, *& bis dat qui cito dat. Nè ergo dicas amico tuo, qui à te aliquid petit, Cras revertere, cùm possis dare*, inquit Sapiens. 4. cum ordine alios aliis præferendo, prout major urget necessitas, vel pauperum sanctitas: *Eò* enim inquit D. Ambrosius, *eleemosyna Deo jucundior, quò pauper qui illam recipit, Divinæ suæ Majestati gratior est.* 5. cum justitia, hoc est, de rebus quæ ad te pertinent: non enim de alieno bono eleemosynas distribuere tibi licitum est. 6. denique cum gaudio & lætitia; *Hilarem* enim *datorem diligit Deus*, eique centuplum tribuet etiam in præsenti vita, & gloriam æternam in futura.

III. Considera, quibûs debeas uti mediis ad eleemosynas utiliter pauperibus erogandas. 1. priùs semper actum contritionis elicere, quàm eleemosynas distribuere. 2. cùm variæ gloriæ periculum imminet, non palam, sed in abscondito eleemosynam distribuere: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera*, inquit Salvator mundi. 3. nihil ab eo, cui eleemosynam largiaris, temporalis emolumenti expectare: tunc enim non propter Deum, sed propter te eleemosynam faceres. 4. pauperem in sua miseria prævenire, nec donec ipse à te petat, modò paupertas ejus sit tibi nota, expectare. 5. eleemosynam spiritualem corporali conjungere, & non solùm corporis, sed animæ pauperis per salutarem admonitionem vel instructionem miseriam

ſublevare. 6. omnibus, ſed primò bonis deinde malis benefacere: *In quacunque manu eleemoſyna recipiatur* (inquit S. Chryſoſtomus) *fructus tamen ejus non amittitur.* 7. vehementi compaſſione quodammodò pauperum miſeriam ſublevare. 8. numquam pauperes exaſperare, ſed vultu ſereno quiquid petant, ſi potes, illis non denegare: & ſi non potes, dolere quòd non poſſis, & dolorem tuum illis verbîs humillibûs indicare. 9. in unoquoq; paupere Dominũ JEſum intueri, & multùm venerari. 10. denique pauperi eleemoſynam tribuendo, tuum & pauperis Dominum, ut danti & recipienti ſit ſalutaris eleemoſyna, ardenter ſupplicare.

MEDITATIO VII.

De conformitate cum voluntate divina.

1. *NOn mea ſed tua voluntas fiat*: Orabat Dominus JEſus cùm ſanguineo ſudore perfunderetur, cùm illi crux, lancea, clavi, flagella, mox ſubeunda repræſentarentur, cùm tot ignominias, contemptus, opprobria ante oculos haberet, cùm amariſſimus Calix potandus offeretur; poſtquam enim agnovit voluntatem Dei Patris, ut hæc omnia pateretur, libenter eſt eam amplexus dicens: *non mea ſed tua voluntas fiat*, idque cum tali reſolutione, ut ampliùs non paveret, mœſtus non eſſet, verùm hilariter voluntati Dei Patris ſe in ſacrificium obtulit. Diſce hic quomodò omnia adverſa ipſam etiam mortem tanquam à voluntate Dei diſcedentia ſuſcipere: Diſce 2. ſi vis ab inutilibus mœroribus & turbationibus internis non opprimi, cogita ſinè Deo permittente ejuſq; providentia & conſilio nihil in mundo fieri poſſe, quin-

quinimò ad sedandas quascunque cordis angustias, quæ non raró accidunt, vel quòd non successerit aliqua functio vel quòd contemnamur, despiciamur, humiliemur, vel quòd lingvis malevolorum perstringamur, non esse aliud medium efficacius, quàm de manu Dei ista suscipere, & non ùt ab homine, sed ùt à Deo emanata, qui tanquam optimus amantissimus Pater novit bene, quæ filiis suis sunt necessaria & magis utilia. Ità fecit piissimus David cùm malediceretur à Semeo, quam maledictionem non imputabat Semeo, verùm tanquam à Domino Deo oblatam suscepit, *Dominus præcepit maledicere Semeo.* Cùm & tibi ad gustum aliquid non acciderit, quia v.g. injustè vexaris, humiliaris, confunderis, ob quietem cordis acquirendam dic coram Deo tuo: Tu D mine præcepisti, ut ità fieret, tu voluisti, tu permisisti, *bonum mihi, quia humiliâsti me*; & spera brevì tibi affuturam de cœlo consolationem, sicut Dominum JEsum post illam heroicam resignationem Angelus est consolatus.

II. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Ore quidem in dies profitemur, sed factîs negamus, cùm nobis prospera & ad mentem eveniunt, cùm honoramur, extollimur, actiones nostræ approbantur, tunc liberè nos subjicimus voluntati Divinæ, ast cùm aliqua minùs grata accidunt, ah quàm amarô animô ea suscipimus, sed quàm erramus! Expende ô anima! per hanc renitentiam Domino Deo ignorantiam appingimus, ac si nesciret, quæ magis nobis expediunt, eò quòd talia in nos permittat. 2. Arguimus ipsius circa nos Sanctissimam Providentiam, ac si nos non bene gubernaret. 3. Cùm simus nihili, resistimus Domino Deo, qui nos

nos ùt formicam posset conterere. 4. Spoliamus nos meritò, cum reprobo illo latrone ob Crucem à Deo immissam non patienter obeundo. 5. Charitatem, quæ maximè in conformitate voluntatis nostræ cum Divina consistit, extinguimus. 6. Perfectionis Christianæ nec scintilla in nobis apparet, immergimus in tot cordoliis, inquietudinibus, quæ multorum peccatorum occasio esse possunt, inutiliter nos consumimus, sive enim nolimus sive velimus, quidquid immiserit Deus, tollerandum est æquanimiter; propter nostrum igitur bonum insistendum est in omnibus voluntati Divinæ, offeruntur tibi variæ tribulationes, labores, &c. libenter hæc omnia sustine; applicaris ad hoc officium, illam functionem, subde te dispositioni Divinæ, ubique & in omnibus Deum reperies, secus nunquam pacem habebis, verùm in corde tuo ùt in inferno erit fletus & stridor dentium, inquietudo, cogitationes desperabundæ etiam vocationis despectus. Quidam vir Apostolicus mittebatur à Superioribus ad quandam maris insulam nimìs remotam: putabant aliqui à tam longo itinere innumerabilibûs periculîs se excusatum iri. Iste subridens quæsivit? Estnè ibi Deus; Responsum, Est profectò! (adjecit) hilaris ergò lubensq; vado.

III. Considera media ad dictam conformitatem servientia: Statue tibi ob oculos exemplum Domini JEsu, qui venit in mundum, non ut suam, sed ut Dei Patris voluntatem adimpleret, quam etiam feliciſſimè executus factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ignominiosissimam. 2. Considera illam conformitatem esse mei spiritua-

tuale, quô dulcorandæ sunt omnes amaritudines hujus vitæ, adeoque frequenter lambendum. 3. Æquanimitatem Jobi induere dicendo resolutè, *Dominus dedit, Dominus abstulit.* 4. Cogitare sinè Deo saltèm permittente, qui est infinitè sapiens nihil fieri posse: quis ego sum, qui illi contradico? 5. Confidere in Domino Deo tanquam amantissimo Patre, quidquid permiserit, illud in bonum & utile nostrum ordinavit. 6. Studere perfectioni maximè sibi vim inferendo cùm huç illuc mittimur etiamsi non ad gustum nostrum, voluntatem Dei in hoc amplectendo. Tandem uniamur Domino Deo intimè per charitatem, & omnes ejus circa nos dispositiones fient nobis svaves. In adversis recordemur illius Domini Dei effati, *ego quos amo, castigo.* Habere ad hoc propositum jaculatorias orationes easque in necessitate recitare. Ad extremum indifferentiam colere exuendo se ab omni affectu ad locum, officium, personas, imò ad quamcunque creaturam imò totaliter nos Divinæ dispositioni consignemus dicendo cum Propheta: *In manibus tuis sortes meæ.*

MEDITATIO VIII.

De sincera erga Beatissimam Virginem devotione.

1. COnsidera cur in obsequium Deiparæ te totum debeas mancipare, & erga illam piè affectum & devotissimum esse. 1. exultat Deus cùm honor sacratissimæ Virgini Mariæ impenditur gloriam enim Matris gloriam esse filii, & vice versa, Spiritus sanctus ipse testatur. 2 gloriosissimam Virginem majori veneratione quàm nec Angeli, nec omnes omninò creaturæ dignam esse, à nemine Catholico dubitatur, ùt ex eo patet, quòd Pater æter-

ternus in dilectissimam filiam, Filius in Matrem dignissimam, & Spiritus Sanctus in sponsam charissimam, eam eligere voluerint. 3. hanc nobis devotionem præcepit Christus Dominus in Cruce pendens, dum matrem S. Joanni Evangelistæ universi generis humani vices gerenti commendavit. 4. Sansta Mater Ecclesia per tot Festorum solemnitates, Ecclesias, Congregationes & Sodalitates, ab ipsa in honorem Deiparæ consecratas, à nobis prædictam devotionem exigere satis apertè declarat. 5. Sanctissima Virgo thesauri cœlorum custos est generalissima, & nullum omnino nobis à Deo beneficium, nisì ipsa mediante, confertur. 6. dæmonibus & hæreticis gloriam Deiparæ obscurare studentibus, extraordinaria nos erga ipsam devotione resistere rationi consentaneum est. 7. nullus est, qui specialem aliquam à Deo gratiam per ipsius intercessionem, non impetrarit. 8. Sancti omnes Beatissimam Virginem magnopere venerati sunt, & ut apud omnes in magna veneratione esset, procurarunt. 9. *Quicumq; vult salvus esse* inquit S. Bonaventura, *ut erga Beatissimam Virginem sit devotus, necessarium est.* 10. denique devotio erga Virginem Mariam nota est prædestinationis certissima, & lubenter & sanguinem & vitam in tantæ veritatis confirmationem: *Nullum* (scilicet) *unquam Mariæ clientem & asseclam periturum.*

II. Considera quid sit devotio erga gloriosissimam Virginem, nempe prompta & constans in ejus obsequium voluntas. Hujus autem devotionis notæ sunt octo. 1. habebis, si altissimam de Sanctissima Virgine concipias opinionem, eamque conceptam, ubique terrarum laudes ejus annunciando, demonstres. 2. si magna cum reverentia Beatam Virginem

&

& imagines ipsam repræsentantes, cultu hyperduliæ adores, & magnopere Mariæ Nomen venerabile venereris. 3. si totam post Deum spem tuam in ea colloces, quippe quæ certissimam habet de miseriis nostris cognitionem, & nos ab iis liberandi, & nobis benefaciendi potestate gaudet & voluntate. 4. si tam amabilem Dominum vehementi amore prosequaris, de ipsius gloria gaudeas, & ardentî eandem amplificandi desideriô tenearis & inflammeris. 5. si tuæ erga ipsam gratitudinis testimonia præbeas, nullam nobis de cœlo venire gratiam nisi per ipsius interventionem, lubentissimè confitendo. 6. si frequenter auxilium ejus implores, & in omni vel negotio vel periculo eam invoces. 7. si perfectam omnium, quæ potes vel possides summæ ipsius Majestati facias oblationem, & omnes actus tuos in ipsius honorem & gloriam dirigere semper intendas. 8. denique, si veram in te ipsius similitudinem per morum imitationem studeas efformare: In ea enim imitatione S. Augustinus summam erga Sanctos, ac proinde erga Beatam Virginem, devotionem constituit. O te ter beatum & felicissimum, si devotionis erga Virginem prædictîs notîs valeas insigniri!

III. Perpende media ad devotionem erga Gloriosissimam Virginem comparandam, conservandam & amplificandam idonea. 1. est, imaginem illam repræsentantem in tuo cubiculo semper habere, eamque ingrediendo, egrediendo, & aliàs salutare. 2. Rosarii Confraternitati vel alteri Beatissimæ Virgini dedicatæ Nomen dare, & munera ei annexa fidelissimè exequi. 3. quotidie Litanias, vel alias ipsius laudes & orationes in ipsius honorem compositas recitare. 4. singulîs diebûs sabbathi, utpo-

te

te ſpecialiter glorioſiſſimæ Virgini conſecratîs, jejunare vel ſaltèm corpus nonnullo mortificationis genere macerare. 5. quædam capita ex libris laudes Deipare continentibus, quotidie attentè & piô animô legere. 6. nunquam negotium alicujus momenti, nisì priùs invocatâ Mariâ, ſuſcipere. 7. omnes omnino, & præcipuè domeſticos & ſubditos, ad devotionem erga Beatam Virginem invitare, impellere & inflammare. 8. coronam ex Orationibus Angelicis ſexaginta tribûs compoſitam ſemper ſecum habere, eamque in memoriam ſexaginta trium annorum, quibûs juxta probabilem opinionem Beata Virgo in terris vixit, quotidie recitare. 9. Sanctos ex ipſius familia, vel qui erga ipſam devotione & pietate floruerunt, puta Joachim, Annam, Joſephum, Bernardum, Anſelmum, Bonaventuram, & in primìs Gabrielem Archangelum ſpeciali devotione colere & venerari. 10. votum propugnandi immaculatam Deiparæ Conceptionem etiam cum periculo vitæ, ſi neceſſitas vel utilitas poſtulet, emittere. 11. Eccleſias vel Capellas Deo ſub titulo Beatæ Virginis conſecratas devotiſſimè frequentare, & ad ipſas vel ipſarum Altaria decoranda & ornanda è bonis propriis magna cum liberalitate diſtribuere & diſpenſare. 12. denique Virginis ſanctitatem, quoad meliùs poteris, imitari. *O fratres!* (inquit. S. Bonaventura) *ſi perfectè Matrem Domini noſtri JEſu Chriſti colere deſideretis, ipſius manſvetudinem, humilitatem, corporis & animi puritatem imitemini: neque enim umquam ſinè Beatæ Virginis imitatione, ad ſinceram ipſius devotionem poteritis pervenire.*

MEDITATIO IX.

De perfecta erga Custodem Angelum devotione.

1. COnsidera Deum mirabilî providentiâ in tui custodiam Angelum deputâsse, qui semper à nativitate tua tui curam duxit, & usque ad mortem ducturus est, hoc sancta piè credit Ecclesia, hic est communis Sanctorum Patrum & fidelium sensus; & contrarium affirmare, erroneum & temerarium est. 2. Considera magnam à te reverentiam & devotionem Custodi tuo exhibendam esse, 1. quia Deus ipse multùm ipsi honoris impendit. 2. hoc postulat sancta Mater Ecclesia, quæ Festum cum Officio duplici statuit, feriam tertiam cujusque hebdomadæ consecravit, & Missam votivam eadem die celebrandam in honorem Angelorum Custodum ordinavit, ut fideles omnes ad ipsorum reverentiam & devotionem invitaret, impelleret & inflammaret. 3. veneratione dignus censetur homo, quia vel potens, vel pius, vel nobilis est; sed quantò magìs Angelus, qui longè omnino omnes tum nobilitate, tum fortitudine & sanctitate homines antecellit. 4. Custos tuus te ab innumeris dæmonum insidiis eripit, & à variis quoq; tum corporis tum animæ malis illæsum servat. 5. mille tibi pias & sanctas cogitationes inspirat, solvit dubia, te quoque post peccatum ad pœnitentiam invitat, orationes tuas Deo repræsentat, pro te rogat, & tibi tot & tanta bona procurat, ut nec valeam exprimere nec cogitare. 6. si statum perfectionis amplexus es, & in eo usque in præsentem diem perseverâsti, id ipsius auxiliô factum est. 7. quò plùs honoris & reverentiæ exhibebis, plùs ille tibi rependet beneficii & favoris. 8. Sancti omnes, tum no-

novi tum veteris teſtamenti, puta Abraham, Jacob, Tobias, Apoſtoli, Sancti Patres, & fideles naſcentis Eccleſiæ, valde Cuſtodes Angelos venerati ſunt. 9. Salvator mundi conſolationem ab Angelo in agone ſuo percipere voluit, non quòd ipſe tali indigeret ſolatio, ſed præcipuè ut valde honorandos eſſe Angelos exemplô humilitatis ſuæ demonſtraret. 10. denique, ſi devotione erga Cuſtodem Angelum fueris deſtitutus, te multum in mortis articulo coram ipſo pudebit ſinè dubio apparere. Heu! heu! quàm triſtem tibi vultum exhibebit! non ſanè patronū & defenſorem eum habebis, ſed juſtum & ſeverum teſtem & accuſatorem experieris.

II. Conſidera, quænam ſint notæ, quibûs devotio erga Cuſtodem Angelum dignoſci poteſt. 1. ipſius frequentiſſima recordatio. Vide utrum hæc in te fuerit, necne; & dies plurimos, quin ſemel in mentem tibi venerit Cuſtos tuus, effluxiſſe advertes. 2. ſi ipſum in dubiis conſulamus, & fortè numquam ab eo conſilium poſtulaſti. 3. cùm omnes rerum noſtrarum felices exitus, & cuncta quæ nobis eveniunt bona ipſius curæ & auxilio tribuimus, & ſæpiſſimè de hoc non meminiſti. 4. cùm quotidie bonum aliquod opus in ipſius honorem exercemus. 5. denique, certiori erga Cuſtodem Angelum devotionis nota inſignimur, ſi eum imitemur. Utrum ipſius puritatem colueris, cogita: verùm, ſi hoc præſtitiſſes, non tot vitam tuam impudicitiis maculaſſes. Quapropter te ſincera erga ipſum devotione caruiſſe, fatearis oportet: ſimiliter ab illo veniam pete, & fortiter vitæ emendationem propone.

III. Conſidera & aſſume media ad devotionem erga Cuſtodem Angelum conſequendam proporti-

onata. 1. est actus fidei circa hanc veritatem, scilicet Angelos à Deo ad nostram custodiam & salutem procurandam esse deputatos, frequenter elicere. 2. in principio cujuslibet diei vel actionis ipsius auxilium implorare, & in fine utriusq; de felici exitu gratias agere. 3. eidem in ingressu, in cubiculum & egressu salutem humiliter impertiri. 4. illum nobis ubique præsentem cernere, & nihil umquam ipso indignum præstare. 5. promptô animô ei obtemperare, sanctas ab ipso immissas cogitationes admittendo, & bonum quod svadere nititur exequendo. 6. summè quem ipse purus puritatem amat, diligere. 7. perpetuam ipsius ad Deum attentionem, necnon cum Deo voluntate conformitatem, & ad Plebeium, vel Principem custodiendum indifferentiam, quantum fieri poterit, imitari. 8. feriâ tertiâ in honorem ipsius specialiter consecratâ nonnullum ei obsequim præstare. 9. cæterorum Angelos colere, & nulli se unquam conversationi insalutatis adstantium Angelis immiscere. 10. Semel unaquaq; die Litanias ipsi dicatas devotissimè, & insuper *Angele Dei*, &c. frequentissimè recitare. 11. ipsius laudes, nobilitatem, humilitatem & caritatem pro temporis oppurtunitate proclamare. 12. denique de infidelitatibus in ipsum commissis ab eo veniam petere. Sic tuum Angelum Custodem venerare. & valde Deus inde glorificabitur: honor enim qui servo impenditur, in gloriam Domini sui redundare certissimum est.

MEDITATIONES DE SACERDOTUM DIGNITATE & *virtutibus.*

MEDITATIO I.

De dignitate Sacerdotum generatim.

1. COnſidera quàm præclara nomina à ſacris Scrripturis & ſanctis Patribus Sacerdotibus tribuantur. Vocantur enim 1. Angeli, Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* 2. Vicarii Chriſti, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* 3. Sal terræ, lux mundi, & lucernæ ſuper candelabra poſitæ, Math. 5. 4. Paſtores, Doctores & Diſpenſatores myſteriorum Dei, Joann. 10. & 12. Eph. 4. 1. Cor. 4. 5. Epiſcopi, Pontifices & Præpoſiti, 1. Tim. 3. Tit. 1. Heb. 5. 6. Mediatores inter Deum & homines, Clavigeri cœli, Cubicularii Chriſti, Principes populi, Primitiæ Domini, Primogeniti Iſraël. Conſidera 2. Quanto honore affecti fuerint, tum in veteri, tum in novo Teſtamento, imò etiam apud Gentiles. Nam in veteri hæreditatem non habuerunt inter cæteros Judæos, ùt Num. 18. ſed Dominus erat hæreditas eorum. In novo quoque redditibus Eccleſiis vel cœnobiis piè oblatis vitam tra-

traducunt: ideo Clerici dicti, quia in sortem Domini vocati sunt, vel quia pars Domini. & ideo singulari quodam ritu à solis Episcopis ad hunc gradum Deo consecrantur. Sed nec ullus sibi hunc honorem assumere potest, nisi vocatus sit à Deo tamquam Aaron, Heb. 4. Deinde, Constantinus Imperator tantopere eos veneratus est, ut dixerit: *Si Sacerdotem viderem peccantem cum fœmina, palliô meô contegerem.* S. Martinus Episcopus Turonensis prandens cum Cæsare, priùs socio suo quòd esset Sacerdos, poculum porrexit quàm Cæsari. Beatus Ambrosius dicit Regum ac Principum colla genibus submitti Sacerdotum, eosque osculata eorum dextera credere se eorum orationibus adjuvari. Beatus Gelasius Papa in Epistola ad Anastasium Imperatorem. *Duo sunt* (inquit Imperator) *quibûs principaliter hic mundus regitur: Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas, in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominum in divino examine sunt reddituri rationem.* 3. Considera Sanctissimos quosque ob summam ejus dignitatem refugisse Sacerdotium, ùt S. Antonium, S. Pachomium, S. Benedictum, & S. Franciscum, cui hærenti an fieri deberet Sacerdos cùm esset Diaconus, ei occurrit Angelus gestans vitrum perlucidum clarissimo liquore plenum, dixitq; Sacerdotis animam similem esse debere illi liquori; Unde ille Sacerdos fieri noluit, quia tantam suæ animæ puritatem esse non putavit. Multi quoque sancti & ætate provecti Eremitæ Monasteria deseruere, nè ad Sacerdotium proveherentur; alii verò jam ad illud provecti, vel etiam ad Episcopatum, in remotas terras abierunt, nè agnoscerentur, ùt Joannes Silentiarius, & alii S. Marcus

 quo-

quoque dicitur ſibi abſcidiſſe pollicem, nè fieret Sacerdos; & S. Ammonius, aures, nè fieret Epiſcopus.

II. Conſidera dignitatem Sacerdotum novæ Legis ſumi ex duplici poteſtatę illis colata. Ordinis & Jurisdictionis. Ratione Ordinis poſſunt conſecrare corpus & ſanguinem Domini: ratione Jurisdictionis poſſunt homines abſolvere à peccatis, & Eccleſiam gubernare. 2. Expende quàm admiranda ſit illa poteſtas conſecrandi. Magnum beneficium credimus præſtitum Joſuë, quòd imperiò ſuô fecerit ſiſtere Solem, *obediente Domino* (ùt loquitur Scriptura Joſuë 10.) *voci hominis;* ſed multò magìs præſtitum eſt cuique Sacerdoti. Ille enim fecit ſtare Solem ubi ante erat: at Sacerdos ſiſtit Chriſtum in cœlo exiſtentem, ubi ante non erat, id eſt in Altari: illi creatura obedivit, huic Creator; illi Sol ſemel loquenti obedivit, huic Deus, quoties verba conſecrationis eloquitur, obedit. Quis Sacerdos tam ſtupidus eſt, qui conſiderans tam ſtupendam Chriſti erga ſe obedientiam, ſummi Regis ad ſubditum, Dei ad creaturam, non viciſſim libenter obtemperet Dei mandatis? Quis cum beato Joanne Baptiſta non dicat, Matth. 3. *Ergo à te, debui baptizari*, tibi debui obedire, *& tu venis ad me*, tu mihi obedis? 3. Conſidera honorem qui ante Incarnationem datus eſt Angelis, ut in perſona Dei Exod. 3. dicerent: *Ego ſum Deus Abraham*, *Deus Iſaac*, *Deus Jacob*, nunc deferri omnibus Sacerdotibus, qui apud Malachiam etiam vocantur Angeli: Nam non in perſona ſua, ſed Chriſti dicunt in conſecratione Euchariſtiæ, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, Matth. 26. Unde ſunt quaſì Vicarii Chriſti, & quaſì Chriſtus ipſe. Quòd

qui

qui cogitat; quomodò non poteſt non vitam ducere ſanctiſſimam, ab omnibus ſordibus impudicitiæ alienam? Quid enim Chriſtô ſanctius? Quæ conventio Chriſti cum peccato & Belial? 3. Conſidera præſepe, crucem, ſepulchrum, domum Bethleem, quia attigerunt Chriſtum, res ſanctas haberi, ad quas ſpectandas, tangendasq; homines longa itinera conficiunt. Cur ergo non ſit ſanctus Sacerdos, ad quem Chriſtus non jam mortalis, ſed immortalis & glorioſus quotidie divertit?

III. Conſidera quanta dignitas Sacerdoti accedat ratione poteſtatis & jurisdictionis cum priori conjunctæ, nempe ut parem quasì poteſtatem cum Deo obtineat, nempe remittendi peccata, & ligandi. Dei enim ſolius eſt remittere peccata, & infundere gratiam, & tamen tam efficax ei poteſtas ea dimittendi data eſt, ut quæ ipſe dimiſerit, dimiſſa etiam ſint in cælis; & quæ ille ligaverit, ligata ſint etiam in cœlis, ùt liquet ex cap. 16. 18. Matth. Ac proinde dum confitentes abſolvit, deſertè dicit: *Ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Unde ſequitur ejus lînguam eſſe clavem quâ clauditur înfernus, & cœlum aperitur. 2. Conſidera eundem Sacerdotem eſſe conſtitutum mediatorem & ſequeſtrum înter Deum & homines, ut Sacrificia offerat pro hominum peccatis, ut precibûs ſuîs iram Dei avertat, ut verbô & exemplô oves ſibî ſubjectas paſcat, & animam ſuam pro ſalute earum curanda ponat, cum obligatione rationem reddendi in die Judicii, ſi vel una earum pereat. Unde fit, ut cùm in Eccleſiam ab omnibus convenitur, toto populo in genua procumbente ſolus Sacerdos erectus ſtet ad Altare, velut pro toto

populo unus decertans. Quis verò tam ingratus sit, ut considerans in quo sublimi gradu à Deo sit collocatus, adhuc se abjiciat in lutum peccatorum, & fiat Sacerdos, sicut populus?

MEDITATIO II.

De virtutibus, quas inesse Sacerdoti vult Apostolus Paulus. 1. Tim. 3. & Tit. 1. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, *&c.*

I. CONsidera nomine Episcopi intelligi Sacerdotem, maximè Curatum, vel qui aliorum curam gerit. Episcopus enim Græcè, Latinè idem est, quod Superintendens: itaque possunt eo nomimine quoque intelligi Confessarii & Concionatores, quorum est saluti aliorum promovendæ incumbere. 2. Considera has virtutes requiri à B. Paulo in Sacerdote: 1. ut sit sobrius in potu: 2. prudens prudentiâ spirituali, & moderatus, nè manus citò imponat ordinandis, vel Ecclesiæ dignitate ornandis: alioquin enim communicabit peccatis alienis, 1. Tim. 5. 3. ornatus, id est modestus in habitu & incessu: 4. pudicus in verbis & factis: 5. benignus & mansvetus: 6. Justus: 7. Sanctus: 8. modestus, non turbulentus: 9. hospitalis: 10. amplectens fidelem sermonem, id est zelosus in Fide Catholica: 11. doctor, & aptus ad docendum, ut potens sit eos, qui contradicunt, coarguere: 12. continens ab uxore, si quam fortè ante Ordines duxit: 13. suæ domui bene præpositus: si quis enim domesticorum curam non habet, est infideli deterior, 1. Tim 5.

II. Considera Apostolum ità velle, ut Sacerdos, 1. non sit superbus, 2. non iracundus, 3. non litigiosus, 4. non percussor vel manu, vel lingvâ, id

id eſt, detractor & calumniator : 5. non vinolentus : 6. non turpis lucri cupidus, nec avarus : 7. irreprehenſibilis, id eſt, quem nemo jure queat reprehendere, quique nullam det occaſionem juſtæ quærelæ, vel etiam, qui nullius mali ſit conſcius : 8. ut ſit unius uxoris vir, hoc eſt, qui defuncta uxore priori, non duxerit ſecundam, vel qui plures ſimul uxores non habeat.

III. Conſidera ideo tantam perfectionem ab Apoſtolo exigi in Sacerdote, quia, ùt omnes Patres docent, quò quis eſt ſublimioris ſtatûs & ordinis, hòc ad ampliorem virtutum perfectionem tenetur, ſecundùm illud Luc. 12. *Cui plus datum eſt, plus exigetur ab illo.* Et Sap. 6. *Judicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet ; & potentes potenter tormenta patientur.* Et S. Gregorius : *Sicut Prælatus* (inquit) *tot coronas ſibi multiplicat, quot Deo animas lucrifacit ; ſic, ſi perverſa perpetrat, tot mortibùs dignus eſt, quot ad ſubditos ſuæ perditionis exempla transmittit.* 2. Conſidera Sacerdotem debere eſſe omnium virtutum, maximè autem, fidei, ſpei, charitatis in Deum & proximum, humilitatis, pietatis & caſtitatis ſpeculum & exemplar : ſi enim lux eſt mundi & lucerna ſuper candelabrum poſita, debet luce doctrinæ ſuæ & vitæ exemplaris illuſtrare omnes, Math. 4. ſi ſal terræ eſt, debet omnes à corruptione peccati conſervare : ſi pater & magiſter omnium fidelium, debet in ſe oſtendere, quod omnes imitentur.

MEDITATIO III.

De præſtantia fidei & ſpei in Sacerdote.

1. CONſidera Sacerdotem imprimìs debere eſſe in fide Catholica Romana, ſinè qua impoſſibi-

le est placere Deo, constantissimum & certissimum, quia ejus velut magistri & pastoris est populum in fidei articulis instruere, eamdem contra hæreticos, hoc tempore maximè, diligenter & ardenter defendere, modum itèm resistendi tentationibus dæmonis, mundi & carnis tradere, imò si necesse sit, etiam pro ea sanguinem profundere. *Bonus* enim *pastor animam suam dat pro ovibus suis* in vera fide conservandis Joann. 10. *Labia Sacerdotis* (ait Malachias cap. 2.) *custodient scientiam, & Legem Dei requirent ex ore ejus.* 2. Considera hoc præfiguratum in veteri Lege. Num. 10. ubi jussi sunt Sacerdotes, dum iniretur prælium, inflare tubas, ut earum clangore miles redderetur animosior. Cùm autem bella spiritualia periculiosiora sint & crebriora quàm alia corporalia, ardentiùs sanè & frequentiùs tuba ejus Sacerdoti inflanda est pro Fide & sanctis moribus, per conciones & exhortationes : *Victoria* enim, *quæ vincit mundum*, secundùm Beatum Joannem, *est fides nostra.* Et D. Paullus in Epistola ad Hebr. cap. 11. omnia fortia veterum Patrum facta tribuit eximiæ eorum fidei.

II. Considera, non solùm fidem, quâ credimus omnia, quæ Ecclesia Romana credenda proponit, excellentem debere esse in eo, sed etiam spem vel fiduciam, quâ omnia possibilia redduntur credenti, ità ut etiam montes queat transferre, ùt ait Christus apud Marcum cap. 8. & Lucam cap. 17. S. Jacobus autem vult illam fiduciam debere esse firmissimam, non hæsitantem : *Qui* enim *hæsitat*, (supplet, se impetraturum quæ à Deo petit) *similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur : nec æstimet homò ille, quòd accipiat aliquid à Domino.* Unde Christus Matth. 8. & 9. ferè omnia miracu-

la

la illi firmæ fiduciæ adſcribit : *Fiat* (inquiens) *tibi ſicut credidiſti*, *vel fiat ſecundùm fidem tuam*. 2. Perpende rationem hujus eſſe, quia Sacerdotis maximè eſt orare pro aliis, & vitam piam ſanctamq; inſtituere, ut poſſit petita impetrare, quia ad hoc à Deo tanquam Mediator inter Deum & homines eſt conſtitutus, Hebr. 5. Unde &, aliis in genua ruentibus tempore Miſſæ, ſolus ipſe ſtat, quasi integritate vitæ fretus audeat pro aliis metu conſternatis orare, vel certè quia hortatur Apoſtolus Heb. 2. ut cum fiducia ad thronum gratiæ adeamus, quô miſericordiam conſequamur.

III. Conſidera eum cum fide debere habere quoque Divinæ Scripturæ, rerumq; Theologicarum pro officii magnitudine conjunctam ſcientiam & ſapientiam, & attendere, ùt Apoſtolus monet Thimotheum 1. cap. 4. *Lectioni*, *exhortationi*, *doctrinæ* : Quilibet enim Sacerdos curam habens animarum tenetur exponere Evangelium, catechefin Fidei Chriſtianæ tradere, & eos qui contradicunt, redarguere. Si enim S. Petrus 1. cap. 3. vult omnes eſſe *paratos ad ſatisfactionem omni poſcenti de fide*, *quæ in ipſis eſt* ; quantò magis debent eſſe Sacerdotes, quia aliorum ſunt Magiſtri & Doctores? Quid turpius eſt, quàm Sacerdotem non poſſe reſpondere alicui garrullæ mulierculæ, vel protervo adoleſcentulo hæretico objectanti (ùt hoc tempore fit) Scripturæ teſtimonia? Unde Chryſoſtomus ſcribit Sacerdotem in omnibus debere eſſe ſapientiſſimum, & mille inſtructum oculìs, ut non ſolùm ſibi, ſed etiam toti populo ſerviat. Deus verò apud Oſeam Prophetam comminatur repulſam à dignitate Sacerdotii imperitis. *Quia* (inquit cap. 4.) *tu ſcientiam repuliſti*, *repellam te*, *nè Sacerdotio fungaris mihi*

Et

Et B. Paulus 1. Cor. 14. *Qui autem ignorat* (nempe ea, quæ ſcire tenetur) *ignorabitur* : nempe in die Judicii, cùm dicetur, *Neſcio vos.*

MEDITATIO IV.

De caritate quâ flagrare debet Sacerdos.

I. CONſidera Sacerdotem nulla magis virtute quàm caritate debere flagrare, tum quia fides, ſpes, aliæque virtutes omnes, teſte Apoſtolo 1. Cor. 13. ſinè illa nihil proſunt; tum quia officium Sacerdotis vel Paſtoris, tam ratione poteſtatis, ordinis, ut dignè conficiat & adminiſtret Sacramenta, quàm juriſdictionis, quatenus curam animarum habet, id omnino poſtulet. 2. Nota typum hujus geſſiſſe veteris Teſtamenti Sacerdotes, quorum functio erat ignem ſacrum quotidie in Altari fovere, Lev. 6. Quid enim aliud ignis ille deſignabat, niſi ſacram Euchariſtiam, Deum & hominem in ſe ſub ſpecie panis & vini continentem? *Deus autem ignis conſumens eſt*, Deut. 4. quem Sacerdotes noſtri non ſolùm quotidie conſervant, ſed etiam conficiunt. Deinde veſtiti eſſe debebant coco bis tincto, ut indicaretur Sacerdotem debere duplici caritate flagrare, in Deum ſcilicet & proximum.

II. Conſidera, Chriſtum Sacerdotum ſecundùm ordinem Melchiſedech Principem, Pſal. 109. cujus vices obeunt omnes Sacerdotes noſtri in conſecrando corpore (ùt diximus) Chriſti, dum ajunt, *Hoc eſt corpus meum*, maximè declarâſſe caritatem erga nos, cùm inſtituit Apoſtolos in Sacerdotes: nam beatus Joannes. cap. 13. de extrema cœna acturus præmittit. Quòd *in finem dilexerit illos.* Deinde ex mero in eos amore inſtituit ſacram Euchariſtiam, id eſt excogitavit modum

quô

quô perpetuò nobiſcum realiter maneret. Ad hæc longum habuit ſermonem de novo mandato caritatis. Poſtremò, ex nimio amore ſanguinem ſuum pro nobis profudit: *Majorem* enim *caritatem nemo habet* (inquit ipſe Joan. 15.) *quàm ſi animam quis ponat pro amicis ſuis.*

III. Conſidera, quòd Chriſtus inſtituens Principem Sacerdotum & Paſtorem Petrum, de caritate tantùm eum percunctatus eſt, Joan. 21. *Simon, diligis me plus hîs?* Et ille tandem reſpondit: *Domine, tu ſcis, quia amo te.* Chriſtus verò, *Paſce ergo oves meas*, indicans ad paſcendas doctrinâ & exemplô oves, & ad gubernandam Eccleſiam maximè opus eſſe ardenti caritate in Deum & proximum. Verè ſiquidem paſtoris eſt, Luc. 15. ovem perditam requirere, & inventam, relictîs licèt nonaginta novem ovibûs, humeris ſublatam in ovile portare ejusdem eſt, adveniente lupo, & perſecutione exorta, non cum mercenario, qui non eſt poſtor, fugere, ſed animam ponere pro ovibus, Joan. 10. Ejus eſt cognoscere omnes oves, easque exemplô vitæ ſanctæ præcedere, efficereq; ut ſe ſuamq; doctrinam & vitam ſequantur: quod non facilè impetrabit, niſi multîs beneficiîs & amoris indiciis eas ſibi devinciat, ac tandem clave ſua cœleſti quam accepit, Regnum cœlorum illis aperiat.

MEDITATIO V.

De humilitate Sacerdoti neceſſaria.

I. CONſidera humilitatem eſſe omnium virtutum fundamentum, ac imprimìs, teſte Chryſoſtomo, officii Sacerdotalis, & ideo ea quoque excellere debere Sacerdotes. Ut enim quò domus altiùs ædificatur, hòc profundius requirit funda-

damentum, & arbor, quò ramos altiùs educit, hòc profundiùs agit radices, & quò fructibûs onustior est, hòc magìs se in terram inclinat; sic quò sublimior est Sacerdotis dignitas, hòc major debet esse ejus humilitas, juxta illud Sapientis Eccl. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* 2. Perpende te esse & custodem omnium virtutum, ùt volunt D. D. Hieronymus & Augustinus. *Qui enim sinè humilitate* (inquit B. Gregorius Hom.6. in Evang.) *virtutes congregat, quasì pulverem in ventum portat.* Conservat autem eas, tum quia sicut qui jacet, non habet unde cadat; sic humilis non facilè labitur in peccatum, tum quia sicut ignis sub cinere, & fructus sub foliis; ità virtutes sub humilitatis operculo, & absconduntur & faciliùs conservantur.

II. Considera servos Dei humilitate magna præditos, maximè fuisse à Deo laudatos & exaltatos. Abraham qui pulverem & cinerem se vocabat, Pater omnium fidelium factus est, Gen. 18. David qui pulicem, vir secundùm cor Dei, 1 Reg. 24. S. Joannes qui indignum se faciebat, ut solveret corrigiam Christi, dignus redditus est, qui Christum baptizaret, & digitô monstraret, Math. 2. S. Petrus, cùm Domino diceret, Luc. 15. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*, audiit statim ab eo; *Ex hoc eris homines capiens*: & postea Sanctus est, caput totius Ecclesiæ & claviger Regni cœlorum. Centurio dicens Math. 8. *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, audiit à Christo: *Non inveni tantam fidem in Israël.* Beata Virgo ex humilitate se vocans ancillam Domini, Luc. 1. meruit fieri Mater Dei. 2. Perpende & Christum summum Sacerdotem hanc virtutem imprimìs Apostolis com-

commendâsse, dum diceret Math. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Et rursùs: *Si quis inter vos vult primus esse, sit omnium novissimus.* Atq; etiam, cùm eos Sacerdotes facturus esset, exercuisse cùm lavit eorum pedes, & dixit Joann. 13. *Si ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes.*

III. Considera, cùm Sacerdotum proprium officium sit deprecari, & Sacrificia offerre pro populo, nihil æquè juvare ad reconciliandum Deum & impetrandam gratiam; ac humilitatem precibûs conjunctam. *Ad quem enim respiciam* (ait Deus apud Isaiam cap. ultimo) *nisi ad humilem & pauperculum.* Et David. Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et JEsus Syrach, Eccl. 5. *Oratio humiliantis se penetrat nubes.* Et Sancta Judith Jud. 9. *Humilium* (inquit) *& mansvetorum semper tibi placuit deprecatio.* B. Jacobus cap. 5. & Petrus: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Unde Josuë 7. cùm in terram se prostravisset, Deum mox sibi propitium reddidit. Et David, cùm humiliter peccatum suum confessus esset, illico à Propheta audit, 2. Reg. 2. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* 2. Nota, nihil æquè valere ad vincendas tentationes dæmonis ac humilitatem, cujus ratio est, quia ille ob superbiam æterna felicitate excidit. Unde S. Antonius, cùm videret mundum plenum laqueis, responsum accepit à Deo omnes evadi sola humilitate. Quare nihil æquè valet ad promerendum Regnum cœlorum ac humilitas. *Beati* (inquit Christus Math. 5. & 18.) *pauperes spiritu*, id est humiles, *quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Et, *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Et rursùs Luc. 4. *Qui se exaltat, humiliabitur:* quæ sententia ter repetita est in Evangelio.

MEDITATIO VI.

De castitate Sacerdotibus necessaria.

1. CONsidera, si veteris Testamenti Sacerdotes toto tempore quô ministrabant tabernaculo, à domo & uxore abesse tenebantur, (ministrabant enim per vices) quantò magìs novi Testamenti Sacerdotes, qui non per vices, sed semper ministrant, debent à conjugio & omni consvetudine fæminarum abstinere. Deinde, si Abimelech Sacerdos 1 Reg. 21. noluit David famelico dare panes propositionis comedendos, nisì priùs intellexisset eum ab uxore aliquamdiu se continuisse. Si idem populo faciendum fuit, Exod. 19. cùm esset Legem à Deo accepturus, quantò magìs convenit Sacerdotes nostros ab omni fæminarum contubernio alienos esse, quibus quotidie in sacrificio Missæ Corpus Domini, per panes propositionis præfiguratum, non solùm sumendum, sed etiam conficiendum, manibusve tractandum est. 2. Considera D. Paulum 1. Cor. 7. docere eos, qui uxorem habent, solicitos esse, quæ sunt mundi, ut placeant uxori, & esse divisos, id est, in multàs sollicitudinum partes (ùt exponit Hieronymus) distractos: qui autem non habent, cogitare quæ Domini sunt, ut sint sancti corpore & spiritu; consequens est Sacerdotes minimè fæminis adhærere debere, ut cogitent, quæ Domini sunt.

II. Considera puritatem animí & corporis, non solùm à divinis Scripturis, sed etiam ab omnibus Conciliis, summis Pontificibus, omnibusq; Patribus & Doctoribus, quotquot in Ecclesia hactenus fuerunt, eamque non vulgarem, sed singularem & eximiam in Sacerdotibus postulari; idque mul-

tis

tis de causis: 1. quia sanctissimum Missæ sacrificium, quô nihil augustiùs, crebriùs peragere, in eoque purissimum Domini Corpus ore suo consecrare, & manibùs tractare, aliisq; porigere debent. 2. quia assiduè orationibus, ùt sacrarum horarum lectioni & divini officii decantationi; quæ mentem puram, tranquillam & in Deum elevatam requirunt, vacare tenentur. 3. quia prædicatione & sanctæ vitæ exemplô plebem ad omnem virtutem, earumdemq; perfectionem inflammare. 4. quia magnam partem temporis impendere ovibus suis, vel subditis erudiendis, & in viam, dum à via aberrant, reducendis, ac si ægri sint, invisendis, solandis & pascendis, pauperibus itèm juvandis, peregrinis recipiendis, Sacramentîs variîs administrandis: quæ omnia sanè requirunt hominem, non solùm ab uxore & liberis, sed etiam omnium negotiorum sæcularium cura liberrimum. Unde Apostolus 2 Tim. 2. *Nemo* (inquit) *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

III. Considera Sacerdotem, si castitatem inviolatam non servet, multò graviùs peccare, quàm si peccent in eodem genere homines sæculares. 1. quia sacrilegium committit. *Si quis Templum Dei violaverit.* (inquit Apostolus 1 Cor. 3.) *disperdet illum Deus:* at quis Templum Dei sanctum & Deo consecratum propriè est nisi Sacerdos, toties per varios Ordines inunctus, & vices Dei & Angelorum subiens? 2. quia violat votum castitatis, ipsa ordinis susceptione tertio factum. 3. quia summo scandalo est bonis & malis, imò & vilissimis hominibus: quod scandalum tantùm hoc sæculo est, ut causam dederit tot hæresibus. 4. quia si in statu hujus peccati celebret, aliaque Sacramenta administret, Chri-

ftum crucifigit, Chrifto in faciem fpuit, Chriftum cum Juda prodit, imò pedibûs conculcat, & in cloacam projicit. Quid enim aliud eft os Sacerdotis impudici vel concubinarii? quid aliud ejus anima vel cor, quàm cloaca fœtidiffima? quid eft margaritas projicere ante porcos, fi hoc non eft? hoc eft, cùm impudicus Sacerdos audet celebrare.

MEDITATIO VII.

De vocatione ad Statum Ecclefiafticum.

I. COnfidera rationes, propter quas ad ftatum Ecclefiafticum neceffariò vocari à Deo oportet: 1. quia ftatus divinæ inftitutionis eft: ingerere autem fe atque intrudere, ufurpationis & temeritatis genus eft: Quapropter Apoftolus celebratâ illâ fententiâ nos admonet: *Nemo fumit fibi honorem, fed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; fic nec Chriftus femetipfum clarificavit, ut Pontifex fieret*, Hebr. 5. 2. quia cum hujus ftatûs functiones fupernaturales & divinæ fint, & proinde virtutes & eminentem fanctitatem requirant in iis, qui talibus admoti funt, necnon gratias peculiares ad eas ritè obeundas Deus plurimùm deneget iis, qui fe ingerunt, moraliter loquendo, de fua falute periclitantur: *Ipfi regnaverunt & non ex me, Principes extiterunt, & ego non vocavi eos: ideo iratus eft furor meus in iis*, Ofeæ 8. Qui quidem furor omnimodam derelictionem importat, & abfolutam quamdam fubftractionem luminum, auxilii neceffarii ad functionum fuarum debitam executionem. Nonne ad has voces horrore percelleris? numquid non eft tibi magna & juftâ ratio vocationem tuam examinandi, nè fis unus ex ipfis infelicibus? Agedum ex

tunc,

tunc, feriò vide utrùm veram vocationem habeas.

II. Confidera vocationis ordinariæ legitimæ figna: 1. à fuo Epifcopo vocari, expensâ meritorum & capacitatis regulâ, remotâ omni carnali confideratione. 2. quando ab ipfa pueritia propendemus ad hunc ftatum conftanti & fvavi quadam inclinatione, confiliô viri prudentis & magnæ experientiæ, procul à propriis commodis fubordinata, quem fuper hac re confulere oportet cum pura intentione. 3. quando hujus ftatûs præclaram ideam concepimus, quæ in cordibus noftris fanctum tremorem ingeneraverit, & firmum propofitum hujus figna & notas exteriùs geftandi, & virtutes adipifcendi merito & fanctitati confentaneas. Nonne verùm eft longè diverfum iter ad facros Ordines hodiernîs diebûs à plerifq; teneri? quidam ut habeant unde vivant, alii ut ducant in bonis dies fuos, otio & molitie diffluant? At miffis aliis, vide quomodò in hunc ftatum introifti, quia intentione, qua inclinatione, qua æftimatione? feriò cogites, ut deprehendas, in quo deliqueris.

III Confidera defectus, qui in electione ftatûs Ecclefiaftici potiffimum accidere poffunt, 1. ingredi hunc ftatum finè conditionibus & qualitatibus neceffariis (virtute fcilicet) iñocentiâ, fcientiâ aut faltèm aptitudine & defideriô ad fcientiã. 2. ingredi cum intentionibus rerum temporalium aut indignis ftatûs Ecclefiaftici, v. g. vanæ gloriæ, lucri, & fimilium. 3. hunc ftatum amplecti viîs & rationibûs merè humanîs, nulla divinæ voluntatis confultatione præmiffa. Proh dolor! quàm pauci Ecclefiaftici: qui in iis non deliquerint? Et poftea mirabimur, fi tam profligatè vivant. *Erraverunt ab*

utero, Psal. 27. 2. Considera remedia his tribus defectibus applicanda, hôc pactô: 1. si hactenus in ignorantia delituisti, omnemrudentem moveas, ut ad scientiam tibi necessariam appellas: abstine à functionibus quæ scientiam, qua cares, exigunt. 2. motivìs & considerationibûs merè humanìs, fac ut cum Dei gratia intentiones reformes: pete veniam de ista perversitate: tandem numquam accedas ad tua ministeria, nisi cum magna compunctione & confusione. At pro satisfactione, quoniam inemendabilis error in persona tua, saltèm alios qui te consulent super hac re omnimodo deterrere ab ingressu, si careant his conditionibus: necessitatem ipsis exhibe, quam ignorabas, cùm intrasti. 3. postremò sequere consilium Apostoli, & deprecare divinam bonitatem, ut lacrymìs tuìs velit condondre (quandoquidem alligatus es huic statui) quod ambitioni tuæ justissimè denegarat: ora semper, ut dignetur te vocatione sua Deus noster. 2. Thess. 1.

MEDITATIO VIII.

De spiritu Ecclesiastico.

1. CONsidera, quamvìs ad ritè serviendum Deo in statu Ecclesiastico necessaria sit vocatio, tamen solam non sufficere: quod exemplô patet filiorum Heli, qui ob delictum unum, non obstante divina vocatione, ab ipso Deo miserè repulsi sunt, ac præmatura morte puniti, 1 Reg. 2. Itèm proditoris Judæ, qui licèt ab ipso Salvatore hominum vocatus & electus, miserabiliter finivit. Quid igitur requiritur præter vocationem? Spiritus Ecclesiasticus. 2. Considera rationes quibus Ecclesiastici & illi qui aspirant ad hunc statum, debent studere

dere acquisitioni hujus spiritûs: 1. quia neque nobis, neque aliis umquam in statu Ecclesiastico proderimus sinè hoc spiritu: impossibile est enim aliquem suæ professionis opera probè exequi sinè ejusdem spiritu: quod videre est in milite & scholastico. 2. quando Deus aliquem vocat ad professionem, quantumvis abjectam, spiritum ei immittit ejusdem: quod clarum est in Bezeleel, Exod. 3. Ergo à fortiori pro functionibus statûs Ecclesiastici iste spiritûs requiritur, quippe quæ sunt excellentiores, sublimiores, majoris momenti, & supernaturales. Unde Paulus 2 Cor. 3. 6. *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti non literâ, sed spiritu.* 2. In nullo Scripturæ loco legitur Dominum nostrum quemquam vocasse ad statum Ecclesiasticum, aut ad aliquam illius functionem, quin priùs spiritum ejusdem impertierit, hoc verificatur in Apostolis, tum peccata, Joan. 20. tum quod ad prædicationes, Luc. 14. Imò Dominus noster JEsus Christus noluit functiones suas Ecclesiasticas incipere, antequam visibiliter Spiritum Sanctum recepisset sub specie columbæ, Luc. 4. Quin ipsa Ecclesia nullum eligebat in Diaconum, nisì hoc Spiritu plenum, ùt patet de S. Stephani electione, Act. 6. 3. non solùm eo spiritu indigent pro se, verùm pro aliis: quod enim est caput & cor in corpore humano, hoc sunt in Ecclesia: communicare autem nequeunt, nisì habeant. Unde quæritur Deus per Prophetam Isaiam cap. 15. *Omne caput langvidum & omne cor mærens, à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas,* &c.

II. Considera quid sit spiritus Ecclesiasticus, nempe eminens quædam & abundans participatio spiritûs Dei ad functiones hujus statûs promptè & gna-

gnaviter obeundas. 1. eſt *participatio Spiritûs Dei*, non quòd hic ſpiritus ſit diviſibilis, ſed communicat diverſas gratias veluti portiones ſui pro diverſitate perſonarum, conditionum & neceſſitatum, quemadmodùm enim ſolare lumen, quamvis unum ſit, tamen ad multos diffunditur, ità hic ſpiritus. 2. participatio non ſimpliciter, ſed *eminens & abundans*, prout ſtatus Eccleſiaſticus alios ſupereminet: dictum eſt enim Apoſtolis, qui primi Eccleſiaſtici fuerunt, *primitias ſpiritûs habentes*, Rom. 8. 3. iſta gratia datur *ad promptè & gnaviter functiones Eccleſiaſticas obeundas*: enimverò ſpiritus 1. dicit inclinationem & motum: 2. gnavitatem & induſtriam: & hæc duo ſunt indicia ſpiritûs Eccleſiaſtici. Primum eſt, promptè & libenter functiones obire hujus ſtatûs: enim minimas, juxta Prophetam Regem: *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei*, &c. Pſal. 33. Itèm quando nobis complacemus in habitu Clericali perferendo, & reliquas notas hujus ſtatûs. Secundum, quando dexterè, reſpectuosè, modeſtè, attentè & exactè eadem munia exequimur. Hæc duo ſigna in Simone filio Oniæ reperiuntur, Eccl. 50.

III. Conſidera inter cætera media neceſſaria ad ſpiritum Eccleſiaſticum induendum hoc eſſe efficaciſſimum, ſeſe exuere ſpiritu mundano, depoſitio habitûs ſæcularis id nobis inſinuat: eſt enim quædam antipathia inter hos duos ſpiritus. *Dabit vobis ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere*, Joan. 14. Spiritus autem mundi conſiſtit in concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ. Optimus ergo modus exterminandi hunc ſpiritum eſt contraria operari. 1. Igitur neceſſe eſt concupiſcentiam bonorum evacuare,

re. Unde Christus: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Longè absunt ab illo spiritu, qui statum Ecclesiasticum amplectuntur, tantùm ut divites fiant. Tu fac oppositum, nimirùm post victum simplicem & vestitum, si quid reliquum est erogare in eleemosynas, numquam litigare, licèt cum detrimento. 2. concupiscentiæ carnis renuntiare. Unde Christus dicenti sibi, *Sequar te*, respondet, *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet*, Luc. 9. Longè absunt ab illo spiritu, qui ingrediuntur statum Ecclesiasticum, ut vivant in deliciis. Ergo contrarium *sequere*, abstinere scilicet à lautis cibis & recreationibus, non indulgere prolixiori somno, non cubare in mollibus. 3. superbia vitæ se evacuare. Unde Christus ait: *Nisì conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum*, Matth. 18. *Reges Gentium dominantur eorum: vos autem non sic; sed qui major est, fiat sicut Minister*, Luc. 22. Longè absunt ab hoc spiritu, qui amplectuntur statum Ecclesiasticum, quò sint majori in honore. 2. contrà, libenter functiones inferiores Ordinis exercere cura: itèm, confusionem amare, quæ in obeundis illis functionibus tibi eveniet, notas & signa hujus statûs circumferre. Hæc omnia diligenter perpendere, & non ingredi statum Ecclesiasticum, nisì ad ista præparati simus. O me miserum! omnis Christianus etiam laicus tenetur spiritum mundi exuere, & ego nondum exui, qui ratione sola Clericatûs ad id sum arctiùs adstrictus.

MEDITATIO IX.

De bene recitando officio divino.

I. O*Rabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente* 1. Cor. 14. Considera quid te permovere debeat, ad bene semper persolvendum officium Divinum cum debitis conditionibus. 1. te ad hoc movere debet, vel maximè divinum mandatum, *deinde* Ecclesiæ præceptum, 2. profectus, commoda, & detrimenta, quæ tibi inde evenire possunt. Excellentiam hujus actionis insuper bene considera, quæ est essentialiter religio; & cultus Divinus, eminentior, nobilior, & excellentior, qui in Ecclesia reperiri possit: qui secum trahit honorem, profectum, & gaudium simul, dum bene fit; & è contrario pœnas, castigationes, & inquietudines dum malè persolvitur; terribile enim est, quod Scriptura dicit: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Nam non plus delectatur Deus in oratione vocali sinè attentione mentali, quàm in garritu avium, vel in grunnitu porcorum*, inquit Belluacensis.

II. Considera 2. qui sint defectus frequentiores, qui committuntur ab Ecclesiastcis in suo recitando officio: Hi defectus sunt duplicis generis: quidam respiciunt ipsam Divini officii substantiam: cujus sunt primò, omittere voluntariè totum vel partem officii, quod non solùm nos obligat sub peccato, verùm etiam sub pœna restitutionis, si quis gaudeat beneficio. 2. recitare officium unius diei pro alio, quod accidit, si quis non inspiciat directorium, vel nesciat sibi ordinare officia particularia suæ Ecclesiæ. 3. ignorare rubricas, & iis non studere. 4. solùm oculis inspicere, verba ore proferendo eô modô, ut quis nè quidem seipsum intelligat; Alii respiciunt solum modum recitationis,

nis, ut illud recitare in ſtatu peccati, ſpiritu ſomnino variîs negotiîs oppreſſo, vel ſtudiîs implicato, illud recitare extra tempus, ſinè præparatione, intentione, cum magnis & voluntariis diſtractionibus, ſinè reverentia, magnis præcipitationibus, ſyncopando verba, omittendo ſyllabas, vel interrumpendo ſinè neceſſitate, ex conſvetudine & magna feſtinatione, ſinè attentione ad ſenſum literalem, & tandem ſinè ullo guſtu, & affectione, magnô tædiô, & impatientiâ, ſpiritûs diſtractione, & inquietudine, contra quod definivit Concil. Treviren. *Omnes qui horis canonicis perſolvendis deputati ſunt, dent operam, ut collectîs animîs debitum penſum abſolvant, nec ità ſe habeant, ut dum voce pſallunt, quidvis potiùs quàm Deum cogitare videantur, caventes, nè illud propheticum audiant. Populus hic labîs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me :* Vide nunc & seriò pondera, quomodò hucuſque ſatisfeceris, & in præſenti, tuæ in hoc ſatisfacias obligationi; & ſuper omnia ſi Rubricas bene legeris & intelligas: Tot porrò omiſſiones, & mutationes, quas in eo facis, defectu ſcientiæ Rubricarum, tot tibi peccata numerantur. Si bene conſideraveris & ſinè diſſimulatione adjudicaveris, haud dubiè invenies te culpabilem in Divino Judicio, verùm ut his medium de futuro adferas, ſubjuncta accuratius percurre & conſidera.

III. Conſidera *tertiò* media; huic malo obviandi. 1. crebro facere reflexionem ſuper hujus actionis religioſæ excellentiam, neceſſitatem, & intereſſe, ſerias ea de cauſa inſtituens meditationes, ſingulîs octo diebûs ad minus ſemel inquirens & animadvertens defectus magìs ordinarios & frequentiores, qui intercurrunt conando remedium

adferre, & emendare. 2. bene ponderare, & ſibi ſeriò imprimere hanc veritatem, quod ex eo, quòd unam actionem exhibere debeamus, ſive ex obligatione, ſive ex devotione, oporteat potiùs illam bene facere, & modô, quô poteſt fieri perfectiſſimô, quàm malè exercere, & variis intercurrentibûs culpîs & defectibûs; & quòd non plus temporis pro una impendatur, quàm pro altera, oriaturque ex eo, ſi bene peracta fuerit, incomparabilis conſolatio, & ſolatium. 3. eligere locum quietum pro recitatione officii Divini vel in Eccleſia, vel in reſidentia, non circumcurſare, deambulare, colloquia extranea miſcere, non de rebus domeſticis tempore recitationis diſponere. *Nè deambulando horas dicant ſed in loco, quem orationi aptum tantiſper concedant, nè mentis evagatio, quæ ex tumultuaria deambulatione naſci ſolet, fructum orationis intercipiat.* Monet Concil. Treviren. 4. antequam inchoëtur officium attentionem, & intentionem ſibi facere, ſtatuendo ſe per actum Fidei in præſentia Dei. *Statue JEſum ad dextram tuam, & Mariam ad ſiniſtram tuam & omnes Sanctos in circuitu eorum;* ait Thomas à Kemp. de diſcipl. Clauſtr. Hanc obligationem diſertè declarat Concil. Baſileen. & Senonenſe: *Quoſcunque etiam beneficiatos, aut in Sacris conſtitutos cùm ad Horas Canonicas teneantur, admonet hæc S. Synodus, ſi orationes ſuas acceptas Deo eſſe cupiunt, ut non in gutture vel inter dentes deglutiendo, aut ſyncopando dictiones, nec colloquia vel riſus intermiſcendo, ſed ſive ſoli, ſive aſſociati Divinum officium, reverenter verbîſq; diſtinctìs peragant, ac in tali loco, ut à devotione non retrahantur; ad quam ſe diſponere ac præparare debent, juxta id quod ſcriptum eſt: Ante orationem præpara animam tuam, & non ſis quaſi homo, qui tentat Deum.*

ME-

MEDITATIO X.

De frequentanda celebratione Missæ.

1. CONsidera, Sacerdotem ex vi sui officii & muneris accepisse onus intercedendi pro populo ad Deum, & offerendi dona, ùt loquitur Apostolus Hebr. 1. & sacrificia pro peccatis suis & aliorum, cùm & ipse circumdatus sit infirmitate: Cùm ergo crebriùs, imò quotidie, ipse cum aliis peccet, convenit etiam, ut quotidie sacrificet. 2. Considera Christum in extrema cœna præcepisse, ut sacrificium hoc Apostoli peragerent in sui commemorationem: cùm ergo salutare sit crebriùs renovare memoriam Passionis. salutare quoque erit crebriùs sacrum facere, imò in Dominica Oratione omnes fideles docuit quotidianum panem, nempe Eucharistiæ, postulare. *Si autem quotidianus est panis*, (inquit beatus Augustinus lib. 2. de serm. in Monte) *cur de die in diem transfertur? cur non accipitur quotidie, qui prodest quotidie? Cœlestis est medicina* (ait Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 6.) *debeo igitur semper accipere, qui semper pecco, & medicinâ indigeo.* Ah quomodò se excusare poterunt ii, qui propter leves causas, conversationes inutiles, frequentiam & assiduitatem hospitum, ob protractas ad mediam usque noctem civilitates & lusus, efficiuntur inepti ad celebrandum. Cùm tamen *unus sit nobis dolor hâc escâ privari!* Chrysost. hom. 60.

II. Considera exempla Sanctorum: nam quotidie se immolare immaculatum hunc Agnum confessi sunt, Sanctus Andræas Apostolus, S. Ignatius, S. Cyprianus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, S. Augustinus. At S. Gregorius refert in Sancto Cassio Narsiensi Episcopo, morem quotidie celebran-

di divinitùs approbatum hîs verbîs: *Age quod agis, non cesset pes tuus, non cesset manus tua.* Hippolytus Martyr ait in die Judicii Judicem *Venite Benedicti*, dicturum Sacerdotibus, qui quotidie pretiosum Corpus & Sanguinem immolarent. Siricius & Innocentius I. Pontifices hac ratione svadent perpetuam continentiam Sacerdotibus servandam, eò quòd quotidie Deo Sacrificia offerant. Primi denique Christiani, ùt est in Actis cap. 2. quotidie perseverarunt in fractione panis: quod aliquot sæculìs observatum est in multis locis: Erant ergo, qui frangerent quotidie. Hæc motiva sunt de se sufficientia ad excitandum fervorem in Sacerdotibus ad quotidie celebrandum Missæ Sacrificium, sed simul serviunt ad procurandam & conservandam quotidie conscientiam puram. Nam *polluimus panem, id est Corpus Christi, quando indignè accedimus ad Altare, & sordidi, mundum Sanguinem bibimus*, inquit Hieron.

III. Considera quanto fructu spirituali privet Ecclesiam Sacerdos, si negligat crebriùs, dum potest, celebrare. *Sacerdos* (inquit vanerabilis Beda) *non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat Sanctam Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidiô & gratiâ, in Purgatorio existentes refrigeriô, Ecclesiam spirituali Christi beneficiô, & seipsum medicinâ & remediô.* 2. Expendat quanto fructu spirituali privet se: Qui enim sæpe celebrat, sæpe examinare conscientiam solet, de peccatis dolere, eadem confiteri, propositum melioris vitæ facere, satisfactionem peragere, summo Religionis cultu per preces & Sacrificia Deum efficere, mentem in Deum elevare, populum ad rem Divinam audiendam allicere, vitam talî officiô

ciô convenientem instituere, & omnes homines suô exemplô ædificare, ac denique majorem apud Deum gratiam, & ampliorem tot bonorum operum mercedem promereri. Resolutionem firmam fac, ut facias debitam præparationem ante celebrationem Missæ, mundando conscientiam per confessionem ut docet Concil. Trident: *Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque Sacramentali confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere audeat.* Nec tuæ fidas contritioni. Tandem instare debes devotioni, ut non statim à negotiis sæcularibus, colloquiis, conversationibus, rectà eas ad Altare, sed maturè considera, quid agere debeas, & cor tuum ferventi devotione præpara. Infrà Missam, conserva te in recollectione mentis, absit à te, quævis evagatio oculorum & immodestia, Dei enim opus agis, tempestivè revide in Missali, quæ lecturus es; Denique post missam debitum tempus impendas in gratiarum actione, scandalum enim grande est sæcularibus, si Sacerdos exuendo se vel induendo vestibûs sacrîs dissipationem in verbis vel operibus, & pejus esset, si passionis motus ostendat, ac velut post mensam Communem & mundanam, statim ad negotia vel colloquia extranea prosiliat. *Deus non ut nostra gratiarum actione opus habens, sibi vult gratias agi, sed ut quidquid, lucri est, iterum ad nos redeat,* ait Sanctus Chrysostomus.

GREGORIUS XIII. Summus Pontifex *concessit cuilibet Sacerdoti dicenti ante celebrationem Missæ, quæ sequuntur, quinquaginta annorum Indulgentias.*

EGo volo celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi juxta ri-

ritum S. Romanæ Ecclesiæ,ad laudem Omnipotentis Dei, totiusq; Curriæ triumphantis, ad utilitatem meam, totiusq; Curiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere, & in specie, & pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem Sancti Spiritûs, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis Omnipotens & misericors Dominus, Amen.

MEDITATIO XI.

De Tolerantia Laborum

1. HOmo *nascitur ad laborem, avis ad volatum Job. 5.* frustra igitur labores, defatigationes, molestias, vocationi nostræ proprias incusamus, quia in hoc nati, & positi sumus, ut laboremus, secus, qui non laborat non manducet. Ecclesia militans, vinea est, ad quam excolendam hos & illos, benignissimus Dominus vocavit operarios, ut diligenter laborent, desudent & multum patiantur pro salute animarum. Illis in veritate dicitur: *Ego constitui te super gentes, ut evellas & dissipes, & disperdas & ædifices & plantes Jerm: 1.* quid ergo conquereris, ac si jam exhaustus esses: si aliquid extraordinariè sit laborandum, aut paulò diligentiùs Confessiones audiendum, revoca tibi in mentem labores, sudores, noctes insomnes, aliquando in deserto, in nuda humo peractas Domini JEsu pro salute animarum, & erubesce sub tanto Duce velle quieti indulgere. Recordare Sanctorum Apostolorum, quomodò in laboribus multis impendebantur, & superimpendebantur etiam postpositâ vitâ propriâ pro salute animarum, ut pudeat te, in iisdem Castris vel-

velle vivere delicatè, *cùm in Dei militiam adſcripti ſunt, non ad commoditates ſeu voluptates, ſed ad labores & ſollicitudines vocatos ſe eſſe agnoſcant.* ait S. Carol. Borrom. *Vah tibi Clerice, qui peccata populi comedis, bonum tibi erat magìs fodere aut etiam mendicare. Sollicitus eſto tanquam rationem redditurus pro eis.* Clamat contra otioſos S. Bernard. in decl.

II. *Ite & vos in vineam meam Math. 20.* Servus non conducitur ad otium nec operarius ad ſomnum, tu qui ſervus Dei & operarius es, qui eo fine vocatus es, recuſabis laborem? verùm, quis eſt labor tuus? ſub quo ità fatiſcis? dare aurem confitentibus, unâ & alterâ horâ prædicare verbum Dei, rudimenta Chriſtianæ Fidei tradere, infirmos adire &c. eſt aliquis labor non diffiteor, ſed eſtnè par illi, quô nautæ, agricolæ, milites, mercatores, imò Reges & Principes terræ ſuſpiciunt, idq; ut coruptibilem Coronam, temporale lucrum, umbratilē nominis famam, lucrentur, & nos pro incorrupta æterna pigebit aliquantulum fatigari? Nonne meretur Deus optimus apud nos, ut pro ejus amore aliquid patiamur & agamus? Nonne dignæ ſunt animæ, pro quibus ſe Chriſtus exinanivit, ſanguinem fudit, & vitam poſuit, ut & nos miniſtri ejus pro illis aliquid ſuſtineremus moleſtiæ. O! ſi vel una, ex applicatione noſtra ſalvaretur! O! ſi vel uni, prædicatione, inſtructione noſtra, eſſemus cauſa ſalutis. O! quàm grande exigui laboris referremus pretium! Laboremus ergo in omnibus, non indulgeamus nimìs debilitati, laboris parvi ſummus Deus omnis felicitatis Oceanus erit merces magna nimìs. *Cùm apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem æternæ gloriæ coronam.* 1. Petr. 5.

III.

III. *In omnibus labora, prædica verbum, insta importune opportune age, argue, obsecra*, 2. Timo: 4. aspiciens in remuneratorem, qui modicos hos sudores torrente voluptatis tibi compensabit, excita in te desiderium quàm plurimùm pro Deo, & salute animarum laborandi. Resolve te generosè ad quosvis labores, dum te Divina providentia per superiores ad illos applicabit. Confide Deo, qui te adjuvabit, & merita coronabit. Offeras hilariter quales tales in cura animarum labores in satisfactionem pro peccatis tuis, conjunge illos, cum laboribus Christi & si aliquis languor spiritûs, te occupabit, eum excute, vim tibi facito, ingemina: nunc tibi tempus laborandi, post mortem quiescendi. *Qui benè ministraverint, bonum gradum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide in Christo JEsu. Hæc meditare: in his esto: ut profectus tuus* ac labor *manifestus sit omnibus. Hæc enim faciens & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* 1. Tim. 4.

MEDITATIO XII.

De zelo animarum.

I. *QUi misericordiam habet, docet & erudit quasi pastor gregem suum*, Eccli. 18. 1. Considera, rationes, quæ hunc zelum accendere possunt in cordibus Ecclesiasticorum, & illos inducere, permovere, & obligare ad procurandam animarum salutem. 1. quòd ob nullum alium finem sit status Ecclesiasticus institutus. Ea de causa Christus &, Salvator noster suos, ad se vocans Apostolos, eo illos Spiritu replevit, declarans, se eos avocare à piscatione piscium, & sua negotiatione, illo solo fine, ut se de cætero solùm impenderent piscationi hominum, & lucro animarum. *Venite, faciam*

am vos fieri piscatores hominum. 2. extrema necessitas, quâ animæ laborant, ut in hoc malo, & corrupto sæculo alienis præveniantur auxiliîs, ut à peccatis, & peccandi occasionibus retrahantur, ac se opponant diabolo, ministris & artibus ejus, quibûs, maximam partem hominum, conatur trahere ad infernum, deficientibûs operariîs, & auxiliatoribûs, animas ab ejus vinculis & deceptionibus retrahentibus, quod S. Bernardus deplorans justè exclamat. *Cadit asina, & est, qui sublevet eam,* inquit *cadit anima, & nemo est, qui reputet.* Pluranè requiruntur, quibûs inducaris & convincaris ad hanc obligationem? Exemplum Christi Salvatoris nostri, qui te ad hunc vocavit statum, in quo complerés opus, quod ipse huc veniens incepit; pretium animarum, quas suo sacratissimo Sanguine redemit; æterna damnatio, quam illis comminatur, nisì convertantur; strictissima ratio, quam reddere debes, nonnè sunt media sufficientia, & potentissima motiva ad hunc in corde tuo zelum inflammandum?

II. Considera 2. in quo hic zelus salutis animarum consistat. Hic zelus, qui est potissimus amoris Divini effectus. quemadmodùm flamma effectus ignis, non est aliud, quàm ardens affectio, & inflammatum desiderium omnibûs modîs possibilibûs procurandi animabus omnia media bene operandi, & verum ac optimum assequendi bonum, quæ sunt media gratiæ acquirendæ, assequendæ gloriæ, liberationis à peccatis, & inferni, ac æternæ damnationis evasionis; quæ affectio seu desiderium, ut bene sit regulatum, & ordinatum secundùm Spiritum Dei debet tribus principalibus circumstantiis associari. 1. magna puritas & sinceritas, quâ quis excitatus purè prætendat, & inquirat gloriam Dei,

& salutem proximi. 2. discretio magna se non implicandi negotiis, à quibus se expedire non possit, vel non faciendi aut loquendi quidpiam quod plùs possit nocere, & obesse, quàm prodesse & proficere. 3. Magna indifferentia respectu omnium personarum, quarum animæ æqualiter sunt pretiosæ coram Deo, & æqualî pretiô à Christo JESU redemptæ, ità ut una æquè ac altera illi sit grata. Has tres qualitates hujus zeli bene pondera, & maturè considera, sinè quibus semper est magìs nocivus, quàm proficuus.

III. Considera media hunc zelũ acquirendi, conservandi & promovendi. 1. ultra orationẽ, quam quis instanter hunc in finem Deo fundere debet, se reddere hujus capacẽ, diligenti studio & aliis exercitiis pro servitio & utilitate proximi. 2. elicere frequentes actus ad tria vel quatuor capita referibiles. 1. complectitur sermones utiles, exhortationes fervidas, Catechismos proficuos, familiares & pias conferentias, ad debitas Sacramentorum administrationes dirigentes & excitantes. 2. bona comprehendit consilia, correctiones salutares ob defectus & excessus ex charitate factas, sacrificia, & orationes pro sulute animarum, & eorum qui illi student, bonas conversationes conducentes omnigenæ hominum conditioni, & statui in bonum convenientibus, quæ cum Apostolo sunt media se omnibus ità accommodandi, ut quis omnibus omnia factus, omnes Christo JEsu lucrari, conetur. 3. omni tempore sese alicui negotio, aut rei applicare ad hunc finem conducenti, quantum temporis, loci, conditionis & sanitatis libertas permittere poterit. Quid usque ad præsens ex his omnibus pro salute animarum procuranda fecisti? ubi sunt preces, quas eum in finem fudisti? Ubi sunt obsequia, quæ

Ecclesiæ reddidisti? quid ad exemplum Christi Salvatoris nostri hunc in finem passus es! vel si te huic impendisti negotio, qua intentionis puritate, quâ prudentiâ, quâ indifferentiâ fecisti? defectus, quos in hoc commisisti, recogita, de illis doleas, & à Deo veniam postula, & deprecare misericordiam in hanc de cœtero transi sententiam, & opinionem, & dic cum Apostolo: *Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.*

MEDITATIO XIII.

De scientia Presbyteris necessaria.

1. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam*, Malach. 2. Considera 1. juxta præfixa Prophetæ verba obligationem, quam habent Ecclesiastici, ut sint docti, & scientiâ suo statui convenientî exornati. *Prima ratio* desumitur ex Prophetæ Malachiæ verbis locô antecitatô, ex eo ùt dicit, obligantur Ecclesiastici scientiâ præeminere, quia populi debent recipere ex ore ipsorum instructiones, doctrinas, & informationes necessarias, tum quoad doctrinam, & eorum, quæ debent ex honestate fidei credere, tum quoad mores, & eorum, quæ ex honestate operis illis credenda sunt, quibûs in omni vitæ degendæ constitùtione in agendis dirigendi sunt, ideo subdit: *& legem requirent de ore ejus. Altera ratio* desumitur adhuc ex alio Propheta, qui ignorantiâ Presbyterorum, notam constituit reprobationis, & irregularitatis indispensabilis. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, nè Sacerdotio fungaris mihi.* Oseæ 4. v. 6. Verba hæc important generalem suspensionem omnium functionum Sacerdotis. Credidissesnè unquam hanc obligationem ita strictam, etiam sub pœna maledictionis æternæ incumbere.

Presbyteris, ut ſcientiam ſuo ſtatui conformem habeant? habes profectò timendi cauſam, ſi hâc deſtituaris; verùm, etſi ſufficientî præventus ſis ſcientiâ, attende, nè illa abutaris: Non minus porrò culpabilis convinceris, ſi ſcientiam habitam malè, vel non in illum finem, in quem tibi data eſt à Domino impendas, quàm ſi omnino eſſes ignorans, omnî privatus ſcientiâ.

II. Conſidera 2. qualis eſſe debeat ſcientia Presbyterorum. Hæc ſcientia in Presbyteris requiſita ad tria potiſſimùm reducitur capita: ſcire porrò 1. debet quilibet Presbyter res neceſſarias ad propriam perfectionem, & media ad eam pertingendi, exempli cauſâ, debet ſcire modum inſtituendi orationem, examen propriæ conſcientiæ, & alia omnia exercitia Spiritualia. 2. ſcire debet, quidquid concernit Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium, officium Divinum, & omnes Divinas laudes, ſive quoad ceremonias, ſive quoad rubricas, ſive quoad eorum ſignificationes, & myſteria. Et ſcire debet modum has tanti momenti binas functiones perfectè obeundi. 3. ſcire debet quidquid requiritur, & neceſſarium eſt ad adminiſtrationem, ùt oportet omnium Sacramentorum, ad inſtructionem & informationem, quam ſuis debet proximis, ſe eam ob cauſam dans lectioni, & meditationi ſacrarum Scripturarum, & ſuper omnia novi Teſtamenti, & librorum, qui explicant myſteria noſtræ Religionis, debet etiam ſtudio intendere Sanctorum Patrum, & illorum manualium, quæ tractant de caſibus conſcientiæ, ſicut & aliorum librorum tractantium de praxi, & doctrina Sacramentorum. Examina nunc, & te ſeriò introſpice, quam hucuſque curam & ſollicitudinem habuiſti, hanc acqui-

quirendi scientiam tibi ità necessariam. Scisnè perfectè in nullo deficiens, quid Deo debeas, quid proximo, quid tibi ipsi? scisnè, quæ tuæ sint obligationis, quâ Christianus es, & quâ Ecclesiasticus? hoc bene pondera, *nam si quis ignorat*, inquit Apostolus, *ignorabitur*: Verùm si tibi dederit Deus scientiam, non illâ abusus es, vel talibûs impendisti exercitiis, quibûs tenebaris, vel potiùs eam injustè quasì captivam, & otiosam ob respectus humanos, mundanas maximas, & considerationes, quas non ausus es taxare, vel reprehendere, vel te tuis accommodans Auditoribus, iis proposuisti placita, non proficua, nè fortè quia vita tua tuæ non correspondebat scientiæ & cognitioni, reprehensionem incurreres, & tua dicta factis non correspondentia, erubescerent.

III. Considera 3. media, quibûs Presbyter acquirere debet scientiam sibi necessariam. 1. est multùm ob hoc orare & deprecari, exemplô Sanctorum, qui plus didicerunt ad pedes Crucifixi prostrati, quàm ex omnibus libris. 2. est lectura & studium librorum, qui sunt præcisè necessarii ad acquirendam scientiam suarum obligationum, quotidie aliquod temporis spatium eorum applicando lectioni. 3. est frequens conferentia cum personis capacibus talibus, quæ esse solent in Seminariis, vel alibi in communitatibus bene ordinatis. Verùm medium illam sanctificandi, & ejus bonū faciendi usum, est illam impendere ad gloriam Dei ad propriam perfectionem, ædificationem, ac instructionem aliorum, non ad acquirendam vanam æstimationem, & mundanam apud homines gloriam, minus ad lucra, seu negotia lucrativa. Mirumnè est, si tanta inter Presbyteros, & maximè ruri habitantes reperiatur

ignorantia, dum ità videntur fugere ſtudia, lecturam Scripturarum, & conferentias, quasì illis forent gehennæ, Sæculares hujuſmodi confundere debent, & erubeſcere facere, qui die noctuq; ſtudiis incumbunt, ſinè ulla alia obligatione, quàm ut exilem referant honorem, & propriam in vanis ſatisfactionem: Presbyteri verò ad hoc obligantur ſtrictiſſimè vì ſui ſtatûs, & profeſſionis ſub pœna peccati mortalis, qui lumen mundi eſſe tenentur. Firmam fac nunc reſolutionem, & pete inſtanter à Deo gratiam tuæ in hoc obligationi ſatisfaciendi, memor, quòd ſi cæci, hoc eſt, ignorantes repellebantur, nè fungerentur, Sacerdotiô legalî, multò magìs repellendi erunt cæci & ignorantes, nè fungantur, Sacerdotiô Evangelicô, *non accedet ad ministerium, ſi cæcus fuerit*, Lev. 21.

MEDITATIO XIV.

De auditione Confeſſionum.

1. *HOc mare magnum & ſpatioſum, manibûs illic reptilia quorum non eſt numerus*, Pſal. 103. Verè perículoſo mari ſeſe comittit, quisquis excipiendis ſe confeſſionibus applicat. Ah quot reptilia, ſordida deprehendet! quot tempeſtates tentationũ ex tot aliquando turpitudinibus & ſpurtitiis auditis conſurgunt, quot ſcopuli, ſyrtes, & charybdes difficultatum verè arduarum excurrent, quantâ igitur ſanctitate, ſcientiâ, prudentiâ inſtructus debet eſſe Confeſſarius ipſe judica. S. Catharina Senenſis maluit habere doctum Confeſſarium, etiamſi mediocriter probum, quàm pium ſinè ſcientia. O quàm graviùs errant Duces cæcorum, quàm ipſi milites cæci, qui ſinè remis, velis, dico ſinè ſcientia, cæterisq; huic muneri requiſitis huic ſe comittunt mari. Audiunt Confeſſiones ſinè ſcrupulo, abſolvunt indiſcriminatim

ac

ac si Papæ essent de plenitudine potestatis omnia facientes, etiamsi vix primis labris gustaverunt scientiam. *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Eccl. 7. Ah! quot animas seducunt, imò mactant, quot conscientias involvunt, quot absurdas resolutiones faciunt, & hoc est ex magna parte, dissolutionis in Christianitate occasio, quia Confessarii ignorantes, indocti nesciunt uti clavibus; aperiunt, ubi non est necesse aperire, claudunt, ubi aperiendum esset. Hinc fit, ut non semel projiciant margaritas ante porcos, & sanctum præbeant canibus, & indifferenter absolvendo indignos, non arguendo, non instruendo, præbent ansam peccatoribus, ut liberius peccent. Ut docet Conc. Trid. *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti.* & Card. Bellarm. *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Vide diligenter, qualiter te huic functioni comittas. Medicus imperfectus homicidam se facit. Indoctus Confessarius carnifex conscientiarum. O quanta præcipitantia in auditione confessionum! pro gloria sibi ducunt, si quàm plurimorum confessiones per integras horas exaudiant, nihil interrogant de numero, circumstantiis peccatorum, de habitu seu consvetudine, vel de occasione proxima, non discernendo, quinam digni, qui indigni sunt absolutione, in quo seipsos & suos pœnitentes graviter seducunt. *Sacerdos sit discretus & cautus, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati* ait Concil. Lateran. IV. cap. 21.

II. *Confessionem & decorem induisti*, Psal. 103. Decorum est & meritorium dare aurem confitentibus & opus est, ut sis amictus lumine sicut vestimentô. 1. lumen necessarium est scientia competens, de-

debes ad minimùm Theologiam moralem callere, nec ſufficit, quòd eam ſemel legendo percurriſti, ſed iterum atque iterum, tolle, lege, volve, revolve, memoria enim noſtra valde labilis, cito obliviſcimur eorum, quibus ſtuduimus. 2. Debes habere eximiam prudentiam, ut ſcias quomodò cum timoratis, verecundis, quomodò cum diſſolutis, obduratis agendum, quomodò cum inhabituatis, cum exiſtentibus in proxima occaſione, quomodò cum recidivis procedendum, quæ remedia contra peccata, quæ ſatisfactiones imponendæ. 3. charitatem, idque paternam, Patrem te utique vocant, cùm confiteri incipiunt; ergo ſicut cum filiis cum pœnitentibus paternè agendum, tum condolendo miſeriis illorum, tum paternè admonendo, cùm neceſſe eſt, tolerandum quandoque eſt, præſertim inſcitiam, dum quid pro quo confitetur, tum affabilitatem, non increpando, non durè agendo, nè terreantur miſeri peccatores, detq; illis occaſionem ſacrilegè reticendi peccata, ſed ſuaviter manſvetè cum illis agendo, à nimia tamen affabilitate cum mulieribus eſt abſtinendum, ſatiùs paululum ſeveriùs, intrà limites tamen prudentiæ, tractent, nè aliquem concipiant inordinatum affectum, ſed potiùs revereantur Confeſſarium. 4. fortitudinem, quando neganda vel differenda abſolutio, ut illam indignis non impertias; magnâ tamen hìc diſcretione & prudentiâ opus eſt, nè ſis vel nimìs largus vel nimìs parcus. *Videat diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda abſolutio; nè abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces; quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut peccata dere-*

lin-

linquere, & vitam in melius emendare nolunt &c. ait Ritual. Rom. 5. Intentionem rectam in hac functione, non aliquam curiositatem, sed purè gloriam Dei & salutem animarum quærendi. 6 amorem puritatis, nè auditis spurcitiis ipse contamineris, sed sis sicut lux, quæ etiamsi per immunda loca transeat, ipsa tamen non maculatur. Quando obscena illa audis, aut gravia alia peccata, cave, nè aliqua indignatione, motu extraordinarie, admiratione, suspiriis, aliis suspicionem, & pœnitentibus confusionem ingeras. Denique juvare semper debes pœnitentes in explicandis peccatis, inquirendo de numero circumstantiis peccatorum, &c. sinè tali enim examine & explicatione, sæpissimè confessiones sunt sacrilegæ, fide enim constat, hæc omnia debere explicari exactè.

III. *Quotcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis Math. 16.* Magna sanè authoritas Confessarii, ut quidquid ille recte decreverit in terris, ratum & firmum habeatur in cœlis, quapropter ut dignè hôc arduô officiô fungaris, non debes te ultrò ingerere, nisì à superioribus vocatus, ab illisq; approbatus. 2. auditurus Confessiones primò & te, & pœnitentes, per brevem orationem commenda Deo, intentionem forma, velle tunc omnes absolvere supra quos protuleris formam absolutionis, quam semper secretè proferre debes. Implora Sanctum Spiritum, ut tibi assistat, te dirigat, & illuminet, nè erres, pete gratiam, nè ab aliqua tentatione supereris, aliosq; levando, ipse inquineris. *Cor mundum in me crea Deus*, identidem devotè repetendo. 3. cordis custodiam diligentem habeto, identidem per cursum confessionum illud ad Deum, elevando, protestare coram Deo, te velle

millies mori, quàm aliqua turpi delectatione fœdari. Si senseris motus inordinatos, aut quid aliud ex auditis, illud generosè contemne, scito illa non nocere, modò non consentias. 4. Seriò audi, juva, instrue pœnitentes in prudentia tamen & in doctrina. Cave nimium protrahere & cum nausea aliorum inutilibus quæstionibus, exhortationibus confessiones, maximè fæminarum, non ideo tamen præcipitanter sinè satisfactione pœnitentes tuos debes expedire, ùt monet Rituale Rom. *Postremò salutarem & convenientem satisfactionem, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, injungat, habitâ ratione, status, conditionis, sexûs, ætatis, & dispositionis pœnitentium, videatq; , nè pro peccatis gravibus, levissimas pœnitentias imponat &c.* In pœnitentiis injungendis, non sis nimiùm crudelis; in difficilioribus, cum venia pœnitentis, si ipse non sufficis, consule libros & peritiores. Si tamen putas te rectè omnia perfecisse vel percepisse, & judicas te secundùm principia & fundamenta tam Theologica quàm spiritualia, si qui timores, anxietates, & scrupuli orientur, eos contemne. 5. Post auditas Confessiones Deo gratias age, pro felici successu, pœnitentes Deo commenda, ut sincerè ad illum convertantur, & non redeant ad vomitum. 6. Sæpissimè relege in Rituali Romano monita, ubi de Sacramento pœnitentiæ, & monita Confessariorum, S. Caroli Borromæi. Demum summopere cave de auditis in confessione, etiam per modum casuum & in communi loqui, imprudens enim hæc loquela & discursus, peccatô non caret.

ME-

MEDITATIO XV.

De bona & sancta conversatione Presbyterorum inter se & cum Laicis.

I. IN *omni conversatione sancti sitis.* 1. Petri 1. Considera 1. quantùm intersit Ecclesiasticis, ut sanctè inter se, & cum Laicis conversentur. 1. ex eo, quòd ex conditione sui statûs debeant esse sancti, non solùm in se, & pro se, verùm etiam ut alios ad sanctitatem inducant, & excitent, tam exemplô vitæ suæ degendæ, quàm virtute suorum verborum & discursuum. Hanc ob causam illos Salvator noster appellat *sal terræ.* Apostolus Paulus vult, ut sint *bonus odor Christi in omni loco.* 2. ex eo quemadmodùm non est bonum æquale, & comparabile illi, quod sancta decens, & bene regulata conversatio producit & causat, ità, & nullum est majus malum è contrariò quàm illud, quod accidit ex mala, irregulata, & inordinata conversatione. In hoc porrò specialius Laici observant Ecclesiasticos, in eo vident, quid eos deceat facere, & prosequi, vel omittere, & fugere, credentes totum illud ipsis esse permissum à fortiori, quidquid facit Ecclesiasticus. Eheu quàm pauci Ecclesiastici, hanc ùt par est apprehendunt veritatem! imaginantur sibi, quòd in conversationibus illis omnis detur libertas dicendi, & faciendi, quidquid libuerit, non attendentes ex illis sumere fructum pro se, vel pro aliis.

II. Considera 2. quales conditiones & qualitates habere debeat conversatio, ut sit bona, laudabilis, & ædificatoria. Harum sunt tres principaliores, ad quas omnes aliæ referuntur. *Prima est*, ut sit suavis, affabilis, gratiosa, humilitate sociata, de-

con-

corata honestate, curialis, modesta, & hilaris. *Altera est*, ut sit utilis, bonîs & utilibûs coloquiîs, & discursibûs, bonos affectus in iis, cum quibus conversatio est producentibus. *Tertia est*, quòd sit prudens, considerata, & circumspecta. 1. in electione personarum, cum quibus conversandum est. 2. ex electione horæ & temporis debiti, quod impendendum est tali conversationi. 3. ex discretione discursuum, quos oportet proponere juxta qualitatem, humorem, & conditionem personarum præsentium, ut nulli conversatio sit tædiosa, scandalosa, & nociva. Examines te modò, si in omni conversatione tua ordinaria has observaveris qualitates,& circumstantias, quæ sunt communiter societates, quas frequentas? quales proferas discursus? qualiter te habeas in omni compositione corporis, & in omni eventu? Eheu! quàm cito pro nihilo sumus morosi, contentiosi, punctivi, indignabundi, & vindicativi! quoties locò bonorum sermonum tempus terimus discursibûs vanîs, frivolîs, mundanîs, & inutilibûs! quot committimus defectus ex imprudentia, præcipitantia, & inconsideratione, nostrîs impertinentiîs, & indiscretionibûs? de tot doleas deordinationibus, & considera media, quibûs hisce medelam adferre possis.

III. Considera 3. media, quibûs tuam conversationem reddere possis utilem, exemplarem & ædificatoriam. 1. est, semper ob oculos habere Dominum, & Salvatorem nostrum Christum JEsum præsentem, qui apparens in terra vestimentô nostræ mortalitatis indutus, conversatus est cum hominibus, ut addisceremus exemplô ipsius conversari. 2. est, removere omne illud, quod posset ponere obstaculum, nè nostra conversatio esset uti-

tilis, bona, & laudibilis, & præcipuè malos diſcurſus, & indecentes: cujusmodi ſunt detractiones, obtrectationes, contentiones, æmulationes, verba indecentia, & inhoneſta, æquivoca, & multiplicis intelligentiæ, diſcurſûs, vanitatis, & oſtenſionis, & ſuper omnia jocos, nugas, & nugacitates, qualescunq; tandem illæ fuerint, quæ juxta S. Bernardum *in ore Laici ſunt nugæ, in ore autem Presbyteri* ſeu Deo & Divinis ſervitiis conſecrati, *ſunt blaſphemiæ & ſacrilegia.* Sit ergo tua reſolutio de cætero ità tuas regulare converſationes, ut ad exemplar Domini, & Salvatoris noſtri Chriſti JEſu fiant, ut ſint utiles tibi & aliis, quibuſcum, contigerit te converſari, eaque de cauſa reſcindas, & exulare facias omnes diſcurſus malos, & indecentes, & ſemper interponas verba decentiæ, doctrinæ & utilitatis, ut caveas ab obtrectatione, & detractione abſentium, à præſentium punctione, & objurgatione, & à propria laude & jactatione. Converſatio noſtra, inquit Apoſtolus in cælis eſt, hoc eſt, ùt explicat S. Juſtinus: Omnes noſtri diſcurſus, & ſermocinationes, quas depromimus verbô, vel ſcriptô debent eſſe de cæleſtibus, vel dirigere ad cœleſtia, ut in nobis conſilium Apoſtoli habere locum appareat: *Exemplum eſto fidelium in verbo & converſatione.* 1. Tim. 4.

MEDITATIO XVI.

De Reſidentia in ſuis Beneficiis.

1. *ATtendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit - - - - regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo.* Act. 20. Conſidera 1. quantum interſit Paſtoribus perſonaliter reſidere in loco ſuorum beneficiorum, cùm ad hoc obligentur omni jure

na-

naturali, Divino, & Ecclesiastico. Estque hæc principalis inter eorum obligationes. *Primò* adstringuntur ad hoc jure naturali, ex eo quòd debeant cognoscere vultum pecoris sui, & suos subditos in qualitate patris nutrire, & providere illis de bonis pascuis spiritualibus. Ad hoc *secundò* obligantur jure Divino, ùt exprimitur in multiplicibus locis & passibus novi & veteris Testamenti. *Tertiò* ad hoc adstringuntur, & jure Ecclesiastico, ùt innotescit ex omnibus Conciliis, quæ hujus mentionem fecerunt, & clariùs præ omnibus aliis in Concilio Tridentino. Verùm hæc necessitas adhuc magis innotescit ex magnis incommodis, malis, & inconvenientiis, quæ ex defectu hujus residentiæ accidunt, & principaliter ruri, ubi si Pastores absint, Divinum officium exulat, infantes moriuntur sinè Baptismo, infirmi sinè Confessione, & Communione, ignorantia universaliter dominatur, juventus nutritur in omni libertate, & dissolutione, Sacramenta sunt neglecta, & contempta, hæresis paulatim facilè serpit, & tandem post aliquod tempus absentiæ Pastoris, vix poterit in villis, pagis, & oppidis apparere vestigium alicujus religionis veræ. Hinc insignis notæ ac eruditionis Theologi, & Canonistæ, vix audent excusare à peccato mortali Parochum ultra octo dies sinè justa causa absentem à sua Parochia. *O Pastor & idolum derelinquens gregem!* Zahar. 11. *Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos; Nonnè greges à Pastoribus pascuntur.* Ezech. 34.

II. Considera 2. quàm frivoli sint prætextus, & excusationes inanes ordinariè adferri solitæ à quibusdam, ut secum vanè dispensetur in obligatione tan-

tanti momenti, & ità urgente. Allegant *Primò*, quòd sint familiæ nimìs bonæ & honestæ, ut habitent in parva Parochia: Verùm Christus JEsus triginta tribûs annîs super terram inter homines, qui erat Filius Altissimi habitare & vivere non dedignatus est. *Secundò* se non posse illam rusticorum pati stupiditatem, & ignorantiam: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera.* Prov. 27. Sapientia æterna tribûs annîs suorum discipulorum imperfectiones, ignorantiam, defectus, & inscitiam passus est. *Tertiò* se nimiùm sentire laborem in audiendis Confessionibus, in communicandis hominibus, & in prædicando Evangelio, ex eo, vel quòd ad hæc careant fortitudine, vel capacitate. At cur ergo sibi tale onus propria imposuerunt voluntate, nullo cogente vel invitante? *Quartò* dicent se constituere Vicarium ad hoc munus obeundum: At, sæpe vel ignorantem vel scandalosum, ac dein, quo jure & titulô integros fructus & proventus ex beneficio percipiunt, modicô nonnisi solariô suo vicario relictô? Tandem *quintò* allegant reditus esse insufficientes: verùm penes te stat illud onus suscipere, nè quærimoniam de hoc oporteat te facere. Et tandem omnes eorum excusationes in peccatis procedentes ex naturæ pravitate, vel cupiditate non ex justitiæ æquitate, quas magnus animarum Pastor in illo die terribili, & tremendo Judicii, non recipiet, in quo poscet pro anima animam, & videbunt, quid sit hæc Residentia, quam contempserunt. Bene pondera, & maturè considera, quot porrò habes Parochianos, tot habebis accusatores, & Judices in illo tremendo, & terribili momento, ex hoc, quòd Deus tibi de quolibet mandavit, ac præcepit, dum suscepisti curam tui mi-

ministerii & Parochiæ, quod in Scripturis Sanctis exprimitur; *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* 3. Reg. 20. Verùm non sufficit Parocho suæ Parochiæ esse præsentem præsentiâ corporali, ut suis satisfaciat obligationibus, verùm debet esse moraliter, hoc est per seipsum catechizare, prædicare, Sacramenta administrare &c. *Qui curam animarum suscipiunt, ipsi peragant, ut ipsi proprios manipulos Domino repræsentent, nam ipse ovem perditam diligenter quæsivit, ipse invenit, ipse propriis humeris reportavit, quid nos miseri, & desides dicturi sumus, qui etiam pro ovibus nobis commissis curam impendere negligimus, sed aliis eas educandas tradimus?* inquit S. Damianus Ep. 5. ad Damas.

III. Considera media, quibûs Residentia hæc tibi & aliis sit proficua, utilis & meritoria. 1. est vita exemplaris, irreprehensibilis, & inconfusibilis in omnibus, non terendo tempus in conversatione cum fæminis imò vitando nimiam cum suis Parochianis familiaritatem, cum aliis conversationem inutilem, aut non proficuam. 2. Unô beneficiô contentũ esse, sic enim & tuæ saluti & populi tui utilitati melius providere poteris, timendo extremè illam horibilem D. Thomæ Aquinatis sententiam: *Qui non unus, sed plures est in beneficiis, non unus sed plures erit in suppliciis.* S. Thom. quodlib. 9. art. 15. *Neminem posse duo beneficia si unum sufficeret ad eum alendum obtinere sinè peccato mortali* definivit Concil. Parisien. Hinc B. Albertus Magnus olim cuidam Presbytero Ecclesiæ Coloniensis, qui valde contentus Româ reversus est, obtentâ licentiâ plura simul beneficia possidendi: *Poteras ire in infernum sinè licentia, nunc ibis cum dispensatione.* 3. Est, se tota die occupare, juxta tibi à te ipso præscriptas regulas, quandoq; visitan-

do

do infirmos, quandoq; Ecclesiæ tuæ intendendo decori, quandoque habendo curam pauperum, intendendo quandoque instructioni juventutis, vel similibus sese impendendo, ut nunquã sit locus otii & ignaviæ. Et ipsô factô ad quid servit Pastor, nunquid non ad hoc, ut suis invigilet ovibus, ut gregem suum pascat? ad quid porrò recipis corporalem nutritionem, & sustentationem, nisì ad hoc, ut subministres illis Spiritualem? cur omnes in una Parochia labori intendant, & tu solus otiosus manebis? opùsnè est minas intendere ad te excitandum, & obligandum, ut ità justæ satisfacias obligationi, & debito? Dignitas animarum, charitas Christi, exemplum ejus, nonnè sunt motiva sufficientia te ad hoc obligandi? *Pascite ergo, qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, neque ùt dominantes in cleris, sed ùt forma facti gregis ex animo.* 1. Petr. 5.

MEDITATIO XVII.

De modestia Clericali in habitu Clericali gestando, & comâ non nutriendâ, &c.

1. CONsidera quàm grave malum sit Clerico, nisì veste Clericali semper indutus incedat. 1. novem & triginta Conciliorum Canones ad hoc ipsum specialiter adstringentes impudenter refringit. 2. pœnas ab hujusmodi Conciliis constitutas, & insuper à Tridentino renovatas, incurrit, puta suspensionem ab ordine, officio & beneficio, pro prima vice: pro secunda verò, perpetuam ab officio & beneficio privationem. 3. lethaliter peccat, juxta gravium Doctorum sententiam, si unica die in

in publico ſinè Clericali habitu apparere non erubeſcat. 4. indignus efficitur abſolutione Sacerdotali, quæ, ùt bene notat B. Epiſcopus Gebennenſis, ei meritò denegari debet. 5. tamdiu inter improbos & malæ notæ viros reputabitur, quamdiu habitum profeſſionis ſuæ contemnendo, & ipſam profeſſionem (ſtatum ſcilicet Clericalem) contemnere, indicabit. 6. ſeſe, manifeſto gerendi prava opera, à quibus per habitum Clericalem præſervaretur, periculo exponit. 7. deberet ipſum pudere virtute longè inferiorem eſſe plurimis judicibus laicis, qui ſinè veſte talari nec unô ſolùm momentô incedere auderent. 8. anſam præbet laicis ipſum parviſaciendi & contemnendi. 9. injurioſus univerſo Clero, qui labem quodammodò patitur ab unius ex ſuis fœditate perinde ac corpus univerſum ab unius membri defectu. 10. ſuô pravô exemplô conſvetudinem non geſtandi Clericalem habitum corroborat, & viam junioribus Clericis ad ſimiliter agendum parat. 11. Apoſtata non minùs cenſeri debet, quàm Religioſus, qui ſuæ Religionis habitum deſerit, ùt poſt Lateranenſe Concilium, Toletus Cardinalis Eminentiſſimus atteſtatur. 12. denique Clericus, qui pertinaciter habitum Clericalem geſtare refugit, ab Eccleſia anathematizatur. O infeliciſſimum filium! qui matrem omnium piiſſimam talibûs tormentîs & maledictîs filios ſuos cogit percellere. *Gravis & perverſus nimis abuſus eſt, Clericum, habitum ſuum non deferre, in quo Deus irrideri dicitur, obſcuratur decus Eccleſiæ, Clericalis ordinis celſitudo deprimitur, Chriſtus à ſuis militibus deferentibus inſignia aliena, deſeritur, decus honeſtatis Eccleſiæ maculatur, dum Clericum à Laico reſpiciens oculus non diſcer-*

nit,

nit, atque omnibus verè fidelibus in scandalum fit & in despectum, ità ait Concil. Londinens.

II. Confidera excusationes Clerico esse nullas, qui se ab obligatione gestandi habitum Clericalem eximere prætendit. Quid enim, si 1. dicant antiquos Canones abrogatos. Cùm Tridentina Synodus, necnon super hac re Prælatorum omnium declaratio eosdem Canones renovârit. Quid, si 2. hanc obligationem esse tantùm ad decorem, & non ad rigorem? cùm ad hos sub pœna omnium gravissima, (puta excommunicationis Ecclesiasticæ) obliget. Sed ad quid 3. plurimorum exempla sinè decenti veste incedentium in medium adducere? cùm non propterea cesset obligatio jejunandi in Quadragesima, quòd plurimi eam frequenter violent: nec 4. dicant se raró in hoc delinquere: si enim, qui unico die jejunium frangit, peccat lethaliter; quidni & tu, si per diem unam veste Clericali exutus incedas? nec 5. vestem nimìs onerosam prætexere, cùm non minùs sit onerosus Religiosorum habitus, & sinè ullo onere in Ecclesia vivere velle indignissimum sit: nec 6. fore ut à cæteris irridearis, cùm penè innumeri venerabiles Clerici non irrideantur, licèt Clericali veste induti semper incedant, & licèt irridereris ab aliquo levi & mundano, numquã habitum Clericalem deponere debes, nec 7. à parentibus te impediri, cùm eis hac in re obtemperare minimè debeas: *Qui* enim (ait Christus Dominus) *amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus*: si 8. denique dicas te, quamvìs habitu Clericali exutum, sufficienter ab aliis dignosci. Fatere te tunc indecenter incedentem ab omnibus pro Clerico scandaloso & vitioso haberi & reputari. *Insuper* attende, quanta sit ignominia Sacerdoti vestes curtas non tala-

res deferre, comam capitis nutrire, ac more fæminarum, manus velut torque ornare, contra quos olim cum fletu insurgebat S. Bernardus. *Intuere! quomodò incedunt nitidi & ornati circumamicti varietate, tanquam sponsa procedens de thalamo suo, nonne si aliquem talium repente eminùs procedentem aspexeris, sponsam potiùs putabis, quàm sponsæ Custodem. O miserandam sponsam* nempe Ecclesiam, *talibûs traditam Paranymphis!* Iterum habetur in Jure Canonico dist. 3. c. 23. *Non oportet Clericos comam nutrire, sed attonso capite, patentibûs auribûs, & secundùm Aaron talarem vestem induere.* Et ibidem can. 21. *Prohibete fratres per universas regionum vestrarum Ecclesias, ut Clerici juxta Apostolum comam non nutriant* : Et iterum ibidem Can: 23. *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, sit anathema.*

III. Considera quot & quanta bona, si fideliter habitumClericalem gestes, percepturus sis; 1. quod jam tibi turpe & onerosum videtur, tunc gloriosum & jucundissimum experieris. 2. si mores à Clericali veste non discrepent, bonam tibi famam, sinè dubio comparabis. 3. ad Sacramenta decenter administranda semper eris paratus. 4. liber eris omnino à variis conscientiæ stimulis, quibûs indecenter ornatus Clericus cruciatur. 5. Clericos alios ad tui laudem ac imitationem stimulabis. 6. pergratam sanè rem facies Christo Domino, veluti servus fidelissimus, qui pro magno honore reputat tesseras & insignia Domini sui deferre. 7. in omni loco concionatorem utilissimum te exhibebis: præsentia enim Clerici decenter & modestè ornati, prava tum verba, tum opera præpedit, & ut bona substituantur, conducit. 8. si vestem Clericalem serves, ipsamet te servabit, & (ùt ait vir sanctus) al-

alterius Angeli Custodis officia præstabit. 9. pios licebit imitari Clericos, qui vestem Crericalem in memoriam togæ Dominicæ, cujus est figura, & in gratiarum actionem pro bonis per illam acceptis, manè, vespere & aliàs devotissimè deosculabantur. 10. tandem gaudium magnum creabis & Angelis & piis omnibus Clericis, ut in extremo tuæ mortis articulo incredibili perfruaris pace & consolatione, si mihi, te ad vestem Clericalem continuò gestandam exhortanti, obtemperare non renueris.

MEDITATIO XIII.

De obligatione populos catechizandi & evangelizandi Sacerdotibus & Clericis annexa.

1. CONsidera, ô Sacerdos vel Clerice, cur debeas per catecheses & familiares conciones populos instruere & docere. 1. id necessitas postulat: plures enim scitu necessaria ad salutem ignorant: *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* 2. Pauperes rusticani ad divinum verbum attentè audiendum, & ex eodem fructum percipiendum perfectissimè parati & dispositi sunt: sed heu! heu! quod de iis prædixit Propheta, in hoc pravo sæculo verificatur: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* 2. hoc intendit sancta Mater Ecclesia, scilicèt ut omnes Clerici, unusquisq; juxta vires suas, populis instruendis magna cum diligentia & assiduitate operam navent. 4. Clerico est, moraliter loquendo, bene fungi suo munere & suis obligationibus satisfacere, si catechisandis rudibus & populis instruendis minimè vacet, 5. magnam sanè remunerationem conferet Dominus omnibus in animarum salute procuranda coadjutoribus suis, quippe qui tamquam luminaria magna fulgebunt in per-

petuas æternitates. 6. *Omnium divinorum diviniſſimum eſt* (inquit D. Dionyſius) *Deo in animarum ſalutem, ut faciunt Dei verbum Evangelizantes, cooperari.* 7. Clericus qui non catechiſat nec evangelizat, ſimilis eſt malitiâ ſervo nequam, qui acceptum talentum abſcondit, & ei quoque aſſimilabitur in pœna. 8. Clericos & Sacerdotes pudere deberet, quòd mulieres non paucæ, quæ pauperes catechiſant & inſtruunt, eos caritate & animarum zelô longè ſuperant & antecellunt. 9. qui Dei verbum annunciat populis, rem gratiſſimam facit Chriſto Domino, qui nullam aliam à D. Petro amoris notam exigit, niſi ut oves ſuas paſcat pabulo verbi divini: *Paſce oves meas* (inquit) *paſce agnos meos.* 10. denique ſi valde reus cenſetur, qui panem materialem pauperi fame pereunti minimè ſubminiſtrat; quantò magis ille reus cenſendus, propter cujus culpam plures animæ pabulô divini verbi ſibi deficiente miſerè pereant, & ad æterna ſupplicia detrudat & deputentur.

II. Conſidera media ad populos cum fructu & utilitate catechiſandos & evangelizandos idonea. 1. non ſtatim munus prædicationis ſuſcipere, ſed priùs per longum tempus pueros & pauperes, imò & omnes, familiariter catechiſare. 2. ità clarè & diſtinctè mentem tuam auditoribus exprimere, ut rudiores plebei, mulierculæ, & ipſi parvuli ex tua concione vel catecheſi fructum valeant percipere. 3. ruri potiùs & in pagis, quàm in urbibus, catechiſare & evangelizare, ad imitationem Chriſti, qui Jeroſolymam, ut in Caphanaum & in deſerta loca concionaturus ſe conferat, deſerit. 4. priùs facere quàm docere, & plus exemplô quàm verbô prædicare. 5. per aliquod menſes in quodam Cleri-

ricorum Seminario remanere. 6. doctrinæ quorumdam Theologorum, qui in statu peccati lethalis concionari grave peccatum existimant, numquam oblivisci. 7. methodum observare virorum Apostolicorum, qui sermonem de virtute aut vitio in tres partes dividunt: & in prima rationes cur istam quærere vel istud fugere debeamus: in secunda, definitionem & signa talis, vel vitii vel virtutis: & in tertia, media vel remedia afferunt ad virtutem comparandam, & vitium fugiendum & expellendum. Vel si de aliquo tractent mysterio, in prima parte veritates scitu necessarias, & in ultima utilitates ex hujusmodi veritatibus percipiendas. 8. catechisare vel concionari cum quatuor dispositionibus ab Apostolo requisitis, ex finceritate, quasi ex Deo, coram Deo, in Christo. 9. deniq; antequam te accingas ad catechisandum vel concionandum, gratiam à Deo humiliter petere, & priùs cum Deo loqui quàm homines alloqui.

III. Considera vanas esse excusationes, quas afferre posses ad te ab hoc munere populos catechisandi & evangelizandi dispensandum. Neque enim 1. dicas amplum esse numerum concionatorum, cùm ii, qui ritè concionantur vel catechisant, paucissimi sint: nec 2. te non satis doctum & literatum scientiam enim ad hoc sufficientem habere teneris; & si non habes, stude, ut habeas: adde quod ad pueros, rusticanos, vel pauperes catechisandos scientia modicissima sufficit: nec 3. te non eo fine factum Sacerdotem, cùm nullum intendat Ecclesia ad Sacerdotium vel Clericatum promovere, sinè intentione populos catechisandi vel evangelizandi: *Quod enim Christiani sumus*, inquit D. Joannes Chrysostomus, *pro nobis est: quod verò Sacerdotes, pro aliis.*

Nec 4. valet dicere te beneficium non possidere, aut ei quod possides nullam animarum curam esse anexam: omnes enim laici tui subditi sunt, & debes, si potes, omnes animas curare & omnium salutem procurare. Nec 5. te per Vicarium propriæ obligationi satisfacere: si enim Parochus es, juxta gravium Doctorum opiniones, tu ipse in propria persona oves proprias teneris verbi divini pabulô pascere: & quisquis sis, gratia divina abuteris, si juxta mensuram talenti accepti populorum instructioni vacare renuas & recuses. Nec 6. hoc exercitium vile & nimis humile prætextare: nihil enim nobilius, nihil laudabilius, ùt bene sciebat clarissimus vir Gerson Cancellarius Parisiensis, qui pueris catechisandis & instruendis insudabat, & felicem, dum hæc ageret, jure merito se reputabat. Nec dicas denique timere te, nè cùm aliis prædicaveris, ipse reprobus efficiaris; sed potiùs time, nè pereas, si animas Christi Domini sanguine, pretiô inæstimabilî redemptas, tuâ culpâ perire patiaris. Mactè igitur animo, urget te caritas JESu, & prohibet ullam ab onere populos catechisandi vel evangelizandi quærere dispensationem.

COROLARIUM.

Pro Sacerdotibus.

MUltùm juvabit sæpe relegere maximas & sentimenta SS. Patrum, quomodò describant convenientes characteres, quibûs ornatus debet esse Sacerdos, & quantâ debeat pollere vitæ sanctitate ac exemplaritate.

S. Augustin. serm. 36. ad Presbyteros ait: *Sacerdotes Altissimi, vos estis sal terræ, lux mundi, lucerna ac-*

cen-

censa, civitas in monte posita, columnæ templi, arbores scientiæ in medio Paradisi plantatæ, Patroni & Rectores Ecclesiarum, vos Angelorum socii, cæli cives, filii Prophetarum, Patriarcharum cognati, denique Apostolorum successores. Estote igitur mundi, & verè mundi, ut dignè, sicut Patres vestri, vasa Domini ferre mereamini; vasa inquam non jam aurea vel argentea, sed illa, ad quæ redimenda, Christus mori voluit.

S. Chrysostomus. *Magna est confusio Sacerdotum, & omnium Clericorum, quando laici inveniuntur fideliores eis, aut justiores; quomodò autem non sit confusio, illos esse deteriores laicis, quos etiam, æquales esse, confusio est.*

S. Bernardus de conv. ad Cler. c. 11. *Esset sine dubio meliùs, salvari in humili gradu fidelis populi, quàm in Cleri sublimitate esse, & deteriùs vivere, ac destrictiùs judicari.*

S. Chrysost. hom. 38. in Matth. *Unusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem, Sacerdotes autem non solùm pro suis, sed & pro omnium peccatis.*

S. Isidorus de Offic. lib. 2. *Qui in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur.*

S. Hieron. l. 18. in Ezech. c. 44. *Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina illorum est, si peccent.*

S. Chrysost. l. 3. de Sacerd. c. 11. Non *temerè dico, sed ùt affectus sum & sentio, non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multò plures, qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum requirit animum, multas enim habet causas, quæ depellant eum à suis moribus, & innumeris oculis illi opus undique. Neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potiùs dignitate, peccatum omnes metiuntur.*

Idem S. hom. 27. in Matth. *Sacerdos si pariter cum subditis peccat, non eadem, sed multò acerbiora patietur.*

S. Leo Epist. ad Anast. *Tam excellens est Sacerdotum electio, ut, quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.*

S. Thomas de Aquin. *Si videris hominem in suis ludicrum, & jocosum nimis discursibus, & qui sibi nimiè complaceat in facetiis ac scurrilitatibus, etsi faceret miracula, hunc æstimare noli spiritualem.* juxta id, quod docet Apostol. Ephes. 5. *Turpitudo, aut stultiloquium aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, nec nominetur in vobis sicut decet Sanctos.*

S. Bernardus. *Inter seculares nugæ, sunt in ore Sacerdotis blasphemiæ. Consecrasti os tuum Evangeliô, talibus jam aperire illicitum, assvescere sacrilegium.*

Concil. Trident. sess. 4. de script. Canon. *Temeritatem illam* (hæc S. Synodus) *reprimere volens, quâ ad profana quæquæ convertuntur & torquentur verba & sententiæ S. Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones &c. mandat & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, nè de cætero, quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc & similia usurpare audeat; ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis, per Episcopos coërceantur.*

S. Leo Papa dist. 38. *Si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quantò magis in his, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec veniâ.*

S. Isidorus. *Elaborandum est Sacerdotibus, ut ignorantiam à se, quasi quandam pestem, abjiciant. Sicut enim iniqui, & peccatores ministerium Sacerdotale assequi prohibentur, ità indocti & imperiti à tali officio retrahuntur.*

Concil. Trevirense. *Ebrietas insignium flagitiorum incitatrix & scaturigo, Ecclesiasticum gradum, summa cum turpitudine passim infamavit.*

Dist.

Dist. 44. c. fin. *Si laicis commessationes damnabiles sunt, multò magìs, Sacerdotibus imputantur ad gehennam.*

Concil. Ravennatense. *Clerici laicorum convivia non frequentent, quia valde honestatem dedecet Clericalem, ipsorumq; Clericorum facit vilescere authoritatem.*

S. Petrus Chrysolog. *Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium, quia alter animam suam necat vinô, Sacerdos Spiritum sanctitatis extinguit.*

S. Augustinus de indulgentiis ebriosorum: *Modò eos ebriosi calicibûs persequuntur, quos tunc furiosi lapidibûs persequebantur.*

Constitut. Synodal. Prov. Polon. l. 5. c. 8. *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant, nec ad bibendum quisquam incitetur, cùm ebrietas & mentis inducat exitium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitùs decernimus abolendum, quô in quibusdam partibus, ad potus æquales suô modô se obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fæcundiores exhaurit; si quis autem super his, se culpabilem exhibuerit, nisì à Superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur.*

S. Gregorius M. Papa. *Si qui sunt Presbyteri, qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex parte Omnipotentis Dei & Sancti Petri authoritate, introitum Ecclesiæ, usque dum pœniteant. Si quis verò in peccato suo perseverare maluerit, nullus vestrum eorum præsumat audire officium; quia benedictio eorum vertetur in maledictionem.*

Idem S. de cura pastor. c. 5. *Scire Sacerdotes debent, quòd si perversa perpetrant, tot mortibûs digni sunt, quot ad subjectos sibi, suæ perditionis exempla transmittunt.*

Hæc meditare in his esto ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 1. Tim. 4.

ME-

MEDITATIONES DE VOTIS RELIGIOSORUM.

MEDITATIO I.

De præstantia votorum.

1. COnsidera, vovere Religiosi non esse aliud, quàm relictô sæculô se totum divino servitio dedere, & ad perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam in Religione approbata obligare: hîs enim tribûs virtutibûs removemus omnia impedimenta perveniendi ad vitæ Christianæ perfectionem, quæ est religiosæ vitæ finis. *Quicquid* enim *est in mundo*, vel sæculo 1. Joan. 2. *aut est concupiscentia carnis*, quæ tollitur castitate: *aut concupiscentia oculorum*, quæ tollitur paupertate: *aut superbia vitæ*, quæ tollitur obedientiâ & subjectione. 2. Considera horum votorum præstantiam inde liquere, quòd nobilissima sint. 1. quia fiunt Deo, omnis nobilitatis auctori, & in Divinæ ejus Majestatis gloriam. 2. quia iîs se obligat voluntas nostra, quæ inter animæ facultates tenet principatum. 3. quia vovere est actus Religionis inter omnes morales virtutes nobilissimus. Unde B. Augustinus lib. de Virginitate dicit: *Virginitatem, non quia virginitas est, sed quia per votum Deo dedicata est, honorari.* 4. quia sicut vita corporalis pendet ex corde, tanquam à principio; sic vita Religiosa, & esse Religiosum, pendet ab horum trium votorum obligatione.

II.

II. Considera hanc votorum obligationem Deo esse gratissimam. 1. quia illîs quasi tribûs clavîs voluntariè Religiosus se afficit Cruci amore Dei, non per tres horas tantùm aut dies, sed per totam vitam. Christus Latronem in Cruce secum pendentem ad breve tempus & pauca verba pia eloquentem, statim fecit Paradisi hæredem: quid ergo faciet totâ vitâ pendenti? 2. quia illis se totum offert Deo in holocaustum, teste B. Gregorio Homilia 12. in Ezechielem, sæcularis homo bene agens tantùm fructus dat Domino Deo: at Religiosus dat arborem cum fructibus, idque in æternum, quia obrenuntiat sæculo, & se totum dedicat Divino servitio. 3. quia perfectissimô modô se donat Deo, ut nullum sibi jus & imperium retineat, paratus Deo parere & Superiori ejus vicem tenenti, quacumque in re, quando, ubi, & quantum libuerit. Et ideo sinè sacrilegio, si Religiosus sis, non potes ampliùs voluntate & judiciô tuô uti, quommodò & ubilibet, sed tantùm ad arbitrium Dei, cui es consecratus.

III. Considera, cùm Religiosi inter omnes Dei servos sint nobilissimi, utpote ad perfectionem vitæ sanctæ semper contendentes, juxta illud monitum Christi, Matth. 6. & 16. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*: Et illud: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Prorsùs convenit, ut spondeant in tribus illis virtutibus, Ducem suum & Imperatorem Christum imitaturos. Quid enim pauperiùs, castiùs, obedientiùs Christô? 2. Perpende, cùm tam nobilis sit Religionis status, debere etiam à Religioso non vulgaria, sed heroica opera exerceri votis congruentia. Et ratione paupertatis

tis ità contemnere opes, ut nec obulum proprium habere velit, & si opus sit, aut regula postulet, vili habitu incedere, & necessaria ostiatim emendicare. Ratione castitatis, virginitatem servare intactam, nec ulli turpi cogitationi locum dare, nedum verbîs aut factîs. Ratione obedientiæ, non solùm voluntatem, sed etiam judicium in parendo Superioribus quibuslibet in quavis re submittere: Talis enim obedientia gratior est Deo omnibûs victimîs & holocaustîs.

MEDITATIO II.

De utilitate votorum.

1. CONsidera, sicut arbor, quò altiùs humi radices fixerit, & vitis, quò rectiùs stipidi alligata est, hoc est, meliores producere fructus; sic voluntatem humanam, quò plus firmata fuerit in bono, hòc præstantiora opera producere. Vota autem voluntatem in bono opere imprimìs reddunt firmiorem, ac proinde & opera ejus sunt Deo gratiora, & amplioris præmii meritoria, haud secus quàm opus pravum à voluntate perversa & obstinata profectum, detestabiliùs est aliîs malîs operibûs, & gravioris pœnæ meritorium. 2. Perpende, etiamsi Religiosus per vota sibi imponat necessitatem servandi castitatem & alia, non tamen ideo tollere sibi libertatem & meritum, quia illa necessitas non à natura, sed à voluntaria promissione profecta est, ideo D. Augustinus vocat illam *necessitatem felicem, quæ ad meliora compellat*: facit enim opus voluntatis perfectiùs & magìs meritorium. Angeli siquidem naturâ sunt liberiores homine; & tamen eò beatiores sunt, quominùs possunt, vel

ad

ad momentum faciem suam à Divinæ Majestatis conspectu avertere.

II. Considera proculdubiò homini utilissimum fore, si Domino universitatis arctissimè esset conjunctus: atqui Religiosus per votorum vincula arctissimè alligatur Christo, ac proinde & Christus vicissim ipsi: *Qui autem adhæret Deo, unus spiritus est*, inquit Apostolus 1. Cor. 6. si autem unus spiritus est, quommodò non est particeps donorum beneficiorumq; ejus spiritualium; An potest aliquis os appositum habere fonti, & non bibere; manus igni admovere, & non calefieri? 2. Perpende, cùm per vota nos totos Deo dedicemus, & à Deo possideri incipiamus, fierique incipiamus, fierique filii Dei, & hæredes Christi; fieri non posse quin nobis bene faciat, cùm non tam nobis quàm sibi hoc beneficium debeat.

III. Considera, bona omnia opera ex voto facta plus mereri apud Dominum Deum, quàm quæ non sunt ex voto facta. 1. quia fiunt ex affectione majori: major enim est affectio ejus, qui ità quippiam vult, ut sibi fas non sit aliud velle quàm ejus, qui vult tantùm aliud, sic tamen ut liceat contrarium. 2. quia ex duplici virtute procedunt: qui enim amore Dei servat castitatem, unam tantùm exercet virtutem, nempe continentiam: qui verò servat castitatem ex voto, exercet duas, continentiam & religionem. 3. quisque vovet, vel vovet, ut emittat votum & obliget se Deo, vel ut postea teneatur reddere, quod vovit, ratione utriusque autem maximum sequitur meritum. Primi quidem, quia maximè voluntaria est actio: sic enim vult, ut non possit revocare ipsum velle. Secundi verò, quia velle reddere est actus latriæ, qui, est actus nobilissimus.

MEDITATIO III.

De præstantia paupertatis Religiosæ.

1. COnsidera paupertatem Evangelicam, quia Religiosus divitias omnes, ipsosque auri montes quasi stercora, ùt ait Paulus Philipp. 1. abominatur, idque propter Dei amorem, spemque vitæ æternæ, omnibus virtutibus eminere & esse, ùt loquitur Ambrosius lib. 5. in Lucam, *ordine primam, & quasi aliarum virtutum parentem.* Religiosus enim, dum vovet illam, non solùm omnibus facultatibus se exuit, & nudus nudum sequitur Christum; sed in eo statu se ponit, ut nihil proprii habere possit. Unde Cassianus lib. 4. cap. 13. dicit magnum crimen fuisse, si Monachus dixisset, *codex meus, tunica mea.* Quare & Christus Matth. 5. inter octo beatitudines, id est virtutes, quæ hominem in hac vita beatum faciunt, paupertati principem locum dedit, eidemq; summum præmium attribuit: *Beati*, inquiens, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.*

II. Considera præstantiam ejus maximè sumi ab exemplo Filii Dei, qui, ùt ait Apostolus, cùm dives esset, factus est pro nobis egenus, & ità egenus, ut dixerit Matth. 8. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: filius verò Dei non habet, ubi caput suum reclinet.* Unde nec in domo, sed in stabulo, eoque alieno nasci voluit, & licèt in manu haberet omnes fines terræ, aliorum eleemosynis vivere, & stipem mendicando quærere, pauperem habere matrem & patrem, nempe fabrum: pauperes itèm discipulos: in paupertate demum & nuditate vitam claudere. Hunc sanè statum, nisi sapientiâ Dei se dignum cognovisset, non assumpsisset, nisi sci-

vis-

vissct paupertatem esse gemmam pretiosissimam, licèt mundo vilissimam, non ad eam quærendam de cœlo descendisset, non per pauperes & nudos piscatores tanta miracula fecisset, & totum mundum convertisset. Certè aut mundus errat magnifacere pergens opes & divitias, aut Deus eas contemnens: at impossibile est Deum errare: ergo turpissimè errat mundus.

III. Considera ex judicio mundi liquere ejus præstantiam. Si enim quis ex paupere repentè fiat dives, mundus non admodum miratur: at contrà, si quis ex divite & copioso spontè fiat pauper, & omnia deserat, agros, vineas & urbes, summopere miratur, eò quòd nihil putet divitiis esse nobilius, nihil abjectius inopiâ. 2. Perdende sedulò, an revera mundus possit cum opibus omnibusq; delitiis suis ità exsaturare cor humanum, ut acquiescat? Non certè, quia mundi sectatores, quò plus habent, hòc ampliùs habere desiderant, cùm satiari nequeant partis, ad veram animi quietem numquam perveniunt. At Religiosus, qui neque proprium quicquam habet, neque habere desiderat, victu & amictu modico contentus vivit, eoque similior est beatis in cœlo: ut enim hi suâ gloriâ omnes contenti in cœlo vivunt, sic ille paupertate Religiosa contentus degit in terra, & ideo fortasse à Christo Matth. 5. dictum est, pauperum spiritu, non futurum, sed jam esse Regnum cœlorum.

MEDITATIO IV.

De utilitate Religiosæ paupertatis.

1. CONsidera mirabiles ejus utilitates: nam 1. tollit superbiam & alia multa vitia, quæ homines occasione opum committunt, vel potentiæ

quæ opes comitatur. 2. valet ad peccata præterita expianda & delenda. 3. hominem inutili rerum terrenarum ſollicitudine liberat: 4. virtutes ferè omnes inducit, ùt temperantiam, modeſtiam, & maximè humilitatem, quæ eſt ejus velut germana ſoror. 5. avellit animam ab amore hujus mundi, omniumque ejus voluptatum, & transfert in amorem rerum cœleſtium, ut dicat: *Non habemus hìc civitatem, ſed futuram, quæ in cælo eſt, inquirimus*, Hebr. 13. 6. hominem perfectum reddit in hac vita, juxta illud Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia*, & capacem magni theſauri in cœlo, ùt ibidem additur, *Et habebis theſaurum in cælo.*

II. Conſidera, qui Religioſus votô paupertatis ſe & quicquid in mundo habere potuit, tradit Deo; & nè aliquando tergiverſari queat, voti vinculô ſe ad paupertatem obſtringit Deum viciſſim ſe illi conſecrare, & omnia ad vitam neceſſaria ſpondere, ſicut olim in perſona Aaronis, Num. 18. ſe facturum recepit, cùm dixit ſe partem & hæreditatem ejus fore, intelligens in hoc typo omnes Religioſos. Nam ſi volucres tantô ſtudiô neceſſarium victum ſuis pulis conquirunt, non putandum eſt Creatorem volucrum & hominum, ac proprium Religioſorum Patrem, ſuorum religioſorum filiorum, qui in cœnobiis velut aviculæ in nidis cibum quotidianum præſtolantur, oblviſci. Non credendum eſt, veſte neceſſaria deſtituturum eos, qui propter ipſum omnibûs corporis commodîs ſe exuerunt, nihil retinentes proprium. Itaque, ſi tu non deſis Deo, nec Deus deerit tibi.

III. Conſidera, etiam ſi Religioſus nihil proprium ſibi vendicet, omnia tamen neceſſaria ad victum, amictum & habitationem, ut curâ ſit ſolu-

tior,

tior, aliorum studiô obtinere, ut verum sit illud Apostoli in eo: *Nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. si aliò iter instituat, omnes ejusdem Ordinis fratres, licèt ignoto, omnia caritatis officia deferunt, eo solùm nomine, quòd audiant ejusdem esse matris, id est Religionis filium: & experitur verum esse promissum Christi de centuplo in hac vita, quia centum, imò mille domos reperit pro uno, sua etiam meliores. 3. cibus & potus, etsi moderata sint, tamen ex amore ei paratur, & ad mensam à servis Dei defertur. Quicquid apponitur, edit & bibit, omni suspicione seclusa, quod nullus potest Princeps. 4. in senecta majori in reverentia habetur & tractatur, licèt laborare non queat commodiùs: perpenditur enim non quid præstet, sed quod olim præstiterit. 5. in ægritudine majorì studiô & amore ei servitur, quàm Dominis sæcularibus. Medici præscripta ibi accuratè servantur: si periculum vitæ sit, tempestivè monetur & Sacramentis munitur, noctu diuque præstò adsunt custodes & monitores, omnium fratrum precibus commendatur, ac tandem septus orantium coronâ cum indulgentia plenaria Ordini concessâ in morte, ad cœlum transmittitur.

MEDITATIO V.

De præstantia Religiosæ castitatis.

1. CONsidera primam ejus excellentiam esse, quòd hominem, quoad fieri potest, restituat in priorem statum, in quo conditus est, eaque puritate ornet, quæ claruit in Paradiso terrestri, hoc est, ut caro obsequatur spiritui, nec quicquam homo turpe opere, verbô vel cogitatione designet, & pars inferior, quæ dicitur sentiens, non obstrepat su-

ſuperiori, hoc eſt rationi. Secunda eſt, quòd reddat, ſecundùm omnes Sanctos Patres, ſimillimum Angelis, eò quod carnis vinculis alligatum eſſe, & non ſecundùm carnem vivere, ſed ſecundùm ſpiritum, reputent non humanum. ſed Angelicum. Imò D.D. Chryſoſtomus & Bernardus audent affirmare aliqua ex parte majorem eſſe laudem hominis caſti, quàm Angeli: hujus ſiquidem caſtitatem eſſe feliciorem quidem, ſed illîs fortiorem, hujus naturalem quaſì & neceſſariam, illius verò liberam & voluntariam.

II. Conſidera tertiam excellentiam, quòd hominem religioſum (ùt volunt D.D. Baſilius & Climachus) Deo reddat ſimillimum, quantum quidem fas ſit homini. Deus enim naturâ incorporeus eſt, incorruptilis & puriſſimus: cùm ergo anima ipſâ naturâ incorruptibilis & pura, ipſum corpus ad eandem puritatem & integritatem per caſtitatem attrahere conetur: non aliud facit, quàm quòd ſimilitudinem Dei incorruptibilis in ſe velut in ſpeculo mundiſſimo exprimat, & hominem quaſì divinum faciat, in carne carnis quaſì expertem. 2. Nota hoc bonum tantùm, tam fuiſſe à natura humana deſideratum, ut antiquus ſerpens in Paradiſo nihil aptiùs repererit ad primos parentes illiciendos, quàm promittendo, Gen. 3. *Eritis ſicut Dii.* Sed quod falſò promiſſum eſt, ab eo, qui præſtare non poterat, & eâ viâ, quâ præſtari non poterat, hoc per caſtitatemReligioſus verè tenet & poſſidet, eoque perfectiùs, quò ejus caſtitas eſt perfectior aliorum, ùt conjugum, viduarũ & virginum caſtitate.

III. Conſidera, quartam excellentiam ejus eſſe, quòd hæc caſtitas inter eximia Dei dona, quæ non humana, ſed Divina tantùm virtute nobis contingunt,

gunt, numeratur. Unde Sapiens cap. 8. *Scivi* (inquit) *quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det.* Unde Sancti Patres docent illam virtutem supra naturam & supra omnem Legem, & ideo neque in veteri neque in nova Lege imperatam. Excellentia autem hujus virtutis nascitur ex summa difficultate, quam anima hominis habet in coercendis importunis hostis duplicis insultibus, domestici videlicet, id est carnis, quæ continuò nocte diuque pugnat adversùs spiritum, & pugnabit usque in finem vitæ. Deinde externi, id est dæmonis, qui nullô aliô peccatô plus gaudere dicitur, (secundùm quosdam) quàm impudicitiæ, ob quam pugnam exclamat Apostolus Rom. 7. *Infelix ego homo? quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

MEDITATIO VI.

De utilitate Religiosæ castitatis.

1. COnsidera eo nomine Religioso utilissimam esse, quòd ejus beneficiô infinitîs liberetur molestiîs: & 1. quidem carnis, quæ ubi vel minimum obtinet imperium, etiam sapientes, ùt liquet in Salomone, in barathrum vitiorum præcipites agit. Deinde familiæ gubernandæ, quæ tantas sæpè difficultates adjunctas habet, ut redigant ad desperationem. Patrifamilias enim incumbit curanda uxor, liberorum educatio, collocatio filiarum, necessariarum rerum procuratio, ut famuli & ancillæ officiô suô fungantur, ut omnes probi sint & pii. Taceo varia incommoda & infaustos casus, qui quotidie vel uxoris protervæ & litigiosæ, vel liberorum inobedientiam, vel cognatorum litigantium causa, incidunt. Religiosus autem, velut cœli ci-

vis, ſua vocatione contentus, aliis neceſſaria ei curantibus, tantùm ſuæ ſaluti procurandæ vacat.

II. Conſidera, ſi quis noctu diuque cum immani fera commoraretur, eum in luculento vitæ diſcrimine futurum, nè aut morſu aut venenô conficeretur, niſi os ei occludere poſſit, nè morderet aut virus effunderet. Scias ergo feram nullam ferociorem aut virulentiorem eſſe carne noſtra, cum qua, quoniam continenter verſari cogimur, non dubium eſt, quin anima noſtra in magno verſetur periculo. At ab hoc periculo eam vindicat caſtitas: nam concupiſcentiam ejus, quæ eſt ob belluæ, vinculo voti adſtringens, facit ut mordere vel venena fundere non poſſit. 2. Perpende caſtitatem beneficiô Religionis & aliîs præſidiîs munitam, ut fortiùs crucifigere per eam poſſit Religioſus carnem cum concupiſcentiis, ac etiam omnia mundi & dæmonum telâ igneâ ad eandem inflammandam conjici ſolita avertere: per votum enim paupertatis omnes reſciſſæ ſunt illecebræ & voluptates, per obedientiam omnis converſatio cum mundo, mundaniſq; hominibus: facilè autem eſt tueri caſtitatem inter caſtos.

III. Conſidera caſtitatem Religioſo non ſolùm perutilem, ſed etiam præ cæteris virtutibus maximè eſſe neceſſariam: nullô enim vitiô bona Religioſorum fama procliviùs obſcuratur, quàm ſi contra caſtitatem vel minimùm delinquat. Sit Religioſus aliquis paulò tenacior, curioſior & iracundior, ſit animô plus æquô clarior, ſit purior & aſperior, nondum ſanctitatis & pietatis jacturam apud homines facit: ſed ſi ſiniſtri quidpiam audiatur de caſtitate, mox famam obſcurat, quia non poteſt eſſe ſanctitas, ubi eſt incontinentia, non poteſt

test esse Dei Spiritus, ubi dominatur caro. Cujus ratio est, quòd alia vitia facilè excusantur: vel quòd proveniant à complexione naturali, ùt iracundia: vel quòd bono fine acciderint vel parcitas, vel asperitas. Deinde ratione castitatis Religiosi habentur purissimi, & speculum virtutum omnium: in puro autem speculo facilè apparet macula.

MEDITATIO VII.

De præstantia Religiosæ obedientiæ.

I. CONsidera præstantiam ejus posse cognosci ex judicio & exemplo Christi Domini: quicquid enim in hac vita egit, quidquid dixit, etsi ex omnium aliarum virtutum fontibus flueret; huic tamen ferè adscribitur. Ipse testatur se de cœlo descendisse, non ut suam, sed Patris faceret voluntatem, Joan. 6. Apostolus quoque vitam ejus totam, mortem & mortis genus ad unam obedientiam refert. *Factus* (inquit Philipp. 2.) *obediensusque ad mortem, mortem autem crucis.* Et S. Bernardus serm. 46. in Cant. scribit eum mori maluisse, quàm non obedire. Ratio hujus est, quia per obedientiam voluntas nostra, sensusque cum Deo arctissimè conjungitur: in qua conjunctione omnis hominum perfectio & Angelorum consistit. Imò nullæ virtutes, adeoque ipsum martyrium alicujus sunt pretii vel meriti, nisì ad Dei voluntatem exequendam referantur.

II. Considera in hanc virtutem omnes ferè virtutes concurrere, quasì ad pulcherrimum opus ex pluribus gemmis concinandum. Nemo enim se alteri homini in omnibus subjicit, nisì magno Dei amore ardeat, multa itèm fide, in eum & fiducia subnixus, dein-

de profunda humilitate, patientiâ, fortitudine & constantiâ præstans. Deinde nihil æquè ejus dignitatem ostendit ac materia ei subjecta, quæ triplex est: 1. est executio omnium operum externorum, quæ à Superiore imperantur; 2. mactatio propriæ voluntatis, ùt vocat B. Gregorius: obediens enim non suam, sed Superioris quærit facere voluntatem 3. abnegatio proprii judicii: obediens enim id rectum & honestum judicat, quicquid Superior præscripserit, modò non repugnet Legi Divinæ. Quid autem præstantiùs homo habet voluntate & ratione?

III. Considerá Spiritum Sanctum in Divinis literis obedientiam anteferre victimis & holocaustis. *Melior est obedientia*, (inquit 1. Reg. 15.) *quàm victima, & auscultare magis quàm afferre adipem arietum.* Nec mirùm, quia per victimas aliena caro mactatur; ùt inquit Gregorius per obedientiam verò propria voluntas & libertas, quâ nihil pluris in mundo æstimatur. Deinde si magnificis paupertatem & castitatem, pluris certè teneris facere obedientiam: paupertatis enim votô tantùm obtulisti Deo bona externa, castitatis tantùm bona & commoda corporis: at obedientiæ verò interna animi bona, quæ longè præstant corporis fortunæq; bonis. Denique nullæ majores victoriæ obtinentur in bello Spirituali, quàm per obedientiam. *Homo obediens* (ait Salomon Prov. 1.) *loquitur victorias.* Cujus causa est, quia dum sponte se subjicit alieno imperio, vincit seipsum. *Qui dominatur animo suo* (ait idem Prov. 6.) *fortior est expugnatore urbium.* Quæ victoria tantò illustrior est, quantò difficiliori certamine, nempe contra naturam, obtinetur.

ME-

MEDITATIO VIII.

De utilitate Religiosæ obedientiæ.

I. COnsidera ex præsentia obedientiæ derivare magnitudinem meriti & copiam fructuum. Nam obedientiæ beneficiô non solùm omnia bona Religiosi opera meliora fiunt, sed etiam, quæ per se nullius sunt meriti, fiunt Deo grata & meritoria, ùt ex obedientia comedere, ambulare animi gratiâ, cubitum ire. Itaque rectè comparatur obedientia virgulæ Divinæ, quæ omnia suo contactu in aurum convertit. Copia fructuum autem inde liquet, quòd teste Gregorio 35. Moralium cap. 10. *Sola virtus sit obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasq; custodit.* Cùm enim Deus non patiatur se vinci à nobis officiis, consequens est, ut qui se suaque omnia Deo donavit per obedientiam, eidem ipse vicissim se suaq; dona spiritualia donet. Custodit autem alias virtutes contra insidias dæmonum, quia nihil sibi confidit, nihil sibi tribuit, sed se suaque Dei manibus quasi deposita committit, ex quibus nemo quicquam rapere potest, Joan. 10.

II. Considera quòd obedientia Religiosum eximat ab innumeris molestiis & curis, quas quotidie xperiuntur, qui in sæculo suo arbitratu vivunt. Obediens enim omnium rerum suarum curam in humeros aliorum conjicit, & quasi infans aliorum ulnîs se gestari finit, ac denique quasi dormiendo iter ad cœleste Regnũ facit. Superioris enim muneri incumbit, ei omnia necessaria, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus suo tempore, locô & ordine providere. Ille patris & matris, magistri, ducis & procuratoris vices subiit: unde rectè Climachus gradu. 4. *Obedientia*, inquit, *est perfecta abnegatio propriæ animæ, & corporis mors volunta-*

taria, vita sinè sollicitudine, navigatio sinè damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo sub onere aliis imposito, & super aliorum ulnas, nè mergaris, natare.

III. Considera quàm grata sit Deo obedientia: & contrà quàm inobedientia ingrata. Primùm patet exemplô Abrahæ, cujus obedientia simplex fecit, ut non solùm ipse ejusque familia tota, sed omnes mundi gentes benedictæ sint in ejus semine, ex quo natus est, qui suâ obedientiâ portas cœli ob inobedientiam conclusas patefecit; sic ut verè dici queat, omnia dona cœlestia, gratiasque & virtutes esse obedientiæ fructus. Alterum liquet ex inobedientis Adami primi parentis exitu: ille enim non solùm ipse è Paradiso terrestri exulare coactus est, verùm etiam cum tota generis humani posteritate maledictioni factus est obnoxius. Omnes enim hujus mundi curæ, anxietates, labores, ærumnæ, morbi, fames, sitis, egestas, bella, dolores partûs, mors & omnis generis peccata sunt hujus inobedientiæ, effectus & pœnæ. Quæ expiari deleriq; non potuerunt, nisi secundus Adam Christus JEsus factus obediens usque ad mortem ignominiosissimam crucis illas sustulisset.

MEDITATIONES DE NONNULLIS AD EXERCITIA spiritualia peculiari ratione spectantibus.

MEDITATIO I.

De præparatione ad exercitia spiritualia.

1. CONsidera quàm bonum sit atq; utile exercitiis spi-

spiritualibus incumbere, cujusvis status homini sive spiritualis sit, sivè sæcularis. 1. ad id Deus ipse nos vocat atq; impellit, atq; ex misericordia sua, hoc ultimum pro nostra conversione ad ipsum, præparavit remedium. 2. solus ipse nobis hoc tempore loquitur, sicut solet Rex dilecto suo loqui. Sed attende quid loquitur? ecce! hæc duo, compendiosè: *Declina à malo, & fac bonum;* 3. de re agitur quæ est maximi momenti; nempe de procuranda salute, de emendanda vita, de extirpandis vitiis, & pravis consvetudinibus, *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua* Math. 16. 4. Non utilitatem suam quærit ex nobis, sed nostrum bonum, puta, ut nobis gratias suas & dona offerat. *Ducam eam in solitudinem* ait per Prophetam, *& loquar ad cor ejus.* O quantam homo debet habere dispositionem hoc tempore, cùm habeat tam benignum erga se Deum! præpara cor tuum & dic illi cum Samuele. *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Considera 2. quæ utilitates & commoda ex recollectionibus si bene peractæ fuerint, percipiantur, 1. ut pravos mores ac vitam emendemus, occasiones peccandi evitemus, bona quæ in nobis sunt, confirmemus, vel progressum in virtutibus faciamus, 2. ut malos habitus, consvetudines pravas, ac animi propensiones & præcipuos malos affectus aut passiones inordinatas dignoscamus & evellamus. 3. ut ad pietatem Christianam, & ad frequentem orationem præsertim mentalem accendamur. 4. ut de genere vitæ eligendo Deum consulamus, in quo perfectiùs ac faciliùs ipsi servire possimus: vel de mediis inquirendis bene & piè vivendi in eo statu, in quo jam

Con-

conſtituti ſumus, cogitemus. 5. ut ad mortem feliciter obeundam, ſeriò & præmaturè nos præparemus. Hæc motiva ſeriò recogita, & cum maxima quantùm poteris applicatione ac diſpoſitione, haſce recollectiones peragere ſeriò ſatage. *Non defraudaveris à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Eccl. 24. *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt, invocate eum, dum propè eſt.* Iſai. 55.

II. Conſidera 1. quid ratione metûs nos inducere poſſit, ad bene hujusmodi exercitiis utendum: puta 1. Hoc forſan ultimum eſſe remedium adhibitũ à Deo, quô te à vitiis, à tepiditate revocet, & ad virtutis ac perfectionis ſtatui tuo convenientis ſtudium adducat, cui, ſi cooperari renueris, timendum tibi eſt, nè te eôdem, cum ficulnea infructuoſa, maledictô percutiat, ùt minatur per Prophetam *Multo labore ſudatum eſt: & non exivit de ea nimia rubigo ejus? immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis: ſed nec mundaberis priùs, donec quieſcere faciam indignationem meam in te. Ego Dominus locutus ſum, veniet & faciam: non tranſeam, nec parcam, nec placabor: juxta vias tuas, & juxta adinventiones tuas judicabo te.* Ezech. 24. 2. Quot & quanti pro ſimili occaſione neglecta, æternæ damnationi ſubjacent! 3. Hæc forſitan fore ultima exercitia in vita tua, teq; forſan intrà hunc annum moriturum, ah qua ratione & applicatione cordis velles his exercitationibus vacaſſe, ſi jam tibi de vita eſſet diſcedendũ! Conſidera 2. finem ſcopum, ac fructũ recollectionum, non conſiſtere in hoc, quòd in ſolitario loco permaneas, quòd plus temporis quàm aliàs impendas devotioni, lectioni piorum librorum, neq; in eo, quòd piis cogitationibus, deſideriis, in meditatione abundaveris &c.

hæc

hæc enim omnia, sunt duntaxat media ad bene peragendas Recollectiones, sed finis, & scopus ac totus fructus, quem unicè & maximè intendere in his exercitiis debes, est: cognitio seria tuiipsius, tuarum inclinationum, affectuum, defectuum cum eorum occasiónibus & principiis, seria vitæ emendatio, quam bonîs resolutionibûs seu propositîs procurare debes, unô verbô, integra tuiipsius renovatio, ùt in quodam loco Ecclesia canit: *Recedant vetera, nova sint omnia: Corda: voces, & opera* & ùt Apostolus monet: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.* Coloss. 3. ut possis cum Davide dicere. *Dixi nunc cæpi: hæc mutatio dexteræ excelsi* Psal. 76.

III. Considera quibûs mediîs sunt obeunda illa exercitia: 1. habenda recta intentio, puta ad dignoscendam & ad implendam, præ omnibus, Dei voluntatem. 2. inchoanda magno animo, & pia bene iis utendi fiducia. 3. amandandæ omnes mundanæ cogitationes, & distractionum omnium occasiones fugiendæ. 4. firmissima voluntas se Deo omnimodè tradendi, & quid insspiraverit, exequendi. 5. pravæ omnes animi habitudines, propensiones, ac præcipui affectus adnotandi, quibus evellendis jugiter omni oratione instandum. 6. patri spirituali detegenda in animi consilia, propensiones, affectus, tentationes, an benè vel malè cedat oratio penitùs aperiendum. 7. præscribenda vitæ ratio ac ordo, qui accuratissimè servetur. 8. postulanda enixè à Deo gratia his exercitiis bene utendi. *Domine quid me vis facere. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum!* O Domine qui mihi per tuam misericordiam hoc tempus providisti, da mihi hanc gratiam, ut *Noverim te* & *noverim me.*

ME-

MEDITATIO II.

De oratione mentali.

1. CONſidera cur quotidie per aliquod tempus orationi mentali vacare debeas. 1. cuilibet ſinè mentali oratione Chriſtianè vivere difficillimum, imò & juxta illuſtriſſimi viri Cardinalis Bellarmini ſententiam, impoſſibile eſt. 2. utilem tamque neceſſariam mentalem orationem omnes omnium Eccleſiæ Ordinum Fundatores exiſtimârunt, ut omnes ſuos ſubditos ad ſe eidem quotidie per aliquod tempus ſatis notabile applicandos, expreſſâ regulâ adſtringere non dubitârint. 3. remedium adverſùs omnia etiam graviſſima peccata efficaciſſimum eſt, ità ut quicumq; , licèt ſceleratiſſimus & omni vitiorum generi deditus, ei ſeriò per aliquot menſes vacaverit, in perfectum virum, &, ut ità dicam, ex dæmone in Angelum ſit evaſurus. 4. Sancti Patres mentalem orationem cœli clavim, manna omnium virtutum, ſuavitatem continens, gratiarum & bonorum omnium fontem eſſe proclamant. 5. *Rectè novit vivere*, inquit D. Auguſtinus, *qui rectè novit orare*; Et ille ſolus rectè novit orare, qui mentali orationi ſolet incumbere. 6. mentalis oratio omnes actus noſtros juxta rectam rationis regulam dirigit & componit. Quapropter vir ſanctus ſe ſcire ſummo manè quomodò totam acturus eſſet diem, dicere ſolebat, felicem in omnibus ſucceſſum ſinè hæſitatione ſperans, dummodo ſibi mentalis oratio feliciter ſucceſſiſſet. 7. ſi Religioſus ſis, Clericus vel Sacerdos ſpeciali ratione ad mentalem orationem adſtringeris, quia 1. laicos ad illam amplectendam adhortari, & modum ſe in ea exercendi docere debes. 2. in mortificatione &

re-

recollectione debes excellere; neutra autem sinè mentali oratione vel acquiri vel conservari potest.

II Considera quibus mediis mentali orationi vacare utiliter valeas. Primum est, quotidie per horam vel semihoram ad minus in ea te exercere. 2 omnia quæcumq; in tuis Meditationibus proposueris, fidelissimè adimplere. 3. mediante humilitate, magnam tibi cum Deo familiaritatem comparare: etenim cum humilibus & simplicibus Deus sermocinari plurimum delectatur. 4. mortificationem carnis humilitati conjungere: vir enim immortificatus ad meditandum ineptissimus est, & ideo sic minatur Deus immortificatis, non remanebit spiritus meus in homine, quia caro est; hoc est, quia carnem suam amat plus quàm par sit, & Crucis Christi, sive mortificationis inimicus est. 5. peccatum plus quàm mortem detestari, & super omnia fugere, tam opacum enim & tenebrosum est, ut impediat omnino quominus inter meditandum, radiis & ardoribus Christi, qui est Sol justitiæ, animæ nostræ, aut illustrentur aut inflammentur. 6. oculos diligentissimè toto meditationis tempore custodire: *Fit* enim *recto retributionis examine* (inquit D. Gregorius) *ut qui exteriori oculo negligenter utitur, interiori cordis oculo non injustè cæcetur.* 7. matutinum tempus, quippe quod ad meditandum aptissimum est, semper, si fieri potest, eligere. 8. semper orationem tuam, vel ad aliquod vitium eradicandum & exstirpandum, vel ad virtutem comparandam, vel denique ad tua erga Deum, proximum & teipsum munera perfectiùs obeunda dirigere. 9. mentalem orationem magni facere, ad illustrissimorum virorum imitationem, & nominatim Doctoris magnæ notæ Suaris, qui totâ suâ scientiâ quàm unicâ consvetæ meditationis

horâ privari se malle, affirmabat. 10. denique instanter gratiam ritè meditandi à Christo Domino postulare, & frequenter, *Domine doce nos orare*, cum Apostolis dicere.

III. Considera te à quotidiano mentalis orationis exercitio nulla legitima excusatione dispensari posse. Nam 1. non valet dicere te modum meditandi ignorare: hunc enim in principio hujus Libri tradidimus scitu facillimum: & ubiq; magistros, qui te illam docent, & sinè magno labore, reperies. Nec 2. tibi per otium non licere: tempus enim, ut cibum corporalem sumas, non tibi deest. Pudeat ergo te ad sumendum spiritualem multò magis necessarium non invenire. Nec 3. exercitium meditationis multum molestiæ & laboris secum involvere: magna enim voluptas ex meditatione percipitur, & tanta, audeo dicere, ut cuncta mundana gaudia & omnes terrenas voluptates longissimè antecellat. Nec 4. dicas proprium esse Religiosi meditari, & non Laici: omnes enim tenemur rectè vivere; quod tamen nemo potest sinè meditatione. Nec 5. dicas te scire contrarium, scilicet plures sinè meditationis exercitio piè vivere: falsum enim adducis, cùm ipsi sinè dubio frequentissimè ad cœlum assurgant, & mentem ad Deum elevent, & sic mentali orationi, quamvìs hoc te lateat, perfectè vacent. Nec 6. debes te illusum iri fingere: non enim irridentur iñumeri cujuscumq; conditionis Laici, qui etiam in Aula & Curia Regum & Principum mentalem orationem non solùm laudant & approbant, sed ei quoque seriò & assiduè vacant. Nec 10. denique valet adducere te plurimas quotidie vocales orationes recitare: cùm vocalem orationem à mentali sejunctam inanem

pro-

prorsus & vacuam esse, & potiùs obesse quàm prodesse certissimum sit. Absit, absit, ô bone Deus! ut te tantùm labiîs honorem, & cor meum longè sit à te.

MEDITATIO III.

De tepore, seu via tepida.

1. CONsidera teporem, statum esse longè periculosiorem, quàm vulgò putatur: 1. quia Deus testatur malle esse nos magnos peccatores & in peccato esse mortali, quàm tepidos. Hoc ipse Christus intendit hîs verbîs: *Utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo*, Apoc. 3. Supra quod considerandum. 1. Sanctos Patres per frigidum, intelligere eum, qui numquam fervens fuit, & qui sæpè peccata mortalia committit: per calidum verò, ferventem & fidelem Deo: per tepidum, eum qui nec est ex istis magnis peccatoribus, neque fervens, neque bonus, neque malus: non quidem peccati mortalis reus, sed tamen multis peccatis venialibus oneratus. 2. Deum tum evomere tepidos ex ore suo, cùm suarum gratiarum privatione eos repellit à se. Porrò hanc comparationem adducit, ut ostendat. 1. quòd quemadmodum aqua tepida absorpta nauseam movet, adeò ut eam quamprimùm evomere necessè sit; ità anima tepida sic Deo odiosa est, ut in suo corde, habere per suam gratiam ampliùs nequeat. 2. quòd quemadmodum id quod semel evomimus, numquam resumimus; ità quando semel, tepidus est à Deo rejectus, vix ulla superest ei spes redeundi in gratiam. 3. quòd dicat *incipiam te evomere*: ut inde intelligamus: non confestim evomere, sed paulatim gratias suas subtrahere; ità

ut in aliquod peccatum mortale ipſum proruere permittat, & gratias efficaces non impertiat, ut ab illo reſurgat, ordinariè loquendo. 4. vomitum fieri non niſi violenter & reluctante ſtomacho; ut intelligamus Deum ægrè & quaſi coactè tepidos demum reprobare: *Heu! conſolabor de hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis*, Iſa. 1.

II. Conſidera quare Deus malit nos eſſe frigidos & magnos peccatores, quàm tepidos & remiſſos in ſuo ſervitio; cùm tamen peccatum mortale longè magis ipſi diſpliceat quàm veniale. Sancti Doctores reſpondent id fieri. 1. ex eo quòd frigidus à converſione ſua & perfectione non tam longè abeſt quàm tepidus: *Quantum ad diſpoſitionis majorem felicitatem: non optat frigidùm ſimpliciter, ſed talem de quo ſpes major habeatur.* Cùm enim frigidus videat ſe in peccato mortali, & dignum æterni incendii, timet in eo ſtatu mori, ad pœnitentiam, ſive citò ſive ſerò tandem recurrit: tepidus autem cùm ſibi perſuadeat ſe eſſe in gratia Dei, & veluti ſalutis ſuæ ſecurum, parum de perfectione ſua ſollicitus eſt, imò in peccata ſe ipſum præcipitat, atque etiam in callosam conſcientiam. 2. frigidus eſt inimicus Dei: tepidus verò amicus, ſed infidelis & ingratus, Deus autem magis indignatur, cùm videt ſe offenſum à tali amico, quàm ab alterò, licèt inimicò, illumque tandem ſeveriùs punit, *Si inimicus meus meledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique*, &c. tu verò qui mecum dulces capiebas cibos, *&c.* Quod perinde eſt ac ſi diceret, Non poſſum te ſuſtinere. Et certè contra tales ingratos pronunciatum eſt: *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes*, Pſal. 44. 3. qui reus eſt peccati mortalis, eſt velut captivus pedibûs & manibûs ligatus catenîs, qui

qui nequit pro suo Domino laborare: tepidus autem qui est in gratia, tamquam servus sanus & liber, qui potest in omnibus voluntatem Domini sui facere, sed ex mera desidia & oscitantia non vult, profectò magis exacerbabitur Dominus ignaviâ hujus, quàm alteriùs inutilitate & inactione. 4. tepidus qui est in gratia, similis est cui Dominus dederat talentum ad lucrandum, quique abscondit in terra ex mera negligentia: frigidus autem similis est ei, qui, cùm talentum accepisset, ut ex illo lucrum faceret, naufragiô amisit, hujus magis Dominus miserebitur, quàm alteriùs: & certè Dominus noster JESUS CHRISTUS jubet hunc manibûs & pedibûs ligatîs mitti in tenebras exteriores, aufertq; ab ipso talentum, & dat alteri non habenti.

III. Considera cur tepor statûs sit tam periculosus & damnabilis, nimirùm quia in tepido omnes defectus reperiuntur divinæ maledictioni obnoxii. Nam 1. tepidus admodum negligenter Deo servit: legitur autem: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* 2. tepidus spernit media conducibilia ad perfectionem sui statûs, v. g. parva virtutis exercitia, minores defectus: legitur autem: *Væ qui spernis: nonne & ipse sperneris?* At quomodò Deus eum spernit? quid ipsi mali accidit? nimirùm Deus gratias suas subtrahit, sinendo eum paulatim decidere: siquidem legitur, *Qui spernit modica, paulatim decidet.* 3. tepidus in Communitate Regulari scandalo est aliis, exemploq; suô depravat, maximè Novitius in virtute, qui sensim tepescunt, ità ut disciplina enervetur & pietas exulet: atqui Dominus noster dicit: *Væ illi per quem scandalum venit.* 4. tepidus gratias Dei prodigit, sicque à Deo derelinquitur, ipsasmet gratias subtrahendo: *Væ eis* (ait) *cùm*

recessere ab eis. Quid inde? Tepidus indurescet, cadet in reprobum sensum, qui via est ad impœnitentiam finalem. *Cor durum malè habebit in novissimo.* Porrò notandum est, quando Scriptura refert, Deum dixisse *Væ*, aut maledictus, alicui est comminatio damnationis ob peccatum mortale jam commissum, vel mox committendum. O vitium teporis abhorrendum! quandoquidem te Deus tot execrationibûs & maledictionibûs prosequitur. Ego te ex toto corde detestor & maledico: seriò fervorem amplecti statuo.

MEDITATIO IV.

De peccato veniali.

1. CONsidera cur à peccato veniali toto corde debeas abhorrere. 1. Deo optimo maximo, in infinitum & super omnia amabili, multùm displicet. 2. ad peccatum mortale, & consequenter ad æternam damnationem, disponit. 3. magìs, ùt ajunt Theologi, teneris unum è tuis venialibus & levissimis peccatis, quàm cuncta cæterorum omnium hominum lethalia detestari. 4. plus malitiæ & imperfectionis in unico veniali peccato, quàm bonitatis & perfectionis in omnibus totis vitæ tuæ, licèt longissimæ, bonîs operibûs continetur: ista enim bonitas est infinita, peccati verò etiam venialis malitia infinita. 5. certum est Deum etiam in hac vita gravissimîs pœnîs, miseriîs, desolationibûs, & novîs in nova peccata lapsibûs eos plectere, qui in peccata etiam levissima incidunt, & post mortem cruciandos in Purgatorio, etiam ad tempus longissimum, detinere. 6. nullum veniale peccatum assignari potest, quod cum gratia Dei ordinaria, nemini denegata, vitare minimè valeas. 7. *Le-*

vius

viùs malum esset (inquit S. Augustinus) *si orbis universus funditus everteretur, & omnes omnino tum homines tum Angeli annihilarentur, quàm si unicum peccatum levissimum committatur.* 8. Denique hæc nostra erga Christum Dominum, quem culpis venialibus, quantùm in nobis est, vulneramus, ingratitudo intolerabilis est. O bone JESU! si homuncio à nobis ametur, nec semel quidem leviter eum offendimus: Et te infinitè amandum, septies, imò & millies, unaquaque die offendere non erubescimus! Heccine reddis Benefactori tuo, ô anima mea ingratissima!

II. Considera te umquam ab usu rationis usque in præsens solam integram diem à venialibus peccatis purum & immunem præteriisse, & adhuc plura unaquaque die vel malitia vel subreptione sive fragilitate committere. 1. cogitando: multas enim vanas cogitationes, imò & ad odium proximi, aliudve peccatum invitantes repellere: multos affectus immoderatos & desideria inordinata refrænare frequentissimè negligis. 2. loquendo: multa enim verba futilia, otiosa, levia, temeraria, acerba, ridicula, & fortè mendacia, & charitati Dei & proximi adversantia proferre non te pudet. 3. operando: multa enim mala, & insuper bona malè, scilicet propter necessitatem vel vanitatem, & sine recta intentione & attentione sæpissimè operaris. 4. denique obmittendo: multa enim bona, quæ potes, imò & teneris præstare, præteris; & in propositis adimplendis, vel Divinis inspirationibus suscipiendis infidelissimus es. O bone Deus! me tot culparum reum esse cognosco & profiteor; &, quod plus est, de his omnibus non satis propter te doleo. Quousque Deum offendes, ô anima mea!

Desine, nimium est: Malo nunquam ampliùs vivere, quàm peccare.

III. Assume tibi remedia adversùs veniale peccatum efficacissima. Primum est, attentè considerare sæpè magìs esse periculi in levissimis & venialibus peccatis, eò quòd non curentur & negligantur, quàm in gravissimis & lethalibus. 2. eum, qui in vitandis venialibus peccatis diligens erit, nunquam mortalìa commissurum. 3. eundem in hominem perfectum & sanctum sinè dubio evasurum. 4. de unoquoque levissimo peccato, Deo in articulo mortis reddendam esse rationem meminisse. 5. fortiter cunctis mundi, carnis & diaboli tentationibus resistere, & magnô animô superare. 6. quotidie summo mane te potius mortem passurum, quàm peccatum veniale commissurum firmiter propone. 7. omnesq; ansam venialiter peccandi præbere possent, occasiones diligenter fugere. 8. statim post peccatum veniale comissum, de eo propter Deum offensum dolere, cum firmo de cætero non peccandi proposito. 9. in examine generalì serotino proportionatas venialibus à te eadem die commissis tibi pœnitentias injungere. 10. singulìs horìs auditô horologiô, ut te Deus ab hujusmodi peccatìs immunem servet, gratiam postulare. 11. ob mentis oculis tibi ponere S. Anselmum, Ludovicum, Theresiam, Catharinam; & innumeros alios, qui pœnas inferni peccato veniali prætulissent & potius elegissent. 12. actus virtutum venialibus quibus assvetus es, contrarios frequenter exercere: exempli causa, gulæ sobrietatem, silentium loquacitati, & superpiæ humilitatem opponendo. 13. magna cum reverentia & devotione ad sacrum Eucharistiæ Sacramentum accedere. 14. rectam & puram

ram intentionem in omnibus & ubiq; servare 15. deniq; Dei tibi præsentis numquam oblivisci.

MEDITATIO V.

De observantia Regularum.

1. Considera quàm diligens & studiosus observator esse debes Regularum Religionis aut Congregationis ad quam te Deus miserans attraxit, quia 1. licèt Regulæ, juxta D. Thomam, per se ad peccatum non obligent, tamen ratione contemptûs vel scandali contra ipsas peccari potest, ità ut ex illarum infractione sequi possit mors animæ, & tandem ipsa damnatio. *Væ illi per quem scandalum venit*, Math. 18. *Væ qui spernis* Isa. 33. 2. non alia tibi ad cœlum via panditur ab ea quam te Deus vult inire, observantiam videlicet Regularum. 3. promisisti Deo te eas fideliter observaturum: quapropter quoties transgrederis, toties datam ipsi fidem violas, & aliquô modô sacrilegia perpetras. 4. Religionis aut Congregationis factus es membrum: itaq; attinet ad te de corpore, cujus bonum & conservationem procurare debes: quod sinè exacta Regularum observantia diutiùs subsistere nequaquam potest. 5. locum tenes alicujus, qui vocationis suæ gratiæ responderet, & fidelis esset observator Regularum. 6. cùm Regulas non observas, Superiores tuos dolore & mœstitia transfodis, tuisq; Fratribus sis petra scandali. 7 Regulæ sunt quasì canales quibus Congregationis vel Religionis spiritus influit, necnon alii favores Dei in corda Regulas observantium copiosè derivantur. 8. cœcitas est, & amentia reluctari Regulis, suôq; modô velle vivere post tot Deo protestationes factas in ingressu Religionis vel Congregationis renunciandi

voluntati propriæ, & divinam adimplendi, Regulis significatam, & Superiorum nostrorum ordinatione. 9. infidelitas circa Regulas unum est ex certissimis signis reprobationis. 10. qui Regulas suas non observat, Legem quoque divinam negligit: at qui fidelis est, duabûs alîs sublevatur ad Deum, & in ejus mandatis mira cum facilitate & dulcedine volat. 11. denique nostra perfectio ex perfecta observantia Regularum pendet. Si rectè observemus, sancti erimus: Væ tibi qui hæc legis, si Regulas habens negligis!

II. Considera vanitatem & stoliditatem eorum, qui Regulas non observant, quorum septem genera sunt: 1. eorum qui aliis omnino rebus incumbunt, quasì potior ratio esse debeat accessori, quàm principalis; operum supererogationis, quàm necessitatis. 2. eorum qui allegant se tantùm in minimis Regulas transgredi, & ob hoc inexcusabiliores sunt (ait S. Bernardus:) nam quò magìs res quæ præcipitur exigua est, eò facilior observatur. 3. qui vacillant in sua vocatione, animáq; hæsitant, num eos Deus asciverit, atq; ità Regulas Communitatis negligunt: quod quidem manifestum diaboli stratagema: quamvìs enim non essent vocati, tamen tenentur observare Regulas, quamdiu in ea degunt. 4. qui genus suum & divitias in sæculo possessas obtendunt, aut propter nescio quam dotem naturæ, quam imaginantur, gaudere privilegiis, immunes haberi volunt, indocti profectò utpote qui ignorent communitatem omnes æquales reddere, tantumq; filio aratoris arrogari, quàm Principis, pari honore excipi paucîs admodum talentîs commendabilem, ac plurimis & præstantissimis: tanti laicum fieri, quanti concionatorem, imò pluris, si

hu-

humilitate & obedientia antecedat. 5. qui causantur invaletudinem suam, quæ quidem excusatio magnum quid afferre cuta videbitur, si decies allata, semel locum inveniat, ùt plurimùm pigritia est & pusilanimitas, non autem infirmitas. 6. qui sese à Communi disciplina subtrahunt, ratione officii sui & muneris; hic Superioris, ille Magistri; hic Concionatoris, ille Procuratoris; quæ plerumq; dignitas est secreta quædam Numinis ultio, cui sunt impares, peribunt absq; dubio, nisi Regulas pro sua virili parte observent. Ex eo genere hominum sunt, qui vanum antiquitatis nomen obtendunt, & plures annos in Congregatione vel Religione: quod certè ipsis propudium esse debet, nisi ut annis, ità virtute alios antecellant, & Regularum strictiori observantiâ. 7. qui acediantur, & ordinarias actiones satietate quadam fastidiunt, hujusce veritatis immemores: *Recta & fausta initia miserabili exitu sæpe concludi.*

III. Considera præsentissima remedia contra infractionem Regularum. 1. cogita te Deo rationem redditurum in tremenda die Judicii. 2. Regulas à Deo ipsomet datas auctore sanctarum Religionum & Congregationum. 3. tempus vitæ tuæ breve esse, & proinde laborem brevem quem in observandis Regulis patieris. 4. multos æquè debiles & imbecilles atq; tu, eas observare: quidni tu etiam observabis, cùm & eumdem Deum habeas & similes gratias? 5. inspice milites, ut regulas & leges militiæ observant, ut suorum Ducum jussa, pudeat te propter Deum minùs præstare quàm propter homines. 6. quotidie interroga te, quemadmodum S. Bernardus: *Ad quid venisti?* An ut resolutis brachiis hic sedeas? nonne potiùs ut Regulas observes?

7. lege frequenter Regulas, tresq; illos actus forma: 1. gratias redde Deo pro his: 2. condole de negligentia: 3. propone fidelitatem. 8. ama super omnes status & conditiones mundi Religionem aut Congregationem, ad quam te Deus misericorditer vocavit. 9. numquam propria authoritate immisceas te negotiis impossibilibus cum Regularum observantia: enitaris semper plus quàm minus agere. 10. accusa te fortiter in tribunali confessionis, imò & coram aliis de infractione Regularum, pete à Superioribus pœnam tibi injungi luculentam. 11. tandem postula à Deo gratiam strictè obsorvandi Regulas: nam *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*, Psal. 126.

MEDITATIO VI.

De confessione generali.

1. COnsidera confessionem generalem omnibus esse necessariam, qui in anteactis confessionibus defectum essentialem admiserunt: quod potissimum in quinque casibus contingit. Primus est, quando pœnitenti sufficiens dolor de peccatis defuit: quod patet, si cùm possit ipse, detrectat se quoquomodò accusare, nisi interrogatus à Confessario, vel seipsum excusat, vel laudat, vel spontè peccata dissimulat, aut aliorum propalat; vel proprio reluctatur Confessario, vel deniq; salutaria monita, & injunctam satisfactionem immeritò respuit. 2. quando firmum defuit de emendatione propositum: in quo peccant. 1. qui oretenus tantùm pollicentur non peccaturos imposterum, cùm in animo habeant, interum, vel etiam unicum perpetrare. 2. qui firmam non habet voluntatem, vel penitùs dimittendi, vel fugiendi proximas occasiones pec-

peccati, aut bona malè parta restituendi, aut injuriam honori alieno quoquomodò illatam resarciendi, vel in gratiam cum inimicis redeundi. 3. quando integritas confessioni culpa sua defuit: quod accidit, 1. quando sponte peccatum aliquod lethale celatur: quando defectu sufficientis examinis omittitur peccatum aliquod mortale: 3. quando peccatorum lethalium, vel quæ lethalia putantur, numerus non exprimitur: 4. quando sponte circumstantia aliqua peccati necessariò exprimenda omittitur, v. g. si percusso Sacerdote hominem tantùm percussisse dicas: & sic de reliquis. 5. quando apud Sacerdotem imperitum ipse quoque ignorans gravia, & nonnullius momenti, peccata deposuit: 6. quando Confessarius absolvendi facultatem non habet, præsertim si pœnitens ejusmodi Confessarium adiit, ut faciliùs absolutionem eliceret: omnes ejusmodi confessiones quibus subest, vel minimus ex supradictis defectibus, nullæ sunt: & nullô aliô modô suplendæ, quàm generali confessione.

II. Considera utilitates & commoda Confessionis generalis, iis etiam, quibus absolutè non est necessaria. 1. est hac exomologesi, seu universa peccatorum inspectione, tum singulatim, tum universim, novus ac vehementior dolor percipitur. 2. difficultas illa ac pudor qui in exprimendis culpis omnibus anteactæ vitæ apud eumdem Confessarium subeundus est, minuit expiationem in Purgatorio reservatam. 3. actus ille humilitatis, qui peccata sua propalanda iterum nullo egente elicitur, novas promeretur à Deo gratias, & multum roboris ad resistendum peccato. 4. hôc pactô Confessario meliùs inotescit animæ status, propensiones

nes & peccatorum radices: unde meliora possit animi morbis adhibere remedia. 5. summum inde percipitur levamen, ac tranquillitas animi: quod probabile sit hòc pactô præcedentium Confessionum defectibus, si qui fuerint, esse provisum, & veterum delictorum chirographum à Deo esse deletum, ità ut nihil verendum sit, quod in extremo Judicio arguatur.

III. Considera media ad hanc Confessionem generalem bene instaurandum. 1. accuratè pensandum nullinè defectus subrepserint in anteactis confessionibus, quibus nulla reddantur: quô compertô, excitandus dolor & firmum propositum recurrendi quamprimùm ad Confessionem generalem, tamquàm unicum ac efficacissimum remedium sin minus comperias in nullos hujusmodi defectus incidisse, cogita te forsan in hoc cæcutire & hallucinari, imò verò temeritatis esse, si credas ea te non indigere: siquidem perfectissimis est in usu. Porrò non sinè injuria gratias à Deo oblatas respui post tam salutare remedium, si vel acedia, timore, aut pudore aliquo negligatur, cùm subest inspiratio vel occasio. 2. obsistendum suggestiônibus Satanæ, qui ut Confessionem generalem avertat, aut quoquomodò invalidam ac inefficacem reddat, pudorem vel timorem, aut alias difficultates obtendit: etsi nulla subsit ejusmodi timoris ratio. 3. apprimè pensandum quid quisque fecisse vellet in ipso mortis articulo, aut extremo judicii die, & hoc ipsum hìc & nunc facere. 4. enixè postulanda à Deo gratia ad eam bene faciendam. 5. recurrendum ad exercitia spiritualia: ibi enim suppetunt omnia media, quibûs te disponas ad Confessionem generalem bene instituendam.

ME-

MEDITATIO VII.

De satisfactione pro peccatis.

I. *FAcite fructus dignos pœnitentiæ*, Luc. 3. Considera quòd Sacramentô pœnitentiæ debitè susceptô, & omnium peccatorum suorum plenaria remissione obtentâ, oporteat toto vitæ decursu conservare illum pœnitentiæ spiritum, & satagere variis modîs pro peccatis suis Deo satisfacere, imprimìs impositam à Confessario pœnitentiam debitè explendo. 1. quia talis satisfactio est pars Sacramenti pœnitentiæ, quam non explere vel negligenter ac perfunctoriè peragere, gravis est injuria Sacramento. 2. quia talis satisfactio juvat ad exsolvendas pœnas in purgatorio. 3. quia tali satisfactione exactè persolutâ testamur nostrum mœrorem, quem habemus de nostris peccatis. Si haberemus vel minimum de nostris peccatis, ùt oportet, dolorem, haud nos inveniremus difficiles & contrarios in acceptandis in hoc Sacramento pœnitentiis, & satisfactionibus, sed magìs peteremus tractari ùt peccatores juxta mensuram delictorum nostrorum secundùm præscriptum in antiquis Canonibus rigorem!

II. Considera præter pœnitentiam nobis injunctam in confessione, alias voluntarias satisfactiones nos debere curare. 1. quia assignata pœnitentia raro adæquat gravitatem peccatorum nostrorum, hinc in primitiva Ecclesia multorum annorum assignabatur pro peccatis pœnitentia, & quidem valde austera. 2. attendendo pœnas Purgatorii gravissimas fructuosiùs est hìc, Deo satisfacere, quàm post mortem. *In quantùm* autem, inquit Tertullianus: *non peperceris tibi, in tantùm tibi Deus, crede, parcet.* Verus dolor & pœnitentia de peccatis, manife-

festatur per tales satisfactiones ultra sacramentales. *Quid* enim *prodest* ait S. Gregor. *confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ? tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cùm afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* Pœnitentia ergo continua omnibus est necessaria, *aut* enim *ardendum, aut pœnitendum* inquit Augustinus. Non sunt nisì duæ viæ ad æternitatem, lata & arcta, lata est svavior, sed ducit ad infernum, arcta est asperior, sed ducit ad vitam, quà ergo tu vis ambulare? audax es ad peccandum, sed non animosus ad pœnitentiam; verùm tamen *secundùm mensuram delicti debet esse & plagarum modus.* Deuter. 25.

III. Considera media, ad satisfaciendum pro peccatis, & ad vivendum in spiritu pœnitentiæ. 1. pœnitentiam in confessione injunctam cum maximo fervore persolvere quàm exactissimè, neque ex negligentia ad notabile tempus sinè gravi peccato differri potest. 2. ultra hanc assignatam in confessione, alias voluntarias pœnas assumere, ùt S. August. monet: *Non satis est peccatis renuntiare, malas extirpare habitudines, si Deo non satisfiat pro commissis culpis, per lachrymas, per gemitus, per sacrificium cordis contriti & humiliati, per eleemosynas, ac alias actiones sanctas & satisfactorias.* Quò majoribus te agnoscis obnoxium peccatis, eò majorem agere debes pœnitentiam. Nam *peccata graviora, gravioribus tormentis indigent.* inquit S. Hieron. Et S. Ambrosius lib. ad virgin. lapsam. *Grande scelus, grandem habeat necessariam satisfactionem.* 3. in particulari varii sunt modi, quos pro tua facultate & indole attenta peccatum gravitate, eligere debes ad satisfaciendum justitiæ Divinæ, *ut*: crebrò confiteri & ad sacram Synaxim accedere; mala hujus vitæ, ùt sunt mor-

bi,

bi, afflictiones, humiliationes, miseriæ, labores *&c.* libenter ex amore Dei in spiritu pœnitentiæ tolerare, & Deo offerre pro peccatis; actus humilitatis, contritionis, religionis, frequenter exercere, injurias acceptas inimico condonare, eleemosynas, jejunia, aliasque carnis macerationes pro posse facere, indulgentias non negligere *&c.* Sit ergo de cætero tua resolutio efficax & absoluta, non tantùm in confessione Sacramentali à Sacerdote impositas pœnitentias libenter acceptare, verùm etiam sponte tibimetipsi impositas omni devotione suscipere & exequi, & potiùs hìc in vita Deo compensare quàm in Purgatorio usque ad novissimum quadrantem exsolvere, *Iniquitas enim omnis, prava magnave., puniatur, necesse est, aut ab homine pœnitente, aut à Deo vindicante, vis, ut non puniat Deus, puni tu*, inquit Augustinus *Pigeat sanè peccare*, monet S. Pacianus, *sed pœnitere non pigeat.* Dic sæpe in corde tuo cum Davide pœnitente: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Et cum S. Augustino: *Hìc ure, hìc seca, dummodò in æternum parcas.*

MEDITATIO VIII.

De bona & perfecta confessione.

1. CONsidera rationes, quæ te ad bonam & perfectam confessionem instituendam, idque sæpissime movere debent. 1. Nemo reus peccati mortalis, & habens copiam Confessarii, sinè confessione Sacramentali salvari potest, ut declarat sacrosanctum Concilium Tridentinum, à Spiritu sancto congregatum. 2. Quod ægris medicina, hoc confessio peccatoribus; & sicut ægri non raró vitâ corporali privantur, vel quia nimìs seró recurrunt ad

Me-

Medicum, vel ei non suum satis apertè morbum manifestant, vel denique fideliter ejus voluntati non obtemperant; ità frequentissimè, qui Sacramentali Confessione vel non utuntur vel abutuntur, vitam animæ, & consequenter vitam æternam amittunt. 3. Confessio inutilis planè & nociva etiam redditur, si fiat sinè dispositionibus requisitis: tunc enim grave sacrilegium committitur, dum salutare Pœnitentiæ Sacramentum profanatur. 4. Ritè acta & perfecta confessio bona nobis confert innumera: nam peccata mortalia quoad culpam remittit, pœnam æternam illis debitam in temporalem commutat, & hanc ultimam secundùm pœnitentis dispositionem minuit, & totaliter nonnunquam tollit; animas nostras, quibus gratiam communicat, Deo gratissimas efficit, dona Spiritûs Sancti & virtutes infundit; merita mortificata restituit, hominem in potestate merendi de novo & bene agendi redintegrat; robur ad firmiter resistendum peccato ei tribuit, & denique animæ pacem parit & tranquillitatem. 5. Nullum nos habere majùs ad perfectionem nostram impedimentum quàm abusum confessionis, experientia docet.

II. Considera Confessionem Sacramentalem esse dolorosam, de propriis & singulis peccatis saltèm mortalibus ad eorum remissionem obtinendam, coram proprio Sacerdote accusationem. 2. Considera tres ad illam requiri conditiones, in sacrosancto Tridentino Concilio expressè assignatas: 1. Contritionem cordis, quæ duo involvit, dolorem scilicet de peccatis præteritis, & firmum propositum numquam ampliùs committendi. 2. Confessionem oris quæ conscientiæ examen seu diligentem peccatorum inquisitionem præsupponit. 3. Denique ope-

ris Satisfactionem, quæ in perfecta Deo & proximo satisfaciendi voluntate consistit. 3. Considera, plures, modum ritè confitendi peccata sua penitùs ignorare, ac proinde eorum declarationes potius confusiones quàm Confessiones esse. Tales sunt 1. qui se accusant de peccatis suis in genere & in confuso: exempli gratiâ, Deum non tam amavi, ùt debui, *&c.* 2. qui dicunt se ab ultima Confessione per misericordiam Dei nihil mali egisse: eos enim decipi probabile est, cùm vix ullus in terris vivat, quin pluries quotidie saltèm venialiter peccet, vel vanam cogitationem admittendo, vel otiosum verbum proferendo, vel motui cuidam inordinato non resistendo, *&c.* 3. qui lanquidè & perfunctoriè, & sinè debita præparatione ad tremendum pœnitentiæ Tribunal accedunt. 4 qui de peccatis suis se accusant, sinè voluntate vitandi occasiones, & sinè perfecta affectûs ad hujusmodi peccata depositione. 5. qui omnem in peccatorum inquisitione, vel importuna quorumcumq; minutissimorum declaratione, & nullam aut ferè nullam in procuranda ipsorum vera detestatione diligentiam adhibent. 6. qui bona propria, vel aliena mala opera sinè necessitate manifestant, vel excusationes afferunt, vel denique circumstantias speciem peccatorum mutantes vel aggravantes omittunt.

III. Considera media ad bonam Confessionem instituendam aptissima. 1. est, quamlibet velut vitæ ultimam persolvere, & quasi statim post acceptam Absolutionem moriturus esses confiteri. 2. Confessione extraordinaria & generali omnes præcedentium Confessionum defectus resarcire. 3. numquam imparatus ad Confessarium aut præcipitanter acce-

cedere. 4. ante Confeſſionem inſtanter à Deo lumen ad propria peccata cognoſcenda, humilitatem ad ea Confeſſario declaranda, & robur denique ad illa deteſtanda & fugienda poſtulare. 5. varios actus Contritionis elicere, nec minùs temporis in actuali deteſtatione quàm in examine peccatorum inſumere. 6. ante Confeſionem remedia adverſùs ſingula peccata tua, & ad tui emendationem ſalutaria, prævidere. 7. multum in tuo Confeſſario confidere, & in perſona ipſius Dominum JESUM CHRISTUM conſiderare. 8. ſi peccata tantùm venialia habeas dicenda in Confeſſione, ſatius eſt tria quàm plura, ut magìs attendas ad ea deteſtanda, declarare. 9. dum Sacerdos tibi beneficium Abſolutionis impendit, divinam bonitatem, ut permittat te potius mori quàm inpoſterum fœdari humiliter & vehementer rogare. 10. inter mille Confeſſarios prudentiſſimum eligere. 11. poſt acceptam Abſolutionem gratias pro tanto beneficio ſumas agere. 12. pœnitentiam injunctam fideliter & quàm citiùs fieri poterit, adimplere, deniq; omnem in inæſtimabili theſauro gratiæ divinæ conſervando, diligentiam adhibere.

MEDITATIO IX.

De Examine conſcientiæ quotidiano.

1. *SCrutemur vias noſtras, & quæramus & revertamur ad Dominum*, Thren. 3. Conſidera 1. quàm ſit perutile quotidie ſub veſperum conſcientiam ſuam excutere; hoc enim eſt medium efficaciſſimum, ad ſeipſum perfectè cognoſcendum. 2. Examen quotidianum commendant nobis non ſolùm Sancti, ſed ipſi etiam ethnici, qui illud etiam uſurpabant pro medio efficaciſſimo ad honeſtè & modò rationali vi-

vivendum. Sic Cicero : *Quid quoquo die dixerim, audiverim, egerim, commemoro vesperi.* Sic Sextius Philosophus teste Senecâ, à semetipso inquirebat, antequam somnum caperet. *Quod hodie malum tuum sanâsti? cui vitio restitisti? qua parte melior factus es?* Ille demum Seneca in historiis tam clarus, tot tantisq; in aula Cæsaris distentus negotiis, sic de se scriptum reliquit: *Utor hac potestate, & quotidie apud me causam dico, cùm sublatum è conspectu meo lumen est, totum diem meum scrutor, facta & dicta mea, remetior, nihil mihi ipsi abscondo, nihil transeo*, ac subdit: *Desinet ira, vel moderatior erit, quæ sciet sibi quotidie ad judicem veniendum.* En exempla Ethnicorum! quomodò confundere debent negligentiam Christianorum! S. Chrysostom. autem concludit. *Ex ea re* idest quotidiano examine *tantum erit emolumentum, quòd si uno solo mense fecerimus, in perfecto virtutis habitu nos ipsos constituemus.* 3. Examen quotidianum est medium oportunum, ad extricandum nos à pravis consvetudinibus contractis in quocunque genere vitiorum oris, cordis, & operis, sinè quo vix aliter poterimus eradicare vitiosos habitus. 4. Examen conscientiæ vespertinum, multùm juvat ad faciliùs & perfectiùs peragendam confessionem. 5. Si rectè peragatur quolibet vespere, servit nobis, ut mors nos paratos inveniat, cujus nescimus diem neque horam. *Quòd si per singulos feceris dies, cum fiducia stabis ante tremendum illud tribunal Dei.* inquit S. Chrysost.

II. Considera & aliud esse examen conscientiæ, quod vocant Ascetæ, *particulare*; peragi autem debet circa meridiem & circa vesperum, differt à generali: quòd circa unum tantùm vitium extirpandum, vel virtutem acquirendam, in eo,

occupare se homo debeat. Valde est utile, necessarium, & efficax, ad incompositos animi nostri motus superandos, consvetudines pravas extirpandas, & à defectibus, quibus præcipuè obnoxii sumus, nos liberandos. Hoc examen, magnopere SS. Patres commendant. Ope hujus exercitii. 1. S. Ignatius tantam conscientiæ puritatem, & potentissimum in omnes affectus suos imperium adeptus est. 2. S. Franciscus Salesius, cùm esset ex temperamento Cholericus & ad iracundiam pronus, viginti circiter annorum spatiô, praxî continuâ hujus examinis, eam mansvetudinem & sermonis svavitatem obtinuit, quâ omnium corda ad se trahebat, & durissimos etiam animos conciliabat, ut eos Deo lucrifaceret. 3. virtute hujus examinis quotidie per triginta ferè annos instituti, S. Vincentius à Paulo, eximium humilitatis gradum est assecutus: Si & tu cupis, virtutes Christianas acquirere & vitia extirpare hôc mediô utere. Argumentum hujus examinis: debet esse unus defectus sive vitium particulare, quod tibi magìs prædominatur, extirpandum, aut in particulari virtus aliqua per actus & gradus ejus, acquirenda, & ad nihil ampliùs eo tempore reflectere te debes, nisì ad illud unicum, quod tibi ad exercitium diurnum proposuisti: circa quod fructuosiùs peragendum, consulere debes tuum Patrem Spiritualem. Modus hoc examen instituendi, est: 1. In oratione matutina proponere, quem defectum vitare per diem debes prævidendo occasiones, & contra illas se præmuniendo, idem dicendum de exercitio alicujus virtutis. 2. Non facilè mutare argumentum seu materiam hujus examinis, sed tam diu in uno se exercere, donec agnoveris profectum, ùt faciebat David.

vid. *Persequar inimicos meos, --- & non convertar, donec deficiant.* Psal. 17. 3. Eligere aliquantulum temporis ante prândium & ante cœnam, examinando se circa id, quod tibi proposuisti, tum, si res pro voto successit Deo gratias agere, sin minùs, humilia te coram Deo, & per sincerum dolorem cum proposito, in futurum diligentiùs se gerendi, veniam ab ipso pete. 4. Sæpe meminisse per diem tui propositi manè facti. 5. Conferre unam hebdomadam cum altera, quantùm profecisti, ùt monet S. Basilius. *Quæ quotidie feceris opera, vespere tecum commemora, & cum iis, quæ pridie fecisti, conferto.* 6. alia quoque media non negligas, quæ in sequenti puncto notantur pro generali examine.

III. Considera media ad rectè instituendum examen generale: 1. Concipe, exercitium hoc, esse maximi momenti, duo enim cuivis ad proficiendum in pietate Christiana, sive sæcularis sis sive Ecclesiasticus, summopere juvant, Meditatio & Examen conscientiæ, si rectè & punctualiter quotidie peragantur, ideoq; multùm hæc exercitia æstimare debes, & aliis alioquin piis devotionibus particularibus, illa præferre. 2. Antequam illud incipias sistere se in præsentia Dei, gratias agere Deo pro acceptis ab eo beneficiis, petere ab ipso lumen ad cognoscendos defectus per totam diem commissos. 3. Discutere diligenter conscientiam suam, ab ipso manè, usque ad hoc tempus, quid, quâ horâ, in quali loco, conversatione, egeris, perpendendo cogitationes, verba, & opera, ac præsertim illa vitia & defectus, quibus magis obnoxium te esse agnoscis. 4. Concipere summum dolorem de commissis, cum firmo proposito de cætero se emendandi, impositâ sibi aliquâ voluntariâ pœnitentiâ, ad firmi-

ùs se custodiendum, & contra occasiones præmuniendum. 5. Firmiter præcavere, nè hoc pium exercitium unquam omittatur. *Demum* esse persvasum de ista veritate, quam insinuat Author libri de Imitat. Xti l. 1. c. 25. *Duo specialiter ad magnam emendationem juvant, videlicet subtrahere se violenter, ad quod natura vitiosè inclinatur, & ferventer instare pro bono, quô ampliùs quis indiget.*

MEDITATIO X.

De imitatione Christi Domini.

1. CONsidera quibûs rationibûs atq; Incitamentîs ad imitandum Christum Dominum adducarìs. 1. hoc ipse intendit: *Exemplum* (inquit Matth. 13.) *dedi, vobis, ut quemadmodum ego feci, ità & vos faciatis.* 2. Christiani nominamur, quòd discipuli & filii Christi Domini simus: Idcirco, ùt bene Augustinus loquitur, *Christiani nomen frustrà sortitur, qui Christum non imitatur.* 3. magnum est prædestinationis argumentum: Nam ex D. Paulo: *Quos Deus prædestinavit, hos & vocavit conformes fieri imaginis Filii sui.* 4. Sancti omnes ipsum imitati sunt, ùt patet ex ipsorum vita. D. Paulus seipsum Christi imitatorem prædicat. D. Ignatii inter acerbos cruciatus hæc una vox erat, *Jam incipio Christi esse discipulus.* In eo videmus omnes esse positos, qui piè ac religiosè volunt vivere, & solos impios ab ipsa imitatione averti, utpote diaboli imitationi mancipati. 5. summo honori ducendum Christum Imitationi mancipari. 6. summo honori ducendum Christum imitari, & ipsum sequendo ei in omnibus assimilari, atq; adeò cum ipso tota æternitate regnare.: contrà verò summæ amentiæ ac miseriæ esse, & ingrati animi indicium, nolle eum sequi ac imitari.

II.

II. Considera, in quo potissimum debeamus Christum imitari: puta similia præstando iis, quæ egit ipse ut homo, cùm per triginta tres annos nobiscum egit in terris. Clericorum est ac Sacerdotum imitari ipsum in muneribus obeundis, quæ ipse obivit à trigesimo ad trigesimumtertium annum, puta concionando, sacra faciendo, & similia. Laicorum & quorumcumq; aliorum est ipsum imitari in omnibus, quæ gessit à nativitate ad trigesimum usque annum. 1. in humilitate cordis: *Discite* (inquit) *à me, quia mitis sum & humilis corde.* Ità fiet, si te contemptibilem putes, & talem haberi gaudeas. 2. in patientia, cujus specimen dedit in vita ac Passione sua, si æquô animô ærumnas omnes, calumnias ac vexationes perferas. 3. in caritate, quæ tanta fuit, ut non solùm benefecerit omnibus sanando ægros, mortuos suscitando, imò etiam pro nobis vitam suam profuderit. 4. in obedientia, constat ex Evangelio ipsum parentibus fuisse subditum & factum obedientem usque ad mortem; ipsum (inquam) cui omnis creatura subjecta est, tu saltèm ipsum imitari debes præpositis tuis obediendo. 5. in oratione: in qua pernoctabat ipse: tu verò præter statas orationes vocales semel saltèm in die mentali debes incumbere, & ad signum horæ cujusq; præsentiæ divinæ meminisse: quod aliud genus orationis est.

III. Considera media Christum Dominum imitandi hæc esse. 1. facere quod solent, qui efformandis primis literis operam navant, oculos nempe identidem in magistri exemplar figunt, ut scriptitando sensim illud imitentur: sic vicissim Christi actiones inspectandæ, ut singilatim unamquamq; valeas effingere, v. g. humilitatem, patientiam, &c.

&c. 2. ad quamcumq; actionem erubesce, quòd melius tibi sit quàm ipsi, v. g. lectum initurus. Hæc apud te revolve. Heu! me miserum! ecce in molli culcitra recumbo; & Christus Dominus jacet nudus in præsepio! Vestes sumendo: En Salvator nudus in Cruce, & ego mollibus induor. Et similia. 3. Perpende quid præstares, si te Rex optimus, sapientissimus, ditissimus ac potentissimus ad bellum adversùs communem hostem socium advocaret, tibiq; amplissima munera partâ victoriâ polliceretur? Ipsum haud dubiè lætô animô sequerêris. Quidni igitur ipsum Regem Regum sequaris? 4. pete gratiam ipsum bene imitandi, & exploratum faciat, in quo & qua ratione in tuo gradu ipsum valeas imitari, & quod ipso inspirante aut movente faciendum cognoveris, statim opere studeas adimplere.

MEDITATIO XI.

De vocatione ad vitæ statum, seu de vitæ statu eligendo.

1. CONsidera quanti momenti sit usurpare sibi statum aliquem vitæ absq; prævia vocationis suæ disquisitione. 1. in quocumq; statu impossibile est bene vivere, & salutem suam consequi sinè vocatione: quia ad omnia statui, in quo sumus ritè præstanda, opus est Dei gratia, quam iis numquam largitur, qui se temerariè ingerunt, sed illis tantummodò quos ad eum vocat. 2. omnes propemodum calamitates quæ cujuslibet fortis & conditionis hominibus, sive in statu Matrimonii, sive in statu Religionis & Sacerdotii, sive in quolibet alio evenire solent, ab illo fonte scaturiunt, nimirùm quòd hi non erant vocati. 3. Deus permittit eos, qui ità se intrudunt, ante tempus torqueri, pœ-

nas

næ inferni sexcentis doloribûs, anxietatibûs, quibûs noctu diuque torquentur, anticipare, vitamq; non rarò & luctuosa desperatione finire. 4. malum est insanabile, vel certè curatu difficillimum, præcipuè cùm negotium sit non unius diei, unius mensis aut anni, sed totius vitæ. 5. enim verò si conductus ad annum unum, & non ampliùs, non operam suam inconsideratè promittit, sed seriò antè deliberat apud se, nè stultè & in suum damnum faciat, quantò majori cautione opus est ad statum vitæ ingrediendum, à quo resilire nefas est. 6. JESUS Christus Salvator noster, qui nobis est regula & exemplar, non ausus est salutis nostræ œconomiam aggredi, nisì ex Patris sui æterni arbitrio & vocatione.

II. Considera, quid sit vocatio ad vitæ statum. Est electio personæ alicujus à Deo facta per suam gratiam, quam ad honestum vitæ statum vocat, in quo salutem suam potest consequi. Hæc verba singillatim perpendenda. 1. est *electio* Eligere aliquem ex multis, nihil aliud est quàm hunc præferre omnibus: unde colligitur nos infinitè Deo obligatos esse, dum ad aliquem statum vocat, teneriq; strictiùs ad amorem & cultum ei exhibendum in illo statu. 2. electio *à Deo facta.* Non est nostri, nos eligere, non est carnis & sanguinis, non est parentum nostrorum, nisì divino quodam instinctu ducantur: at ipsius Dei est eligere, Id autem facit vel interiùs inspirationibûs quibusdam & motionibûs; vel exteriùs Vicariîs suîs, qui ejus voluntatem nobis indicant. 3. per suam gratiam: non enim ex merito nostro, sed ex pura sua misericordia. 4. ad *statum.* Diversimodi sunt status in hac vita; ad quos vocatione opus est: ut in illis volun-

tas divina fiat ; cujusmodi sunt status Religionis, Sacerdotii & Matrimonii, ad quos varia officia & artes reducuntur. 5. ad statum *honestum & in quo salutem potest consequi* : ad distinctionem statuum ex natura sua infamium, puta circulatorum, histrionum, mimorum, & aliorum ad quos Deus neminem vocat, & in quibus salus impossibilis est.

III. Considera media ad eligendum vitæ statum propria. 1. à Deo enixè & sæpè flagitare, ut sæpè nos trahat & in statu collocet, in quo vult. 2. dare operam exercitiis spiritualibus in solitudine & recessu, ad meliùs divinam voluntatem explorandam, in illo arcano animæ colloquio. 3. consulere Directorem nostrum & Confessarium super hac re, ipsiq; ùt Deo obedire. 4. intentionem nostram purificare, Deoq; sæpè protestari nos talem vitæ statum eligere ad majorem ipsius gloriam. 5. cogitare in quo vitæ statu vellemus esse, si mors intercideret : v. g. fortè vellemus mori boni Religiosi, aut boni Sacerdotes, aut perfecti Christiani in matrimonio : quapropter extunc perfectionem amplecti in aliqua harum conditionum. 6. si sentimus nos interiùs moveri ad Religiosum statum amplectendum, multum venerari hanc cogitationem, Deo gratias agere, eam ipsi offerre, majus lumen ab eo postulare ad ejus voluntatem super hac re cognoscendam. 6. examinare se utrum qualitates tam corporis quàm animi ad hunc statum requisitas habeamus, & an bono & laudabili motivo feramur. 8. si qualitates requisitas ad talem statum in nobis agnoscamus, nullô modô ab eo deterreri propter cogitationes contrarias, maximè si fundatæ sint in legibus mundi & prudentia humana. 9. Sancti Hieronymi sententiam penitissimis sensibus repo-

reponere: *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & ad Crucem advola:* hoc est, terrenis rebus omnibus & amori parentum inordinato renuntiare, illisq; resistere, si à voluntate Dei exequenda nos avocare conentur, 10. ob oculos sibi ponere exempla plurimorum æquè fragilium ac nos, qui nihilominus in eodem statu sanctificati sunt. 11. obfirmato esse animo ad disrumpenda omnia impedimenta obicesq; dejiciendos, qui proposito nostro moram facere possent. 12. jactare super Dominum omnem spem, & curam suam, qui neminem ad vitæ statum vocat, quin quoque illi gratias sufficientes impertiat & necessarias ad salutem. Juvabit relegere attentè monita *de statu vitæ eligendo* in fine hujus libri annotata. 13. tandem si divinæ vocationi aures præcludimus, meritò reformidare has voces Dei improperantis: *Vocavi, & renuistis*, &c. *ego quoque in interitu vestro videbo & subsannabo*, &c. Prov. 1.

MEDITATIO XII.

De serio examine circa propriam cujuslibet vocationem num sit à Deo, necne.

1. Considera, cur diligenter perquirere debeas, utrùm à Deo vocatus sis, necne ad vitæ statum, quem jam profiteris, & ab aliquo tempore amplexus es. Infelicissimus sanè censendus, qui in eo statu vivit, in quo non à Divina Providentia, sed à propria voluntate constitutus est. 2. qui de própria vocatione, tanquam à Deo facta, moraliter certus est, mira semper animi gaudet tranquillitate & perpetua fruitur pace: qui verò fluctuat in incerto, & num à Deo sit vocatus necne, dubius est, continuò angitur, torquetur, cruciatur & uritur. 3. qui se à Deo vocatum pro certo tenet, lætus exercitia suæ professionis aggreditur, iisque

non

non perfunctoriè & remissè incumbit, sed ferventissimè, & eò diligentiùs, quò certior est se divinam in hoc perfectissimè exequi voluntatem : qui verò se non vocatum a Deo verisimiliter judicat, tepidus est in omni opere suo, & negligentissimus, & nonnisì coactè & ex necessitate sinè ulla intentionis rectitudine, munere suo fungitur, eò, quòd utrùm Deo placeat vel displiceat? penitùs ignorare videatur. O bone Deus! quàm grave & quàm inquietum malum is patitur, qui cùm dubius sit, an à tua providentia sit vocatus, vel non, incertus quoque est, an tuæ obediat, vel inobediat voluntati!

II. Attende modò, utrùm notas, quibûs dignosci potest, an à Deo vocatus sis, necne, in te habeas. 1. cùm quis non motu proprio, sed proborum & prudentum consiliô statum aliquem est aggressus. 2. si præcesserit & permanserit recta & pura intentio Deo fideliter serviendi, & ipsi in omnibus placendi. 3. cùm id non ex levitate aut præcipitatione, sed post præmaturam deliberationem & assiduam orationem factum est. 4. cùm quis longè antequam statum in quo est, amplecteretur, intentionem illum amplectendi habuit, & in ea diu & constantissimè perseveravit. 5. cùm quis faciliter & delectabiliter professioni suæ annexa exercitia peragit. 6. cùm nos à Deo vocatos esse, Confessarii & Superiores nostri spirituales certos reddunt. 7. denique cùm quis ab eo tempore, quô statum proprium amplexus est, vel nunquam vel raró in peccatum mortale incidit, à Deo vocatum esse, manifestum indicium est.

III. Considera & vide num hîs notîs insignitus sis: & 1. si eas in te deprehenderis, Deo à quo acce-

cepi-

cepisti gratias, exhibe, & in eo statu, ad quem per divinam ejus misericordiam vocatus es, velle te rectè vivere & rectè mori firmiter propone, & remediîs ad hunc finem consequendum efficacissimîs uti-tere, quorum primum est, hanc à Deo sæpe gratiam postulare: Nam teste Apostolo, *Ipse dat velle & perficere.* 2. cogitationes omnes vocationi tuæ insidiantes tanquam sagittas à dæmone immissas sinè mora ex corde tuo penitus eliminare. 3. tentationes adversùs vocationem tuam & aversiones omnes statim ac suboriuntur, Directori aut Superiori tuo manifestare, & remediis ab ipso velut à Christo Domino suppeditatis, confidenter uti. 4. si cujusdam vel Religionis vel Congregationis membrum es, vota aliàs emissa sæpissimè renovare. 5. multorum, qui post relictam imprudenter vocationem suam miserè perierunt, exempla tragica & funesta seriò considerare. 6. quid in articulo mortis præstitisse, & num in eo statu, ad quem per misericordiam Dei vocatus es, perseverasse velles, cogitare. 7. diligenter cavere ab astutia dæmonis, quâ svadere vult te tutiùs alibi, & faciliùs saluti tuæ vacaturum; vel majorem Deo gloriam procuraturum: & pro certo tenere multò gratiùs esse Deo pauciora nos ex virtute obedientiæ peragere, quàm longè plura ex motu corruptæ propriæ voluntatis patrare. 8. quòd si careas prædictîs notîs, & te ad statum, in quo jam vivis à Deo non esse vocatum moraliter certus sis; ex illo quàm citissimè poteris, exire debes, si tibi liceat: aut si non licet, puta, si Sacerdos vel Religiosus sis, aut matrimonio junctus sis, quæ sequuntur præstare. 1. pœnitere & graviter dolere, & à Deo, eò quòd motu proprio sinè divina

voca-

vocatione in hanc conditionem intrusus sis, veniam cum lachrymis & humiliter postulare. 2. Divinam bonitatem, ut te tandem ad statum hujusmodi vocare dignetur, cogitare. 3. in eodem statu tam sanctè vivere, quàm qui sanctissimè. 4. attentè & gaudenter perpendere verba D. Petri dicentis: *Fratres, satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*: quibûs nos ad eum statum ad quem antea non fueramus à Deo vocati, vocationem mereri posse apertissimè indicat.

MEDITATIO XIII.

De recidivo.

1. CONsidera motiva quæ te à recidivo deterrere, & in illud proruentem inhibere debent. 1. recidiva peccata multò pejora prioribûs, novamque deformitatem contrahunt: namq; quò magis progredimur, & in anteriora nos extendimus, eò majorem peccati nostri cognitionem habere debemus: at quantò major peccati nostri cognitio, tantò major facti atrocitas. 2. quolibet temporis momento crescunt obligationum rationes erga Divinam bonitatem; & quò strictiori obligatione personæ læsæ devincimur, eò gravius etiam & injuriosius est quidquid in illam peccamus. Quapropter gulositatis, iracundiæ, superbiæ, aut alius vitii actus, in quem aliquis hodie cadit, longè gravior est eô simili actu in quem ceciderat heri: at verò si cras recidat, ampliori reatu quàm hodie, & inexcusabiliori vinctus tenetur. 3. Deus recidiva peccata severioribus pœnis adjudicat quàm prima, in hoc se conformans Judicibus terræ, qui prima vice furantem, aut exilio mulctant, aut ad palum alligant in propatulo ad ignominiam & ludibrium, eâque pœnâ Legibus satisfactum quodammodô putant: at si iterum atq; iterum ad fa-

cinus redeat, non aliud cum eo agunt, quàm ut ad triremes in perpetuum condemnetur, aut ad furcam & patibulum elevetur. *Vulnus iteratum sanatur tardiùs, frequenter peccans & lugens, vix veniam meretur*, ait S. Isidorus. 4. A recidivo surgere, veniamque impetrare onerosissimum; 1. quia malignus spiritus plus in nos potestatis habet, validioribûs machinîs & cuneîs pugnat quàm antea, ut nos in sua tyrannide detineat. 2. Deus aversior à nobis redditur, sæpè secretò quôdam judiciô subtrahit gratiam, cujus nos fecimus indignos, ejus misericordiæ & bonitatis delicias contemnentes.

II. Examina causas recidivi. Tres assignantur vulgò causæ hujus morbi recidivi, quæ eædem sunt peccati, siquidem animi morbus peccatum est: 1. in morbum recidimus, quando nos perfectè sanatos existimamus & ità gerimus, cùm secus sit: recidimus in peccatum, quando nos in gratia Dei esse reputamus, & tamen in peccato mortali sumus, ob Confessionem verô dolore destitutam, aut aliqua alia conditione requisita mancam. 2. in morbum recidimus, cùm paulò meliùs habentes, haud satis cautè sanitatem tuemur, cùm citiùs quàm oportet aërem patentiorem & liberiorem captamus, cùm alimentis frigidis crudisque utimur, aliisq; promiscuè contrariis: recidimus in peccatum, cùm statim à Confessione & Pœnitentia, nos mox periculis & occasionibus Deum offendendi exponimus. 3. recurrit morbus, cùm negligimus remediis uti præservativis à Medico ordinatis, aut iis quæ multùm conducere non ignorabamus, imò necessaria judicabamus: similiter recurrit peccatum, dum ea quæ Confessarius præscripserat, vel per modum consilii dederat, negligimus; dum nolumus uti remediis præservativis sive præcautionibus, quas necessarias ju-

dicabamus: quod frequentissimè contingit, præsertim cùm liquidò constet majori cum repugnantia & renitentia Medico spirituali morem geri quàm corporali, quasì cura corporis animæ sollicitudini esset anteponenda. O cæcitatem deplorandam! ô stuporem! ô plerorumq; hominum amentiam!

III. Considera remedia consentanea ad cavendum recidivum. 1. Confessione opus est generali, ad reparandum defectus particularium, nisì à pauco tempore, idque bene præstiteris. 2. odiô inextingvibilî & irreconciliabilî non solùm peccatum prosequi, sed etiam occasiones peccati fugiendo, & omnino detestando. 3. habere Confessarium & Directorem pium, prudentem, doctum, ipsiq; parere in omnibus tamquam Deo. 4. viribus propriis nequaquam fidere, imò malè tutas ac suspectas habere, certò certiùs tenentes nos in peccatum, nisì divina gratia succurrat, relapsuros. 5. augustissimum Altaris Sacramentum recipere frequenter cum magna præparatione & devotione. 6. tantò magìs saluti suæ incumbere, quantò certè scimus thesaurum gratiæ nos portare in vasis fictilibus omnino fragilibus: quapropter oportet nos auscultantes esse Apostolo admonenti: *Qui stat, videat, nè cadat.* 7. crebrò manè præsertim & serò, formare actus & proposita numquam Deum offendendi: hæc enim sunt velut retinacula quædam & repagula, quæ nos à recidivo muniunt. 8. animo versare fines ultimos, mortem imprimìs. *Recordare novissima tua*, ait Sapiens, *& in æternum non peccabis.* 9. à Deo postulare sæpè, & singulis ferè momentis, si fieri potest, ut permittat nos potiùs à diabolo visibiliter possideri, quàm in peccatum mor-

mortale incidere. 10. tandem crebros actus elicere contemptus mundi, honorum & opum transitoriarum, illud sæpè in corde & ore habentes: Vah! vah rerum humanarum futile commentum, & mundialis larva vanitatis! Vah quidquid Christus non est: Eheu! eheu! *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

MEDITATIO XIV.

De detractione cavenda.

1. *REmove à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te*, Prov. 4. Considera nihil in mundo communius esse, hôc vitiô detractionis, tam inter sæculares, quàm inter spirituales Personas, in omni congressu, consortio, in conviviis, hoc vitium quasi pestis quædam grassare solet, ùt scribit S. Hieron. Epist. ad Celantiam: *Tanta hujus mali scilicet detractionis, libido, mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* 2. Detractio est gravis injuria proximo, & gravius est crimen, quàm furtum, ùt ait S. Ambros. *Tolerabiliores sunt fures, qui aliena bona diripiunt, quàm fures, qui famam nostram dilaniant.* 3. Detractores sunt hostes infensissimi humani generis & pejores diabolô, nunquam enim dæmon potest ità nocere hominibus, sicut detractor; qui etiam intimas amicitias, suîs detractionibûs disrumpere valet. 4. Detractor tres vulnerat uno suo ore; suam nempe, animam, & ejus, qui illum audit, uterque enim graviter peccat, & illum in fama & honore, cui detrahit, ait S. Bernardus serm. de triplici custodia. *Nunquid non lancea est ista lingua? profectò, & acutissima,*

quæ tres penetrat uno ictu. 5. Detractio graviſſimam poſt ſe obligationem trahit & onus difficilimum reſtitutionis famæ ablatæ, eò quòd detractor teneatur ſub pœna æternæ damnationis, alteri, cui detraxit, famam reſtituere apud illos omnes, coram quibus famam ejus denigravit, ùt dicit S. Auguſt. *Non dimittitur peccatum, nisì reſtituatur ablatum.* Sed quàm hoc ſit difficile! faciliùs eſt reſarcire injuriam illatam in bonis fortunæ, quàm in fama, hinc dicitur Eccli. 28. *Attende, nè fortè labaris in lingua, & ſit caſus tuus inſanabilis.* Certè hic caſus linguæ poteſt dici inſanabilis, nam nec per rigidiſſimam pœnitentiam, nec per mille Confeſſarios ſanari poteſt, nisì fama proximo ablata reparetur. *Eliminemus igitur omnem ex ore noſtro detractionem, ſcientes, quod etſi cinerem comedamus, nulla nobis aſperæ vitæ hujus utilitas proderit, nisì à detractione abſtineamus,* ait S. Chryſoſt. hom. 3. ad popul.

II. Conſidera in hoc puncto: 1. Quòd ſimilî modô omnis ſuſpicio, dubitatio & judicium temerarium de proximo & ejus actionibus prohibeantur à Deo, ſunt enim & contra charitatem proximi & contra juſtitiam. *Nolite* inquit Chriſtus *judicare & non judicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini*, Luc. 6. *Etiamſi perperam actum deprehendas, nec ſic judices proximum, magìs autem excuſa intentionem, ſi opus non potes; puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum,* ait S. Bernar: ſer. 40. in Cantica. Et S. Thom. 2. 2. qu. 60. art. ait: *Ex hoc ipſo, quòd aliquis habet malam opinionem de alio abſque ſufficienti cauſa, injuriatur ei,* quod non licet. *Conſidera* 2. Non minùs eſſe peccatum audire detrahentem, quàm detrahere proximo; quid? ſi audiens dat occaſionem obloquendi, interogando, libenter audiendo, annu-

annuendo *&c.? Si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire : unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltèm placeat ei detractio, propter odium ejus, cui detrahitur, non minùs peccat quàm detrahens, & quandoque magìs. Unde Bernardus dicit : detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim*, ità docet S. Thom. 2. 2. qu. 72. art. 4. Hinc Prov. 24. monemur : *Cum detractoribus nè commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit?* Et S. Bernardus serm. 18. de content. ad soror. *Non solùm ille, qui detrahit, peccat, sed & ille, qui voluntariè detrahentem audit.* Et alibi : *Detractor & libens auditor, uterque diabolum portat &c.* O quoties libenter detrahentes audivisti & non restitisti! *Conside-a 3.* variîs modîs posse fieri detractionem juxta S. Thom. 1. Falsum crimen vel defectum imponendo. 2. verum exagerando, amplificando. 3. ocultum detegendo sinè causa justa. 4. rectè facta aliorum sinistrè interpretando. 5. tacendo ubi quis debet in bonam partem de proximo loqui, dum silentium æquivalet approbationi. 6. ironicè laudando vel irridendo seu exacerbando proximum, *&c.* Illæ demum sunt maximè nocivæ detractiones, ubi priùs laudatur ex aliis factis, is, cui detrahitur, aut præviè erga illum ostenditur aliqua compassio, quòd hæc vel hæc fecerit, vel audiens adjuratur, nè cuipiam alteri revelet, quod ipsi in secreto revelat, ùt S. Franciscus Salesius not. t. Seriò te reflecte super his vel similibus modis loquendi de proximo, num in aliquibus non defeceris, & firmas fac resolutiones, quomodò te in conversationibus gerere debeas, *Remove à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te.* Prov. 4.

III. Confidera media contra iſtiusmodi vitium. 1. Deteſtari hoc turpe vitium & perpetuum bellum illi indicere, ùt Pſalmiſta diceb t: *Det ahentem ſecret proximo ſuo hunc perſequebar*, Pſal. 100. 2. Fugere conſortium detractorum, & garrulitatem, quæ eſt origo multorum vitiorum oris, *nè temerè qu d loquaris*, ait Eccl. 5. Nam *totum ſpiritum ſuum proſert ſtultus*. Prov. 29. 3. Detrahenti nunquam aurem benevolam præbere *Sæpi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire*, Eccli. 28. Conare ſermonem interrumpere, aliò vertere, impedire, nè finire poſſit ſermonem, & ſi authoritate in converſatione polles, fortiter argue detractorem. *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant*, Timoth. 5. 4. Oſtendere faciem diſplicentem & nauſeantem tales diſcurſus. Nam *Ventus aquilô diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem*, Prov. 25. 5. Si ſupradicti modi non proſunt detractori, recedere ab eo, ùt ſvadet S. Hieron: in Regul. Monach. *Si quem alicui detrahentem audieritis, procul fugientes dimittite ùt ſerpentem; ut verecundiâ v ctus d ſcat de factis aliorum ſilere.* Sic fecit S. Auguſtinus, qui in ſuo cænaculo hos curavit deſcribi verſus:

Quisquis amat d ctis a ſ ntum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

6. Ex his mediis concipere magnam abominationem & detractionis & detractorum, maximè dum in converſatione permanes, quoniam *abominatio eſt h m num detractor*. Eccli. 10. Ad verba ſua ſæpe reflexionem facere, ùt monet Eccl. 28. *Verbis tuis facit ſtateram, & frænos ori tuo rectos.* Ultimò Poſtulare à Deo hanc gratiam, ut longè ab hoc vitio abſis, *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis, ut non delinquam in lingua mea*, & intra-

tractu suæ conversationis, hoc ipsum sæpe repetere, ac linguam S. Angelo Custodi commendare, Nam *mors & vita in manu lingvæ*, Eccl. 41.

MEDITATIO XV.

D fuga occasionum peccati, & malis societatibus.

1. *Filli, si te lactaverint peccatores, nè acquiescas eis*, Prov. 1. considera cur debeas vitare occasiones peccati, & malas societates. 1. quia, *qui amat periculum, in illo peribit*, est enim vix possibile inter occasiones peccati versari, & non peccare, occasio peccati moraliter est connexa cum ipso peccato, nemo sperare potest se permanere castum, inter lascivos, sobrium inter ebriosos, pium inter dissolutos commorando. 2. Natura corrupta ex se satis est fragilis & ad malum proclivis, & quid fiet, si fragilitati associatur occasio ad peccatum pertrahens, & exemplum malum? Amicitiæ nimis familiares, aspectus curiosi, colloquia inhonesta, respectus humani, &c. sunt incentiva ad malum, adeoq; summopere fugienda, ùt ait S. August. *Cave tibi à fiducia, quisquis non timuit, jam lapsus est*, & revera, Samson, David, Salomon, Petrus & alii innumeri etsi fuerunt Sancti, lapsi sunt, dum occasiones peccati & consortia prava non fugiebant. 3. sinè ope Dei nec minimæ tentationi resistere possumus, hostes enim nostri tam potentes sunt, nos autem adeò imbecilles; verùmtamen, si nosmetipsos in occasiones & tentationes conjicimus sinè necesitate, Deus nobis suâ gratiâ fortiorî succurrere non obstringitur? quanta igitur temeritas est, exponere se occasioni peccati, & fidere sibi non labi in peccatum! *Ista spiritualis fortitudo nobis collata est, non ut præcipites, sed ut providos tueatur*, inquit S. Cyprianus. Statue firmiter evitare omnes occasiones

periculosas, prævidendo illas, & omnes societates malas, etsi tibi appareant maximè utiles; si oculus tuus; vel pes tuus scandalizat te, erue oculum, abscinde manum vel pedem & projice abs te, monet Christus inEvangelio; id est: si locus aliquis officiū, vel persona est tibi occasio peccati, segregare te ab iis omnibus debes. *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua!* Math. 16.

II. Considera esse & alias occasiones peccati, quæ vocantur internæ, & sunt consvetudines pravæ, seu habitus mali, & passiones immortificatæ, quamdiu has non exterminabis in te, facilì negotiô in peccata prolaberis; Reflecte te super tuas consvetudines, quali vitio es asvefactus? nū vitio v.g. iracundiæ, maledicentiæ, mendacii, vanæ gloriæ captandæ, Nomen Domini in vanum invocationis, turpiloquii, contentionis, detractionis, vel alterius id genus &c. & fortiter satage hæc omnia totîs viribûs quàmprimùm extirpare; habitus enim malus est quasì funiculus, quô dæmon peccatorem ad iteranda peccanda pertrahit; ille, qui est asvefactus alicui vitio, facilè in illud idem recidit, ejus confessiones sunt malæ, si non curat se emendare; nec proinde talis potest à Confessario absolutionem obtinere validè, donec resipuerit. O quantus horror deberet animum tuum pervadere! videndo, in quæ & quanta incommoda mala consvetudo trahat! nempe, quòd quandam necessitatem peccandi, difficultatem à peccato resurgendi ingerat, seriam ad Deum conversionem & pœnitentiam impediat. Nonne talis inhabituatus ingemiscere cogitur, sicut olim S. Augustinus: *Suspirabam ligatus non ferrô alienô, sed ferreâ mea voluntate.* An non tutius est, peccandì consvetudinem tempestivè prærumpere, cùm eam superare, adeò difficilè sit?

Considera 2. quantùm intersit affectum aliquem vel passionem tibi magìs dominantem agnoscere, & illi omni conatu resistere? Si enim *inimici hominis domestici ejus*, juxta Evangelium Math. 10. certè maximus inimicus est, passio vel affectus prædominans, quô indomitô, solidam pietatem nullus acquirere potest. Vellesnè penes te domesticorum aliquem tollerare, qui in vitam tuam conjurâsset? & quomodò tolerare poteris maximum tuum internum inimicum, qui in perniciem animæ tuæ totus conspiravit? *Sub te erit appetitus tuus, ut tu dominaberis illius*, Genes. 4.

III. Considera media ad vitanda suprascripta. 1. sæpe meminisse præsentis ubique & videntis omnia, Dei. 2. Memoria novissimorum, ùt Mortis, Judicii Dei, Inferni, hæc enim omnia separabunt hominem suo tempore ab omni occasione mali, & pravo, quamvìs arctissimô consortiô: sed melius est seipsum ab his tempestivè separare. 3. habere unum Confessarium prudentem, & illi conscientiam suam sincerè aperire. 4. vim sibi inferre in omnibus, quibus assvetus es, & auxilium Dei invocare ad resistendum. 5. oratio matutina & examen vespertinum, sunt media aptissima ad exstirpandos malos habitus. 6. voluntaria aliqua mortificatione lapsus frequentes castigare. 7. animare se tot exemplîs Sanctorum, qui olim variis obnoxii vitiis, tandem illa deposuerunt, & Sancti effecti sunt; sic S. Augustinus semetipsum hortabatur: *Tu non poteris quod isti & istæ?* Ac tandem seipsum peccatoribus inhabituatis in exemplum adducebat. *Ecce vobiscum vivimus, quis nos audivit aliquando jurantes? nunquid non consveveram quotidie jurare? nihil jam faciliùs, quàm non jurare.*

MEDITATIO XVI.

De perseverantia.

1. CОnsidera causas ac rationes, quæ te ad perseverantiam in Deo gratia toto vitæ tempore, bonorumq; operum exercitatione compellunt. 1. Dominus noster solùm iis beatitudinis gaudia promittit, qui perseveraverint in bonis operibus usq; ad mortem: ait enim, *Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit.* Hic verba Christi perpendas. Non dixit, Qui in timore & amore Dei annum unum, duos aut tres, vel, usq; ad quadragesimum aut ad quinquagesimum annum tantummodò perseveraverit, vitam æternam possidebit; sed affirmat, *Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit.* 2. merces quam promittit ei, qui perseveraverit in finem, infinita est: non promittit ei opes mundanas, non nobilitatem & potentiam, non sanitatem, non honores ac dignitates; sed promittit vitam æternam, *Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit.* Bone Deus! si Aulici & honoris sæculares sequaces in Magnatum suorum. Dynastarum, ac Regum famulatu & obsequio vitam traducunt suam, temporalis cujusdam lucelli aucupio illecti, sæpè sæpiùs evanidi; nonne potiori Jure ac titulo nos in Dei servitio generosè perseverare addecet, spe mercedis & præmii videlicet fretos: quod numquam marcescit, sed æternitati coadæquabitur. 3. nihil nobis proderit bene incepisse, nisi perseveremus in finem. Quid infortunato Judæ laudabilis vitæ primordia in Apostolatu contulere? Eheu! melius fuerat illi, si numquam natus fuisset, quàm post initia felicia quidem corruisse, & diem suum miserabili & luctuoso fine clausisse. 4. dolore insanabili contabesces perseve-

ran-

rantiæ defuisse; dolore, inquam, inutili prorsus ac supervacuo. Proh! quanto luctu damnati & dolore lancinantur à bono destitisse! quod semel inchoarant: at sera nimis pœnitentia: medicinam morbus excessit. Absit ut in tantum malorum gurgitem præcipitem me tradam. O mitis JESU! malo in amore tuo perseverare toto vitæ meæ cursu; brevi quidem, sed etiam quàm putaverim breviori.

II. Considera duo esse genera perseverantiæ, unum falsæ, alterum veræ, primum genus perseverantiæ habent. 1. qui in bono perseverant quamdiu prosperitas durat: adveniente tribulatione, à Dei servitio resiliunt. 2. qui perseverant quidem in fuga plurimorum peccatorum lethalium, sed non omnium, aliquod grave committentes. 3. qui virtutem sequuntur, quamdiu ab occasionibus Deum offendendi subducti sunt: at statim ac aliqua se præbet, langvidè & cunctanter omnino fugiunt, eique miserabilem in modum succumbunt. 4. qui abstinent se à malo, cùm ad illud patrandum vires ac commoditates deficiunt, affectu autem & voluntate illi adhærescunt. Secundum genus perseverantiæ, nempe bonæ, eorum est, qui tam in sanitate quàm in morbo, tam in tribulatione quàm in consolatione, tam in egestate quàm in abundantia perseverant, tam in adversitate quàm in prosperitate, in tentatione & tranquillitate, tam in periculo quàm extra periculum: qui tandem non solùm quædam mortifera peccata devitant, sed universa, nullô exceptô, non quidem ad tempus, sed semper.

III. Considera media, quibûs uti debes ad perseverandum in gratia & amore Dei usque ad mortem. 1. quotidie humiliter à Deo perseverantiam

postulare, quæ ipsius donum est. 2. singulo quoque manè surgendo, & serò petendo lectum, gravem & authenticam protestationem edere, mortem subiturum te potiùs quàm vel unum peccatum mortiferum aut veniale commissurum. 3. nunquam deserere statum, in quo Deus te collocavit, si nempe Religionis alicujus, aut Congregationis approbatæ membrum es. 4. frequentare tribunal confessionis cum magna peccatorum compunctione, sacramque mensam cum magno fidei & devotionis affectu. 5. erga B. Virginem Religiosum se præstare, nullumq; transmittere diem absq; pio quodam venerationis cu tu ei redditæ. 6. diligenter omnes occasiones devitare, quæ te in laqueum peccati pertrahere possent, spem omnem in Deum reponere, ac confidere illum nunquam deesse eis, qui volunt piè vivere, gratiasque necessarias semper ipsis conferre, quibûs uti ad suam salutem valeant. Tandem mortem adventare, esse in propinquo, si te in statu peccati mortiferi intercipiat, aspectu Dei privandum in æternum, in infernum dejiciendum, flammis cruciandum æternis unà cum dæmonibus & damnatis: æternis inquam, quam iu Deus erit Deus, æternis. O æternitas! ô æternitas! ô æternitas!

MO-

MONITA QUÆDAM UTILIA & NECESSARIA INCHOANTIBUS.

EXERCITIA SPIRITUALIA.

I. PErſvadere ſibi cujuſvis conditionis homines utiliter poſſe hæc exercitia inire : malos, ut à malo reſipiſcant ; bonos, ut ad meliora provehantur : nec eſſe quemquam, quantumlibet ſpiritualem virum, doctum & perfectum, qui hîs non aliquatenus indigeat.

II. Facere exercitia ſpiritualia nihil aliud eſt, quàm à tumultuoſo mundi barathro & fluctibus ſæculi in ſolitarium locum ad dies aliquot ſecedere, & ibi de reformando vitæ ſtatu, mediiſq; ad hoc conducibilibus, cum Deo & anima, interventu Directoris, conſultare ; eamq; conſcientiæ ſecuritatem, quâ in articulo mortis gaudere volet, ſibi tutò parare.

III. Vel (ut clariùs exponam) hæc exercitia ſuſcipiuntur, ut unuſquiſque verus & perfectus Chriſtianus evadat in ſuæ conditionis ſtatu : Sacerdos, ut poſſit Sacerdotio rectè defungi ; Parochus, ſuâ Parochiâ ; Religioſus, bene uti Religione ; Nobilis ut fiat bonus in ſuo gradu ; Juriſperitus, in officio ; Mer-

Mercator, in mercatura, Scholaris, ut fiat bonus scholaris; Agricola, bonus agricola; servus, servus fidelis: & ità de singulis in sua professione.

IV. Contingit sæpè nonnullos exercitia hæc inire, ut indomitum aliquod vitium, cujus dominatu tyrannicè se sentiunt opprimi, toto conatu opugnent & atterant; aut ut virtutem aliquam, qua sibi præ aliis opus esse experiuntur, acquirant: alii eo fine veniunt, ut se ad susceptionem sacrorum Ordinum, vel Missæ celebrationem, disponant: alii, ut seriò, præscriptâ novâ vivendi formâ, malè ordinatos mores componant: alii, ut munere & officio suo rectè coram Deo, & justè coram proximo defungantur: quidam etiam, ut probent seipsos, & mortem minantem securè tutaq; conscientia prævertant, maximè cùm longum iter, aut simile quid suscepturi, periculum suspicantur.

V. Quidam eo fine huc adducantur, ut cum Deo de statu vitæ deligendo consulant, in quo possint suam salutem securiùs operari: hoc est, an matrimonio, an Sacerdotio, an gravi alicui muneri intendere debeant; an suscipere curam animarum. Religionem ingredi, vel aliquam Congregationem: & isti omnes qui sunt in bivio, quoad hujusmodi electionem, statim ab ingressu in exercitia, hoc est prima die, suo Directori mentem aperiunt.

VI. Ut plurimùm hæc exercitia per octo dies continuantur, & nonnumquam pro affectu pietatis & exigentia conscientiæ, etiam in decimum protrahuntur: sed hoc prudentiæ & arbitrio Directoris relinquitur: multi enim reperiuntur, quibus dies quatuor aut quinque, aut ad summum sex abundè sufficiunt.

VII. Cum aliquo Sacerdote domus in qua tradun-

duntur exercitia, huic curæ deputato, semel aut bis in die conferunt, & singulis congressibus, meditationis processum, motus gratiæ, quibus inter orandum affecti sunt, & ea quæ scripserunt, fideliter communicant.

VIII. Si malè affecti corpore vel animo sint; si quam gravem tentationem, ac molestiam internam patiantur, quamprimùm suo Directori palam faciunt, ut de remedio provideat: qui verò se scrupulosos agnoscunt, statim ab ingressu, prima die Directorem hac de re informant.

IX. Prima dies impenditur potissimùm comparandæ dispositioni, quæ ad exercitia ritè peragenda requiritur, & ideo semel & iteratò hæc monita leguntur, necnon ordo exercitii quotidiani unà cum aliis quæ ibi notantur. Deinde introductio ad orationem mentalem: quæ singula ut utiliùs impleantur: 1. immediatè antequam sese applicent lectioni, proni in genua brevem præmittunt orationem, ut gratiam impetrent salutarem, fructum ex illa percipiendi: solet autem dici, *Veni sancte Spiritus*, &c. aut æquivalens oratio. 2. si inter legendum occurant aliquæ difficultates, seorsim scripto, notantur, & earum elucidationem petunt. 3. cùm apud se statuunt observare adamussim consilia omnia, quæ in lectione proponuntur. 4. peracta lectione, genuflectunt secundò, ut gratiam exequendi fideliter, ea quæ proposuerunt, deprecentur. 5. statim in primo congressu Directoris, ingenuè sua dubia & difficultates exponunt.

X. Meditationes, preces, lectiones, & similia exercitia pietatis, quæ tribus aut quatuor primis diebus fiunt, illuc collineant omnia, ut peccata commissa & gravitatem eorum agnoscant; magnum

de

de Deo offenſo dolorem concipiant, & generali Confeſſione ex integro omnes conſcientiæ ſuæ ſordes eluant, maximè autem proponant fortiter ad peccati vomitum non reverti, & vitam verè Chriſtianam cum ſpe perſeverantiæ inchoare.

XI. Vulgò aſſolent die ſecunda exercitiorum poſt ultimam Meditationem de gravitate peccati, generalis Confeſſionis initiare diſpoſitionem, ut poſſint tertia, vel ad ultimum, quarta die eſſe ad Confeſſionem faciendam parati: poſtridie verò factæ Confeſſionis ad Communionem, aut, ſi Sacerdotes ſunt, ad celebrandum accedunt.

XII. Impendunt reſiduum exercitiorum in mediis, inveſtigandis, quibus in gratia ſe tueri valeant, & in virtutis via progredi. Ideoq; in omnibus ſequentibus Meditationibus de vita & Paſſione & Reſurrectione Chriſti, proponunt ſibi virtutes ejus imitandas, imprimìs eas quas ſuo ſtatui & conditioni vident magìs eſſe congruentes: puta humilitatem, obedientiam, patientiam, charitatem, &c.

XIII. Quoniam autem, nequeunt, ùt par eſt, operam dare acquirendæ virtuti nisi priùs evulsìs ex imò corde peccatorum radicibûs, cauſas eorum & fomenta ante omnia penitùs extingvere conantur, pravos videlicet habitus, inveteratas in malo conſvetudines & paſſiones indomitas.

XIV. Quas peccati cauſas, ut prorſus adimant, media ad hæc congruentia, quæ etiam extra exercitia uſui eſſe poſſint, accuratè veſtigant. Præ cæteris autem illud habent utì præcipuum ſibi, nempe formam vitæ juxta debitum officii ſui & morum exigentiam præſtituere & præordinare, quam ſinguli ſcripto commendant. Hæc autem formula po-

potissimùm in præcipuorum propositorum quasi compendiosa ordinatione consistit.

XV. Enituntur, in quantum suppetit, etiam exercitiorum tempore omnes actiones suas, tum bonas, tum indifferentes, cum debita integritate & ea plenitudine perfectionis exequi, quâ extra exercitia decreverint implere, maximè verò praxes devotionis, quas solent serotinîs & matutinîs horîs persolvere, officium divinum, auditionem Missæ, & ideo indicatum à Directore exercitium Christiani quotidianum conantur implere.

XVI. Abstinent penitùs, nisi priùs Directore consulto & consentiente, ab omnibus pœnitentiis extraordinariis & votis quibuscumq;: quod quidem non sinè legitima causa cavetur.

XVII. Sacerdotes exactiùs attendunt ad bene & debitè celebrandum: & ideo ultimîs duabûs diebûs exercitiorum, vel priùs, si opus sit, Missæ cæremonias exercent,

XVIII. Omnes pari studio nituntur hæc peragere: 1. intentione recta: 2. attentione sedula: 3. animo forti & multa spe proficiendi: 4. fidelitate & stricta observantia ordinis præscripti: 5. sinceritate cordis & debita Directori, qualiscumq; sit, animi submissione: 6. patientia & exhibitione conformitatis ad divinam voluntatem in tentationibus, desolationibus, ariditate mentis, &c. 7. in perseverantia in exequendis prædictis omnibus usque ad extremum exercitiorum.

NOTANDUM.

Quòd licèt exercitia magnopere prosint tum malis ad correctionem, tum bonis ad virtutis progressum; tamen nonnullis hæc aut nullius, admodum modicæ frugis, esse contingit, iis nempe.

1. Qui

1. Qui ea suscipiunt, nescio, quô humanæ prudentiæ ducti consiliô, nec hanc in progressu intentionem sinistram emendant, nec purificant.

2. Qui nonnihil laboris & difficultatis occursurum in exercitiis suspicantes, animo despondent, & desperato omni fructu, de discessu assiduè cogitant, aut animum foris quoquolibet modo possint, divertere conantur.

3. Qui ordinem exercitii quotidiani non attendentes, observantiam ejus parùm aut nihil, omniaque perfunctoriè, nisi fortè curiosum quid & sensum oblectans, nacti fuerint, exequuntur.

4. Qui plus ingenio suo & industriæ quàm gratiæ Dei innituntur, & proprio judicio plus æquo tribuentes, Directorum qui ad id muneris à Deo vocati sunt, & eorum directioni deputati, monitis & consiliis non acquiescunt.

5. Qui occultato & quasi clauso ostio conscientiæ suæ degunt; non aperientes cor suum Directori, cum ingenuo candore, simplicitate Christiana.

6. Qui bonô animô & feliciter exercitia auspicantur, sed post dies aliquot tædio & torpore mentis tepescunt, remissoq; fervore segniter operantur: satis habentes se Confessionem generalen præmisisse, parum soliciti quomodò, quibusve mediis se post hæc immunes à peccato & recidivo præstare queant, nè vitæ quidem agendæ formulam instituere & præscribere curantes, aut si idipsum agant, absq; proposito & voluntate exequendi, quasi ex necessitate & caritate ficta describunt.

7. Qui peractis exercitiis acceptæ gratiæ immemores & penitùs ingrati, numquam proposita scripta legunt, nec ullatenus implere laborant.

Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. Osee. 2. *Sedebit solitarius, & tacebit, & levabit se supra se.* Thrē. 3.

MONITA

De statu vitæ eligendo.

QUisquis vitæ statum aliquem eligere desiderat, animôq; pendet incertô, quem potissimùm electurus sit, sequentibus sedulò debet attendere.

1. Certò sciat plurimùm interesse in ea electione cautè procedere, nè fortè hallucinetur deterius eligendo, statum scilicet ad salutem consequendam sibi ineptum; siquidem veritas est Theologica, in una vocatione damnari, qui in alia salvatus fuisset. & ècontra.

2. Antequam ad hujusmodi electionem procedatur, cor suum effundere sicut aquam ante conspectum Directoris convenit, suos nimirùm habitus & affectus tum bonos tum pravos illi omnino exhibendo, ut sibi consilium cum majori securitate dare valeat.

3. Ante omnia intentionem necesse est rectè dirigere ac purificare, nempe sibi præ cæteris proponendo Dei gloriam & optimum ac tutissimum salutis suæ medium, non verò commodum proprium, voluptatem & satisfactionem: & ad id considerare finem ad quem creati sumus, in hunc modum sese interrogando: Cur me Deus in hoc mundo posuit? ad quid venisti? num ad quærendum primò Regnum Dei & justitiam ejus?

4. Sciscitetur à seipso: Si meus amicus, cui optarem perfectionem, super hanc rem me consuleret, quid consilii darem? si mihi modò moriendum esset, quid statuisse vellem? cùm mihi coram Deo Judice meo standum erit, quid consilii cæpissem?

5. Tempore electionis majori recollectione utendum quàm antea; nihil admittendo, nisi quod è cœlo venit, rejiciendo quidquid terrenum est: aliter agere, mera est seductio.

6. Hoc tempore omnes orationes ad hunc scopum collimare debet, ad petendum videlicet cœli radium, qui divinam voluntatem sibi manifestet, cum magna semper indifferentia & sui abnegatione.

7. Cùm ità se amore proprio evacuaverit, rationes in conspectu Dei in utramque partem perpendet: & ex iis solas admittat fundatas in Evangelio: carnales verò & prudentiæ humanæ innitentes, respuat.

8. Nè autem tam facilè in errorem inducatur, ipsas rationes in utramque partem scribat, ut alio tempore examinet ipse, vel examinandas Directori suo subjiciat, cui declarabit, quomodò processerit bene an malè.

9. Tempore electionis oportet animô esse consedato: nil statuere, multò minùs obligare se voto, maximè durante animi commotione.

10. Observatîs omnibûs, quæ circa electionem suprà præscribuntur, rationibus validioribus acquiescat, piè credendo illas sibi divinam voluntatem significare: tum nulla ampliùs additâ morâ decernat, ac statuat.

11. Post factam electionem adhibeat meditationem: ut agnoscat, an bene processerit, an deceptus fuerit, deinde Directori suo aperiat, an in prima deliberatione confirmatus fuerit, an non?

12. Ut autem intelligat, an electio vera, & ex Deo sit, illam debet probare hîs quatuor signîs. 1. quando omnia media supradicta ipse servavit diligenter, præsertim indifferentiam & sui abnegationem, 2. quando frequentes inspirationes absque con-

contradictione. ad id impellunt. 3. quando factæ jam electioni orationem adhibuit ad eam explorandam, & se confirmatum in ea senserit. 4. quando Director ejusdem est sententiæ.

13. Quòd si hæc quatuor signa in ejus electione reperiantur, statim debet ad executionem procedere, ipsamq; Deo offerre & comendare, suppliciter rogando, ut eam benedicat & approbet; tùm de mediis deliberare, eaque seponere in charta peculiari, inferenda postea in suo regimine vivendi, antequam exercitia spiritualia absolvat.

14. Quòd si re prorsùs deliberatâ & constitutâ cogitationes subinde sibi obstrepant, & ad retractandum aut dubitandum moveant, repellendæ sunt velut tentationes, & nihilominùs ad executionem quamprimùm est procedendum.

15. Denique ut hæc monita altiùs ac firmiùs tum memoriæ tum cordi figantur, & hôc pactô uberiores ex iis fructus colligantur, opus est, ut ipse toto electionis tempore illa seriò lectitet, attentè perpendat; & tamquam documenta è cœlo per Angelum transmissa veneretur.

Regula vitæ, seu præcipua quædam Capita, juxta quæ omnes, etiam qui degunt in sæculo, conformare se debent, ad vitam suam probè instituendam.

1. SUrgere quotidie primò manè, horâ statâ juxta vitæ conditionem & corporis dispositionẽ.

2. Excussô somnô, in Deum prima cogitatione ferri, è lectô statim prorumpere, modestè tamen; induendo vestes, aliquid orationis vel vocalis vel mentalis pertractare.

3. Veſtitus, aquâ benedictâ frontem intinges, mox flexîs genibûs ante aliquam imaginem precationes aliquas recitabis, incipiendo ab actibus manè elici ſolitis, adorationis videlicet, gratiarum actionis, oblationis, contritionis & petitionis.

4. Orationi mentali vacare ſaltèm per mediam horam quotidie.

5. Intereſſe Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio ſingulîs diebûs, ſi fieri poteſt, horâ ſtatutâ.

6. Quotidie horâ ſtatâ legere aliquem librum de rebus ſpiritualibus, puta Introductionem ad vitam devotam beati Franciſci Saleſii, Opera ſpiritualia Ludovici Granatenſis, Thomam à Kempis de Imitatione Chriſti, aut vitas Sanctorum, aut alios ſimiles.

7. Diſponere quantùm fieri poteſt actiones diei, ùt negotia, ſtudia, prandium, cœnam, ſomnum, certîs ſuîs temporibûs & intervallîs.

8. Aggreſſurus aliquod opus præcipuum, ad Deum intentionem diriges abſolutè, gratias eidem referes de felici exitu, veniamque petes de commiſſis: quòd ſi actio producatur, identidem ad primam intentionem redibis, aut alia bona cogitatione mentem inſtrues.

9. Bis in die examen conſcientiæ particulare adhibere, ante refectionem, de vitio ſcilicet aliquo, cui ut plurimùm adſtrictiores ſumus, vel de virtute nobis imprimìs neceſſaria.

10. Ad pulſum horologii propoſita & reſolutiones matutinîs horîs in oratione conceptas renovare, aut aliquem virtutis actum elicere, puta contritionis, charitatis, ſpei, &c.

11. Diebûs Feſtîs & Dominicîs Miſſæ Parochiali inter-

interesse, quantùm fieri potest sæpe, similiter concionibus & catechismis.

12. Eligere bonum Confessarium, nec absque gravi ratione mutare, ipsique certis quibûsdam temporibûs extra confessionem animæ suæ sinus explicare, pro occurrente necessitate.

13. Octavo quoque die aut decimoquinto confiteri peccata, ad sacram Mensam accedere, vel singulîs mensibûs, Festîsq; solemnibûs, idque ex arbitrio Directoris.

14. Elicere actum Contritionis statim atque nos alicujus peccati conscios agnoscimus, cum proposito confitendi data occasione.

15. Oborta tentatione aliqua aut angustia ad Deum confestim recurrere, & ad B. Virginem, precatiuncula, v.g. *Deus in adjutorium*, &c. vel *In omni tribulatione & angustia succurrat nobis Virgo Maria.*

16. Cùm Dominus per aliquam corporis ægritudinem visitabit nos, ad Sacramenta maturè recurrere, resignare se Divinæ voluntati, & ad ultimum veluti conflictum se disponere.

17. Sæpiùs attendere Dei præsentiam, maximè in principio cujusque actionis & in occasione peccandi.

18. Erga Matrem Dei religiosum esse, ac in ipsius honorem quotidie Rosarium aut alias preces recitare.

19. Erga sanctum Josephum, Angelum suum Custodem, & sanctum Patronum etiam peculiari obsequentia & cultu affici, ac quotidie aliquod pietatis munus ipsis expendere.

20. Remedia quædam sibi proponere adversùs vitia in quæ magis propendemus, v. g. assem unum pauperi dare quotiescumq; in illa incidemus.

21. Quotidie aliquod genus mortificationis interioris aut exterioris exercere, maximè visûs, gustûs & linguæ.

22. Occasiones peccandi devitare, illas præsertim quæ nos aliàs supplantârunt.

23. Aliqua misericordiæ erga proximum opera exercere, v. g. adjuvare pauperes, visitare infirmos, corrigere ignaros, &c.

24. Augustissimo Altaris Sacramento peculiarem cultum exhibere, singulîs diebûs Venerîs, & illud intimo semper Religionis sensu venerari.

25. Nomen suum dare alicui Confraternitati, v. g. Rosarii, & rectè in ea vivere.

26. Sæpe per diem vibratis ad Deum orationibus uti, præsertim illo die, quo nequimus orationi vacare.

27. Antequam te in lectum recipias, vacare examini generali: quod quidem quinque articulìs distinguitur, deinde precibus vocalibus, Litaniis beatæ Virginis, *Angele Dei*, & *De profundis*.

28. Si nobis die sequenti sit meditandum, statim à precibus serotinis prælegere subjectum orationis, tum exactiori silentio & recolectioni se dare ac discumbere.

29. Petendo lectum, aquam benedictam adhibere, signum Crucis efformare, brevem precem recitare, ut *In manus*, &c. aut, *Domine mi Deus, faustam noctem, vel bene moriendi gratiam mihi concede.*

30. Si contingat nocte excitari, ad Deum corde & cogitatione ascendere, aliquam orationem recitare, aut Rosarium, &c.

31. Quotannis exercitiis spiritualibus vacare, aut saltèm generalem Confessionem ab anno facere, & ad id meliùs exequendum, recipere se in se-

secretum locum, relegere resolutiones suas, examinare conscientiam, remedium afferre defectibus, & bona proposita renovare.

32. Si sit paterfamilias, proponet sibi curam & sollicitudinem suorum, vigilabit præsertim ùt manè & serò flexîs genibûs Deo preces reddant, peccata deponant sæpè, & ad sacram Mensam accedant, abstineant à juramentis & comessationibus, non patietur servilia opera diebûs Dominicîs & Festîs, ad sacrificium Missæ sedulò mittet, commendabit Dei præsentiam & modestiam: lectionem boni alicujus libri, v. g. vitarum Sanctorum proponet illo die: vel alicujus aliûs libri ex supra assignatis.

33. Servi, resolutiones particulares capient obligationibus suis conformes, Scholastici similiter, Judices, Advocati & Pragmatici, Artifices, juxta conditionis suæ fines, super quibus Directorem suum aut Confessarium adibunt.

34. Singulîs mensibûs, vitæ regimen & institutum relegere, cum sedulo examine & renovatione propositorum.

35. Hîs omnibûs supradictîs, resolutiones in exercitiis spiritualibus captæ, per modum compendii adjiciendæ unâ cum motivis præcipuis.

Quicumq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia. Gal. 6.

INDEX MEDITATIONUM
SECUNDÆ PARTIS.

De beneficiis Divinis.

Meditationes de peccatis.

Meditationes de septem peccatis Capitalibus.

Me-

Meditationes de miseriis, in quas natura humana per peccati malum prolapsa est.

Meditationes de quatuor Novissimis.

Meditationes residuæ de Christi vita & doctrina, quæ non incidunt in Dominicas vel Festa.

De Passione D. N. JEsu Christi.

Meditationes de Sacratissimo Sacramento Eucharistiæ, pro iis, qui crebriùs communicant.

Meditationes de nonnullis virtutibus Christiano magis necessariis.

Meditationes de Sacerdotum dignitate & virtutibus.

Meditationes de Votis Religiosorum.

Me-

Meditationes de nonnullis ad exercitia spiritualia peculiari ratione spectantibus.

Monita quædam utilia & necessaria inchoantibus

APPRO-

APROBATIO DOCTORUM.

NOs infra ſcripti Theologiæ Pariſienſis Doctores fidem facimus nos diligenter legiſſe Librum, cui titulus eſt, *Enchiridion piarum Meditationum*, Authore Joanne Buſæo, unâ cum permultis Meditationibus in uſum Clericorum & eorum, qui otia ac ſeceſſus ad vitæ ſanctioris inſtitutum ſedulò quærunt, in quo quidẽ Libro nihil deprehendimus, quod aut Fidei orthodoxæ aut bonis moribus adverſetur, imò multa continentur in eo, quæ ad Chriſtianæ pietatis exercitia facili methodo promovenda, non mediocriter conferunt. Datum Pariſiis die 2. Junii 1654.

N. DAVOLLE'. J. HENAVLT.

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROY.

PAr grace & Privilege du Roy eſt permis à Sebaſtien Huré Marchand Libraire en l'Univerſité de Paris d'imprimer, vendre & debiter le Livre intitulé, *Enchiridion piarum Meditationum in Dominicas & Feſta totius Anni*: pendant l'eſpace de neuf ans, à compter du jour de la premiere impreſſion, avec deffences à tous Imprimeurs & Libraires, de quelque qualité ou condition qu'ils ſoient, de faire imprimer, vendre ny debiter ledit Liure ſans le conſentement dudit Huré, à peine de deux mil livres d'amande & confiſcation des exemplaires, qui ſe trouveront auoir eté contrefaits, ainſi qu'il eſt plus amplement porté par ledit Privilege.

Par le Roy en ſon Conſeil, MABOVL.

Acheué d'imprimer pour la primiere fois le 15. *Juin* 1654.

ENCHIRIDIO
PIARUM